

Rex Philippus superior fuit non sine magna contrariæ factio[n]is indignatione: qua in parte magnam vim habuerunt sollicitationes, & promissa ministrorum Hispanicorum: Henrico vero plurimum molestiæ deinde exhibuit obstinatio tertii ordinis, qui in omnibus rebus ipsi contradicebat. Erat communis opinio Phœbum Monizium, procuratorem Lisybonensem, Regi astipulari, & ea de causa Regem operam dedisse, ut eligeretur. Verum statim in prima consultatione procuratorum, quæ instituta fuit i^o 1. die Ianuarii, manifesto animum suum detexit. Cum enim omnes conuenissent, ipse, tamquam consilii illius princeps, oratione instituta Lusitani, inquit, magis factis delectantur, quam verbis, itaque ut potest Lusitanus (et si vulgo pro tali non habeor) pauca in medium allaturus sum. Sane credimus omnes in Missa Spiritus Sancti, quæ iam celebrata fuit, Deum orasse, vt omnes nostras actiones ad sui nominis gloriam dirigat. Hic enim seopus omnibus nobis debet esse propositus. Nos habemus Regem Sanctissimum, & ideo credibile est, eum non conuocasse nos in hunc locum, nisi vt in existimatione nostra conseruanda, & Reipubl. utilitate promouenda, nos iuuet. Hoc regnum elegit nos procuratores: & omnium oculi in nos conuersi sunt, vt perspiciant, vtrum dignos tanto honore elegerint. Demus itaque operam, vt intelligant se spe sua non frustratos, & quanta maxima fieri potest cum industria, & circumspectione in ea incūbamus, quæ ad salutem & utilitatem omnium pertinere videbuntur. Non displicet mihi, quod ex nonnullis audiui, nimirum hoc negotium successio[n]is Deum sibi in cœlo diiudicandum reseruasse: vt amur hoc consilio, imploremus omnes misericordiam diuini numinis, præparemus nos non secus, ac si finis vitæ nobis imminaret, obliuiscamur omnium rerum terrenarum: quod si faciamus, ego vobis nomine ipsius polliceor, fore, vt non minus hic, quam in ciuitate cœlesti, nos tamquam dilectos soueat, atque complectatur. Ego vobis multum tribuo: vosque rogo, vt, si propter peccata mea, me titubare, & ne veri Lusitani nomen amittam, periculum esse videritis, me sustentetis, ac fulciatis, ne hanc tantam iacturam faciam. Semper enim paratissimus ero sequi ea, quæ à vobis statuta fuerint. Hæc verba, quæ dicta fuere maiori cum fero[re], quam eloquacia, exhilararunt complures ex oratoribus qui metuebant, ne Phœb. contrariæ factio[n]i studeret. Itaque, distributis officiis, proposuerunt, quandoquidem vrbs Lisybona, cum ex Doctoribus quibusdam quæ siuisset, num sibi soli, tamquam primariæ Regni totius ciuitati, ius eligendi Regem competenter, responsum accepisset, negotium hoc ad vniuersum Regnum spectare: recte ordines facturos, si priusquam à Rege ullum mandatum acciperent, ab eo licentiam peterent ius eligendi Regis sibi vindicandi. Quod cum ab omnibus approbatetur, miserunt duos procuratores, qui Regi petitionem ordinum indicarent. Ceterum illi ridenti vultu, & verbis ambiguis excepti, nihil aliud renuntiarunt, quam postero die Regem ordinibus responsum daturum. Interim autem dum hi duo in consilium reuerti referunt, quid effecissent, paulo post iussu Regis illos subsecutus est Episcopus Antonius Pignerus, & nomine Regis indicauit, conuentus ordinum tanto cum incommodo institui: & res, de quibus in illis agendum esset, tam momentosas esse, vt & quum esset celerime iugulum cause peti, multis rebus leuioribus omissis. Regem Hispaniæ statim initio Regni Henrici petiisse, vt regni successor declararetur, propterea quod, exquisita multorum iurisconsultorum tum Hispanorum tum exterorum sententia, certo statueret sibi hæreditatem illius deberi: Regē vero semper respondisse, causam diligentius cognoscendam, & reliquorum etiam competitorum rationes audiendas esse: ipsumque hoc modo Philippum detinuisse, donec & ipse disceret, quisnam iure ad successionem vocaretur. Cumque hoc iam Regi compertum, & controversiam inter regem Castellæ, & Ducissam Braganciæ verti notum esset, illum intelligere, si hæc declaratio, ordine iudiciali obseruato, per sententiam fieret, facile inde aliquid incommodi & damni Regno multis iam periculis exposito, creari posse. Regem itaque non videre, quomodo rectius subditorū tranquillitat consuli possit, quam si hæc controversia finiatur, interposita transactione, eum in casum, si Rex ante Philippum moriatur. Hoc enim modo optime saluti Regni prospici, & competitori, qui optimam omnium causam fouveret, satisfieri posse. Et licet adhuc res dubia esset, tamen hanc viam Regi tutissimam videri: id quod omnes illos etiam intelletueros speraret, qui rem diligenter expenderent. Cumque hoc negotium tanti esset momenti, Regem voluisse illud cum omnibus communicare, vt de ipsorum sententia statueret, quid hac in parte, & gloriæ Dei, & saluti Regni maxime conueniret. Regem ipsi diligenter commendare negotium, & velle, vt, postquam animo sedato, & oculis tantum ad gloriam Dei, & utilitatem Regni directis, illud tractassent, & expendissent, statim sententiam suam ipsi exponerent. Hæc oratio totum confessum perturbauit. Expectabant enim responsum à Rege, vtrum illis regis electionem permittet, nec ne. Cum itaq;

animaduerterent, tractari de negotio pene confecto, constituerunt missis illis, quæ Episcopus dixerat, denuo per internuntios responsum, ad suā petitionem à Rege flagitare: quod quamvis fecissent, tamen non plus, quam antea, obtinuerunt: imo Phœbo Monizio (qui inter ceteros ad Regem missus fuerat) fortasse liberius, quam par erat, loquente, Rex, non sine insignis patientiæ exemplo, dixit, sibi videri Phœbū venisse ira inflammatum. Subiecit Phœbus, se merito irasci, propterea quod Regia Serenitas Regnum ad Castellanos transferre conaretur, quod si ad aliquem Lusitanum quicunque is tandem esset, perueniret, omnes acquiescere velle. Postero die rediit Episcopus in consilium, &c., nulla data ad procuratorum petitionem responsum, indicauit ad Regem delatum esse, nonnullos ex illo confessu perperam intellexisse id, quod de transactione Regia Serenitas dixisset, perinde 10 ac si transactio inter Regem Castellæ, & Ducissam Braganciæ instituenda esset. Cumque res longe aliter se haberet, visum esse Regi necessarium, perspicue ordinibus ostendi, transactionem, quam cuperet promouere, tantum respicere Regem Castellæ, & hoc Regnum: & dicere ius esse dubium, tantundem esse, ac si diceretur, sententiam pro Rege Philippo iamiam esse pronuntiandam. Hortari itaque Regem eos, ut considerent, quanto satius sit finiri litem transactione, quam per sententiam: monere, ut diligenter cogitent de his, quæ ipsis indicari curasset; æquum esse, cum res tam ardua sit, & de qua salus Regni dependeat, eam ab omnibus probe intelligi. Cum discessisset Episcopus, complures ex procuratoribus ira accensi, cœperunt criminari Episcopum, quasi Philippi partibus studens, iniussu Regis orationem superiorem ad eos habuisset. Neque enim esse credibile, Regem ipsis talia mandata dedisse. Multi in conuitia proruperunt, & multi, antequam Episcopus finem dicendi fecisset, eum interpellare tentarunt, quod suspicarentur Regem parui pendere Consilium, quod ne quidem responso dignaretur: imo non dubitarunt adfirmare, cum non posse esse iustum iudicem in illa causa, propterea quod iam animus suum satis declarasset. Verum cum cogitassent sibi parendum, si confiterentur Regem pronuntiasse ut Regem, & iudicem simul mutata sententia, dixerunt eum nondum quidquam declarasse, propterea quod rem adhuc pro dubia haberet. Miserunt ad Consilium Ecclesiasticorum & nobilium, qui indicarent, quid ipsis evenisset, & simul de hac re apud illos conquererentur: institerunt tertio apud Regem pro responso: Rex se mox ipsis satisfactum respondit, simulque postulavit, ut ne grauarentur paucis ex ordine suo delectis rei decernendæ 30 facultatem committere. Reculaverunt hoc procuratores, veritate à competitoribus adeo potentibus arbitrii vel vi oppugnarentur, vel aliqua alia ratione corrumperentur: & tādem se nec pacisci, nec transigere vlo modo cum Castellanis velle aperte professi sunt. Cum autem Rex Henricus videret procuratorum in flagitando responso pertinaciam, neque eos vel ad transigendum, vel ad negotium paucis comittendum adduci posse, veritus ne, si sententiam pronuntiaret, calumniis illa obnoxia esset, constituit, ut breuitati consuleretur, omnibus quæ ante dicta fuerant, in pauca conjectis, desiderio ipsorum satisfacere. Tertio itaque misit ad Consilium Episcopum, qui cum meliori, quam ante, auditorum gratia, dixit, quandoquidem non probaretur ipsis transactio, quam nomine Regis ipsis propulsisset, Regem nullam amplius eius mentionem facturum, sed facere illi copiam allegandi rationes, propter quas ius eligendi Regis sibi competere existimarent, hac tamen lege, ut intra bidui spatum argumenta sua proponerent. Procuratores hoc responso exhilarati, miserunt qui Regi omnium nomine gratias agerent, simulque peterent ab eo licentiam monumenta quædam antiqua ex Archiuo depromendi, vna cum termini prorogatione. Temporis prorogationem Rex denegauit: monumentorum depromendorum arbitrium magistratui superiori permisit. Concepserunt ex hac concessione Lusitani spem magnam, Regem suo arbitratu eligendi: & nonnulli iusto festinantiores professi sunt se cuius potius, quam Castellanis, imperium delatueros: idque non tantum plebeii, sed etiam complures ex nobilitate: quorum nonnulli, quod nimis euidenter animos suos ad seditionem proclives declarassent, ex Consilio exclusi fuerunt: cum interim illi, qui ad Regis Henrici voluntatem se accommodabant, præter missa ministrorum Hispanicorum, etiam ab ipso Henrico munib[us] & beneficiis adficerentur. Competitores Regni ægre ferebant, Henricum in partem Castellanorum propendere: quidam ex iis conquerebantur, reliqui dissimulabant, Dux Brabantæ valde iuri coniugis suis confidebat. Episcopus Parmensis in Consilium ingressus vehementer de Rege publice conquestus est: cui Emanuel Sosa sapienter respondit, non esse, quod me ueret, quia Rex nihil nisi iustitiae, & æquitati consentaneum statuturus esset. Rebus ita stantibus, vites Regis adeo fractæ erant, ut èlecto surgere non posset, & certissima mortis imminentis documenta daret. Nihilominus tamen usque ad extremum spiritum numquam destitit in cumbere in ea, quæ necessaria esse videbantur.

videbantur. Hoc tempore visum fuit Duci Braganciæ vocare Catharinam vxorem suam
 Almerinum, ut regem inuiseret, suisque persuasionibus apud eum efficeret, ut heres re-
 gni declararetur. Non nimium autem placuit hoc consilium Henrico, cum quo locuta est
 Ducissa liberrime: Cuius aduentu, & propterea quod iisdem diebus Archiepiscopus Ebo-
 ranus, patruus ducis, canonicatum illius Ecclesie, ob redditum magnitudinem fructuoso-
 sissimum, Paulo Alfonso concellerat, illi qui Regi Catholico addicti erant, nec mores hu-
 ius doctoris, nec quam religiose iussa regum exequenda sint, norant, criminati sunt eum
 quasi non egisset cum Ducissa ita ut in mandatis ab Henrico acceperat. Henricus cum at-
 tigisset vltimum diem Ianuarii, circa noctem intempestam expirauit: & fuit res admira-
 tione digna, illum cœpisse animam agere sub ipsum principium Eclipseos Lunæ, exacte in
 illud tempus incidentis: & eadem, finiente Eclipsi, exhalasse: perinde ac si illud signum
 cœleste in illius corpore tanquam viribus fracto, hoc subito efficeret quod in robustiori-
 bus aut omnino non potest, aut saltem non nisi progressu temporis, ut Astrologi volunt.
 Et sane hora illa obseruata dignissima fuit, quia eadem Henricus ante 78. annos in lucem
 editus fuerat. Monachi qui morienti adfuerunt, commemorant illum nunquam loqui
 desisiisse: rogasse circa decimam, quora hora esset: cumque illi responsum fuisset, dixisse
 se velle parum per quiescere, sed tamen iussisse se ante vndecimam excitari: dehinc in alte-
 rum latus inclinatum, aliquandiu ita iactuisse, donec a monachis vocatus, iterum quæsi-
 usset de hora: & cum vndecimam auditam esse intellexisset: ibi illum dixisse, porrigitem
 hi istam candelam, hora mea venit: & ita candela manu apprehensa, paulo post expirasse,
 cum menses septendecim imperasset. Hic fuit ultimus regum Lusitanie, quorum linea
 masculina vna cum eo extinta est. Et ut primo Lusitanie domino (quantumuis Comiti
 tantum) nomen fuerat Henrico: ita etiam postremus fato quodam idem nomen sortitus
 fuisse videtur. Fuit corpore gracili brevi statura, & facie minuta: ingenio erat mediocri
 & beneficio linguae latinæ ad aliquam eruditionem peruenierat. Semper habitus fuit ca-
 stus: nec vlla alia re hanc angelicam virtutem maculauit, quam vxorem ducendi deside-
 rio, quo sub ultimos vitæ annos affici ceperat. Inuenit nomen tenacis dando potius quam
 negando. Negabat enim raro, sed dabat parcissime: cupidus imperii tum Ecclesiastici,
 tum politici: amantissimus religionis, & fidei: veruntamen asperitate in moribus mona-
 chorū & vestalium censendis modum excedebat. Fuit Episcopus, Cardinalis, Guber-
 nator regni, Pæses Inquisitionis, Legatus Apostolicus & Rex: sed quo altius ascenderet, eo
 magis iudicij inopiam detegebatur, propterea quod in superiorum officiorum administra-
 tione omnia à ministris suo arbitratu geri passus erat, & grauissime de successione contro-
 uersiæ finem imponere nesciuerat. Opiniones semel conceptas tenacissime animo impri-
 mebat: conseruabat perpetuo iniuriarum memoriam: vnde siebat, ut interdum in iudi-
 cando & exequendo affectibus indulgeret. Qua de causa monachus quidam, cui onus vi-
 tam austriorem amplectendi imponebat, dixit, se ei obtemperaturum, quandoquidem
 sibi contra tale mandatum nullum auxilium humanum superesset. Henricum enim habe-
 re voluntatem hominis, auctoritatem Papæ, & executionem Regis. Ad summam fuerunt
 in eo multæ, & magnæ virtutes: pauciora & minora vitia: sed tamen virtutes, & vitia red-
 debantur quodammodo paria hac ratione, quod virtutes erant clericis, vitia principis. In
 tota vita illius multi metuerunt, amarunt pauci. Itaque nemo inuentus est, qui mortem
 ipsius defleret: quæ acerba fuit tantum iis, qui boni publici amantes voluissent hinc suc-
 cessionis ante mortem illius finiri. Hæc acciderunt Almerini, vbi statim conuenerunt
 supra nominati quinque gubernatores, ut quæ re esse viderentur, statuerent. Vt ebantur
 autem titulo gubernatorum, & defensorum regnum Lusitanie. Verum initio post
 mortem Regis tam Almerini quam Llybonæ expectabatur populi seditio, & ipsi gubernatores,
 ac ministri Hispanici metuebant. Oderant conuentum procuratorum regni, qui
 durabat adhuc Sanctarenæ, tum quod illi consilio, tanquam superiori, se obnoxios esse
 ægre ferrent, tum quod ex illo facile tumultus alicuius occasio nasci posse videretur. Itaq;
 cooperunt procuratoribus verba dare, cum ipsi fortasse longe aliud animo agitarent. Quam
 ob causam miserunt ad eos Martinum Gonzalezium de Camera, sacerdotem nobilem,
 qui tempore Sebastiani in regni administratione tenuerat primum locum, quem tamen
 sibi conseruare nesciuerat. Etsi enim non erat diuinitarum auditus, & summae integritatis;
 tamen erat tam asper & difficilis, ut vulgo pro inexorabili haberetur. Miserunt hunc, ut potes-
 hominem popularem, & Regi Philippo parum amicum: cuius verba plus fidei, quam reli-
 quorum, habitura esse arbitrabantur. Martinus enumeratis sigillatim mortis regis cir-
 cumstantiis, dixit gubernatores superioribus Comitiis electos initium facere administra-
 tionis, & operam dare iis, quæ re regni esse putarent. Quamvis autem incomparabilem

iacturam propter Regis Henrici mortem fecissent tamen in cœlo, vbi esset, eum pro subditis suis intercedere; nec dubitare eos debere, quin gubernatores eo, quo par erat, cum seruore, & patriæ amore diligentiam adhibituri essent, vt tum Regno in electione Regis, tum vnicuique competitorum ius suum tribueretur. Præterea omnia instrumenta, & monumenta, quæ peterent ex Archiuo, ipsis concessum iri: gubernatores eos hortari, vt sedate, & vnanimi consensu negotium tractarent, nec vel minimum motum in cuiusquam priuati gratiam fieri finerent: gratum denique gubernatoribus fore, si, vt omnia eo rectius administrare possent, ab ipsis monerentur de iis, quæ quam maxime ad salutem regni conducere iudicarent.

Cum finē dicendi Martinus fecisset, & ceteri tacerent. Phœbus Moniziūs respondit, illos non fugere, ex quinque gubernatoribus tres esse suspectos, propterea quod, cum Rex ordines, vt in transactionem cum Philippo consentirent, tentaret, ipsi non tantum Henrico ad stipulati essent, verū etiam vt hoc consilium ordines sequerentur, institissent, summe que illud commendassent, nihil aliud spectantes, quam vt & morem gererent Regi, & priuata commoda augerent. Quod cum ita se haberet, & quum non esse, vt Gubernatores ad eo suspecti reciperentur: imo nullo modo illis obediendum, sed alios in eorum locum substituendos. Et hanc esse vnanimem omnium sententiam. Subiecit Martinus sibi non videti constitutum, vt quidquam mutarent, nam si hoc facerent, fore, vt non tantum præsentem rerum statum non emendarent, verum etiam pericula periculis, & incommoda incommodis cumularent. Præstate itaque moram aliquam interponere, & si deinceps gubernatores officium non facere animaduerterent; tum illos commodissime vti posse eodem hoc remedio, quod semper in promptu essent habituri. Quantumuis autem Phœbus regeret, remedium non semper fore ad manum, quod Comitia diutius durare non possent propter sumptuum magnitudinem; tamen rationes Martini Gonzales itantum ponderis habuerunt, vt convenientibus suffragiis decerneretur deliberationem de mutandis gubernatoribus, tanquam rem mali exempli & non expertem periculi omittendam esse. Veruntamen procuratores vti voluerunt ea quam gubernatores concederant, potestate, de rebus ad remp. spectantibus illos admonendi: & statim conscriperunt nonnulla capita, quæ ab illis obseruati volebant: nimirum, vt reliquo Almerino, se conferrent Sanctarenam tanquam locum vicinorem, quietiorem, & tutiorem: vt dimitterent milites, quot alebant, vt sumptus non necessarii euitarentur: vt mitterent legatos, qui Regi Philippo indicarent illos, tanquam gubernatores regni, iustitiam sincere administratores, omnibus de successione controvrientibus, rogare, vt rex sibi hoc persuadeat, nec permittat, vt in Hispania quidquam noui contra Lufitanos tentetur, vt quamprimum arcibus, & propugnaculis regni tam maritimis quam mediterraneis, de præfectis spectatæ fidei, milite, commeatu, ceterisque rebus necessariis prospicerent: vt in singulas prouincias mitterent virū aliquem auctoritate præstantem, qui subditos ad arma, si vsus veniret, capienda, & ad loca periculis exposita defendenda, compelleret: vt mitterent duos legatos ad Papam, qui eum docerent de morte Regis & de electione gubernatorum regni, qui illud cōtra omnes, vim iniustum parantes, & sententiam de successione paulo post ferendam violantes, propugnaturi essent: Papam item rogarent, hortaretur per literas Regem Philippum, vt ab armis abstinenſ se sententiæ paritum esse promitteret. Instabant, vt curarent inquiri, tam in eos, qui in hoc successione negotio pollicitationibus pecuniæ, & dignitatum animos hominum sibi adiungerent, quam in eos, qui se corrupti paterentur, quorum magnum numerum esse intelligerent. Ad hæc responderunt gubernatores, se breui Almerino discessuros, sed non expedire indicari, quo cogitarent: veruntamen se hac in re voluntati Lisybonensem satisfacturos, Negarunt se dimissiuros militem prætorianum, quia conscriptus fuisset à rege Henrico ad aulæ, & competitorum defensionem. Cum nonnulli detrectas sent legationem Castellanam: tandem tamen electum fuisse Casparem Casalium, Episcopum Coimbriensem, & Emanuelem Melium, qui iam ad iter se accingerent. Edixisse se vt Capitanei in sua quiske arce habitent: & arcib. tam ad flumen, quam in locis mediterranicis sitis, quæ nullum habebant, de præfecto, & de armis prospici. Non videri sibi necessaria legationem ad Papam mitti: Sin vero Rex Philipus arma capiat, tum se à Pontifice petituros, vt pro more partes suas interponat: deniq; seuerissime se animaduersuros in eos, quos corruptioni vel operam dedisse, vel locum reliquise deprehenderent. Interea ministri Hispanici, qui regem Philippum de Henrici morte certicrem fecerant, Almerini nō sine tumultu alicuius metu viuebant. Sed populi illi seruituti duræ assueti, & libertatis omnino expertes, nihil noui tentarunt. Dux Bragancia significauit gubernatorib. se paratum esse obedire, & petere, vt sententia in successione negotio quamprimum pronuntiatur.

retur. Misit ad Ducem Ossunensem, & reliquos ministros Philippi, qui indicarent, non esse, quod quidquam metuerent: nihil subesse periculi, & Ducem Braganciz illos in easdem, in quibus diuersabatur, ædes recipere paratum. Idem fecerunt gubernatores.

Dum hæc fiunt Almerini, Antonius Prior Cratensis, qui moriente Rege, nō procul inde aberat, equis celeribus Lisybonam contendit, & in horto quodam, muris ciuitatis vicino, sublîstens, Magistratui Camerali, multisq; aliis hominibus primariis scripsit, se adesse, & petere, vt ad te exspatiari non grauarentur. Magistratus, re cognita, ægre hoc tulit. Priorique iniunxit, vt discederet. Sed ille parui hoc faciens, nihilominus complures ex suis in urbem, & vicina oppida dimisit, qui regem mortuum esse, & Priorem illos in vicinia expectare dictabant. Sperabat nimirum Prior populum ipfius amore impulsum, magno consensu eum regem esse proclamaturum: & huius vrbis, tanquam præcipuæ, exemplum subinde reliquas passim imitaturas, à quibus se amari non ignorabat. Veruntamen mox intellexit, spem suam vanam esse, id quod eauctiores reddere debet eos, qui in aura populati multum fiduciae collocant. neque enim vel vñus inuentus fuit, qui ad ipsum accedere auderet, nisi furtim. Nam ex nobilibus nemo erat in urbe, partim propter pestem, partim etiam, quia de industria aberant: Christianis nouis (quorum maximus est numerus) animus deerat, & quia sunt opulent, holebant se vlli criminis aligare, propter quod postea bonis exui posse: plebi vero per se meticulosæ deerat auctor, & Dux: ita vt Prior, postquam varios, populi animos pellicendi modos tentasset, & nihil sibi succedere videret, diebus aliquot ibidem consumptis, in monasterium Belemense se receperit: vnde scripsit ad consilium ordinum, verbis, tempori potius accommodatis, quam animi sui sensa exprimentibus. Dicebat se, cum de morte regis, Domini sui certior fieret, simul etiam intellexisse corpus ipsius Belemum deportari: Se itaque eundem in locum profectum, corpus, postquam ad illud comitandum nimis sero venisset, ibi expectare, debitumq; & ultimum patruo, vt par erat, honorem & officium præstare constituisse.

Ceterum, cum deinde intellexisset consilium mutatum fuisse, se tamen, quod poterat, fecisse, ac monachos illius monasterii in exequiis, & Missis celebrandis, & precibus pro rege defuncto concipiendis adiuuiste. Addebat se, tanquam verum Lusitanum, & non ignorantum, quantopere sibi, talis aui & patris nepoti ac filio, tranquillitas & salus regni curæ esse deberet, voluisse illis significare, se paratissimum esse, non tantum in futurum pro patria vitam exponere, & legibus, quæ ab illis sancirentur, obedire, verum etiam in omnibus rebus præsentibus mandatis ipsorum debitæ cum submissione per omnia obtemperare. Quin etiam paratum se esse ostendere innocentiam suam, & quam remotus esset ab illis criminibus, quæ in sententia à patruo prolatâ sibi imputarentur: simulq; demonstrare ius suum, quod sibi in coronam competere ab aliis intelligeret. Dicebat se propediem manibus, & protectioni ipsorum seipsum commissurum, ea cum fiducia, quam in viris, singulati Dei prouidentia, turbulentissimo illo tempore ad regni curam, & consuetudinem electis, sibi merito collocare posse videretur. Reliqua se Ludoico Brito coram exponenda permettere. Ad has literas (quas procuratores acceperunt, dissuadentibus quibusdam) adiunxit Britus (qui illas reddiderat) Priorem breui ad futurum: petere, vt se certiorem facerent, quo in loco illum potissimum diuersari vellent. Responderunt procuratores licere ipsi venire, quandoconq; vellet: quatum ad hospitium, se nihil illi præscribere, sed rem totâ ipsius arbitrio permittere. Veruntamen, fere omnib. in vniuersum ipsius aduentus non erat ingratus. Venit autem paulo post, & statim bulla, qua Papa sententiam differri iusserat, exhibita, in staurauit actionem de legitimitate sua, qua non definita, de successionis negotio nihil certi statui posse dicebatur. Fouebat interim optimam spem obtinendi à consilio id, quod prius se à populo Lisybonensi imperaturum esse putauerat. Conveniebant procuratores Sanctarens singulis diebus, sed ita, vt nihil pene, quod alicuius momenti esset, decernerent: consumperunt aliquot dies, tum in mittendis nonnullis, qui ipsorum nomine competitores salutarēt, & de administratione iust. tia bene sperare iubebant: tum in excipiendis, audiendisque illis, qui competitorum nomine ipsis pro tam beneficio animo gratias agerent. Et hæc in re omnes quidem in vniuersum magnum libertatis patrum amorem in speciem p̄ se ferebant, in primis vero ii, qui minime omnium illam amabant. Quia vero iri Almerinum & rediri non poterat, sine magno incommodo, quod flumen, ponte non constratum, natiibus transiendum esset, vnde fiebat, vt, & ea quæ occurrerant, cum Ecclesiastico, & nobilium ordine communicando, & cum gubernatorib. tractando multum temporis insumeretur, in consilio propositum fuit è re esse, vt vniuersi in unum locum coirent. Sed hoc obtineri non potuit, siue quod multis procuratorum p-

cunia in sumptus quotidianos deficere inciperet, siue quod potius divisionem, quam vniuersitatem expeterent. Dicebant se abituros, quia à ciuitatibus sumptus necessarii ipsis non submissarentur. Verum ne licentia discedendi ipsis data est, nec pecunia suggesta. Baldasar quidem Feria, procurator Barcellensis, Prior Ecclesie Sancti Stephani, & Episcopus Pamensis, quisque pro se pecuniam obtulerunt iis, qui ea egerent, ne conuentus diffueret. Sed tamen procuratores, à nummis minus instructi eam accipere recusarunt, quod nolent se priuatim obstringere pro eo, quod ciuitates publice subministrare tenebantur. Præterea in hoc conuentu erant factio[n]es varie, & pauci Regi Hispanie fauebant: multi ne-sciebant, quid sibi vellent: magna pars addicta erat Priori: sed omnes in vniuersum metuebant gubernatores, neque eorum actionibus fidebant. Itaque ultra admonitiones, quas singulis diebus ipsis inculcabant, vrgebant executionem, addebat prioribus petitionibus nouas, & ante omnia instabant, vt milites dimitterentur. Petebant ab iis exemplum auctoritatis, siue commissionis, quæ ab Henrico acceperant, & illa verba testamenti Henrici, quæ ad negotium successionis spectabant: quæ omnia ipsis concessa fuerunt. Confectum fuerat testamentum octo mensib[us]. ante, & inter cetera continebat hæc verba. Quædoquidem hoc tempore, quo testamentum condo, nullos habeo liberos qui directo mihi possint succedere: propterea nepotes meos citaui, qui aliquid iuris in coronam habent, & operam dedi, vt causa in iudicio legitime cognoscatur. Non nomino autem iam mihi successorē sed succedet mihi ille, ad quem iure hereditas pertinet: Et hunc constituo heredem & successorem, nisi ante mortem meam declarauerero, quisnam sit, cui hoc ius competit. Itaq[ue] mando omnibus regnorum meorum subditis cuiuscunque conditionis sint, vt tales successorem à me, vel à iudicib[us]. ad hoc electis nominatum statim pro herede, & legitimo successore agnoscant, & vt tali obediant. Postea sequebantur multa alia verba, quibus iustitiam & religionem commendabat, quæ ad propositum non pertinent. Quanquam autem hæc esset testamenti sententia, tamen rumor fuit regem morti vicinum, voluisse illud mutare, & Regem Hispanie successorem declarare, sed gubernatores ad regni clauum aliquandiu sedendi cupiditate ardentes illum impediuisse: quod diceret, siue declararet siue non declararet Philippum successorem: tamen neminem alium, præter illum, regni sceptru consequi posse, siue quis ius siue vires eius spectaret: Verutamen non esse è re, illum successorem declarari, vt Lusitani eo melioribus conditionibus cum eo pacisci possent. Quin etiā multi credunt, illos Regi declarationem dissuasisse, non tam propter superiores rationes, quam quod metuerent, ne quid populus aduersus eos tentaret, quod verisimile erat fore, vt declaratio de ipsorum consilio facta fusse crederetur. Expressabatur in eodem testamento, quibus limitibus gubernatorum potestas eslet circumscripta, nimirum eos non posse creare Duces, Marchiones, Comites, Barones, Episcopos, Archiepiscopos, neque concedere villam Commendam, quam vocant, neque redditum, qui summam centum viginti quinque aureorum excederet: veruntamen tempore belli illos liberam habere potestatem faciendi, & dandi: veruntamen cum consensu consilii & nota aliter. Cum Procuratoribus harum rerum communicatione satisfactum, & ipsi rationibus pro iure electionis allegandis intenti essent, die quodam orationem habuit Stephanus Lopezius Doctor, & procurator Portalegrensis, qui cum in initio monuisset, non posse Deo Opt. Max. satis magnas gratias agi pro pace, & tranquillitate, qua eos fruisneret, subiecit, non esse necesse, tot procuratores tam diu in uno eodemque loco hærere, cum tantis incommodis & sumptibus: feligendos esse potius ex omnium numero paucos, ceteros domum dimittendos: & quoniam intelligebatur regem Hispanie arma sumere, cognitionem litis de successione suspendendam, donec rex desisteret ab armorum, & belli apparatu. Alioqui enim metu armorum impendente, futurum, vt libere nec iudices cognoscere & promuntiare, nec competitores ius suum allegare possint. Dilata autem causæ cognitione, paulo post fore, vt liqueat, velitne Rex Philippus deponere arma, nec ne: Si arma suspen-dat, hoc commodi ad Lusitanos inde redditum esse, vt interea spatium habeant prospiciendi sibi de rebus necessariis, & percipiendi redditus annuos: competitores etiam reli-quos quieturos, nec quicquam moturos esse. Sin vero minus (id quod de Principetam pio tamen non sit facile expectandum) tum Lusitanos certi aliquid habituros, & competitores, ac ordines regni, iunctis viribus eo melius hostis vim repulsuros. Semoto ad tem hoste, & motibus sedatis, tum posse commodè decidi item, Rege Hispanie tamet prius declarato incapable, vt pote qui, cum iudicio agere ipsi liceret, vi horum regnum im-perium occupare tentauerit, idq[ue] legibus, & iure ita suadente. Interea è re esse, vt competitores iubeantur viuere in diuersis locis, vnius Eluis, alter Begie quæ loca sunt prope li-mites regni exacto ab ipsis iuramento fore, vt alter contra alterum nihil machinetur. Con-

filio

filio huius Doctoris tanquam hominis exigua auctoritate prædicti, non fuit datus locus: imo cum hoc consilium, & reliqui duo ordines communi consensu sex procuratores Almerinum, qui cum gubernatoribus de rebus grauioribus tractarent, mittendo censuerunt: data ipsis fuerunt mandata à superiori admonitione plane diuersa, nimirum, vt gubernatores, traecto flumine Sanctarenæ viuerent, vt instituta lustratione inquireretur, satisne armis, & commœtu instructa esset, & quothomines ad defensionem idoneos vrbs Lisybora haberet: & si minus ab his rebus parata esset, vt de illis quamprimum ei prospiceretur: vt declararentur nomina præfectorum, quorum curæ propugnacula ad Tagum sita commissa erant: & si de fide, & virtute illorum dubitaretur, vt alii in eorum locum substituerentur, & præsidio, ac aliis rebus necessariis arees instruerentur: vt per totum regnum arma distribuerentur, & subditis iis tractandis se exercere iuberentur: vt peterent perlitas à Papa, vt per nuntios suos omnes competidores adhortaretur, vt iure agerent, & ab armis abstinerent sub poena excidendi omni iure, & actione sua. Præterea Emanueli Portugallo, inspectori arcium regni volebant restituī officium, à quo per regē remotus fuerat, item Iacobo Salemæ, & Aluarō Moraisio, quib. cum essent Camerales Lisybonenses, dignitas adempta fuerat. Et quia videbant se à multis rebus imparatos, volebant in omnibus portibus detineri naues omnis generis, vt per eas res ad bellum necessariae importari, & transportari possent. Verum ad has postulationes, vt & ad omnes fere reliquias respondebant gubernatores frigide, dicentes, quoniam essent res arduæ, se de iis deliberaturos, & postea illis significaturos, quid consilii captum esset, & quid ageretur. Viuente adhuc Henrico Xatiffus Hametus rogatu Regis Philippi liberum dimiserat Ducem Barcellensem, qui Lusitaniam versus tendens, traecto freto appulerat Gibel terram, vbi, vt & in oppido Sancti. Lucaris Dux Medinæ Sidoniæ (ad quem illa loca pertinent.) eum honorificentissime exceptum ibidem ludis, & iocis aliquando detinuit: cumq; interea nuntius de morte Regis Henrici allatus esset, existimauit Dux Medinæ, interesse regis Philippi, habere in potestate Ducem Barcellensem (tanquam primogenitum Ducis Braganciæ, & Catharinæ, quæ ad regni successionem aspirabat) donec lis decideretur. Itaque ludos & spectacula, quæ hactenus liberalitate, & magnificientia quadam ductus iuueni exhibuerat, ob hanc alteram causam duplicitudine industria ipsum detinens, donec responsū à rege accepisset: ita vt iuuenis, dum modo ad hunc, modo ad illum locum contemplandum circumducitur, se quodammodo captiuum esse non animaduenteret. Verum cum Dux Medinæ aliquot illius carros, vna cum aurigis, sub prætextu ludos, & spectacula ipsi monstrandi, sisti curasset, paulatim Barcellensis, in custodia se detineri, animaduenteret: & ad patrem in Lusitaniam scripsit, non esse, quod se breui exspectaret: nolle se detentionem suam, vel tantillum præiudicare iuribus regni: & se iustitiam longe vitæ suæ anteponere.

Has litteras cum pater in Lusitania accepisset, misit illas ad consilium Procuratorum, & dolorem quidem magnum se ex filii captiuitate percipere significauit. venturam non minori voluptati sibi esse, quod ille in ætate adeo tenera patriæ tam amans esset, seque, si opus sit, paratum esse illum pro salute regni tanquam victimam quandam sacrificare. Verum intra paucos dies Dux fuit hoc metu liberatus. Cum enim scripsisset filio, vt serio, aut discedendi licentiam à Duce Medinæ peteret, aut vt aperte declararet, num eum in custodia detinere constituisset, necne statim libere dimissus fuit: id que Regis Philippi mandatu.

Fama erat Philippum hac de re cogitasse multo ante, & non tantum in Africa, verum etiam in Hispania Barcellensem sifere potuisse: Verum ne Lusitanos offenderet, vel potius vt Ducis animum sibi conciliaret, primū libertatem illi in Africa obtinuisse, deinde ex Andaluzia sine ullo impedimento in Lusitaniam redeundi copiam fecisse. Ceterum, siue ipse Barcellensis, siue pater (ex cuius præscripto iter ita instituisse existimatur) in notam ingratitudinis incurrere visus est. Nam cum Philippus eum rogasset, vt in patriam reuertens in aulam suam diuenteret, propterea quod eius videridi desiderio teneretur: tamen (tantum possunt in animis principum controværia de regnis) spreta hac Philippi benevolentia recta Villauizosam contendit, veritus forte, ne denuo detinetur. Hæc geregabantur in Lusitania. In Hispania interim cum Rex Philippus de morte Regis Henrici certior factus esset, & ex ministris suis intellectus esset, animum Lusitanorum a se alienum esse, & Antonium, reliquosque competitores nihil sibi ad summam diligentiam teliquum facere: doluit res esse in eum, in quo erant, locum deductas.

Videbat enim sibi imponi necessitatem armis ius suum persequendi. Cum autem etiam in modo agendi conscientia sua rationem habere vellet, iam ante exquisie-

rat hac de re sententiam fratris Iacobi Chiauesii confessoris sui, ordinis prædicatorum, & nonnullorum aliorum ex præcipuis eiusdem ordinis. Verum cum nondum horum iudicia ipsi satisfacerent, nec in sola Dominicanorum opinione acquiescendum esse putaret, rem cum aliorum ordinum monachis etiam communicaturus, misit vnum ex ordine minorum, qui de toto negotio omnes paulo celebriores totius Hispaniaz Theologos consuleret. Quod cum ille diligenter fecisset, & quæstionem hanc non tantum præsulibus, & publicis ac ordinariis Theologiae Professoribus, verum etiam Jesuitis, & Franciscanis examinandam proposuisset, magno consensu omnes pronuntiarunt, cum ius regis adeo esset manifestum, & liquidum, illi nihil aliud agendum restare, quam ut illud regi Henrico (vt & fecerat) extra iudicium exponeret, deque eodem consilium regis edoceret, ceterosq; regni incolas, qui sincero animo veritati aures accommodarent: Utque tum his, tum aliis, quibus posset, modis amice peteret ac instaret, vt à rege Henrico successor declararetur. Sin vero hæc omnia debitum pondus apud regem, & subditos non haberent, Philippum satis suo officio fecisse: & armis possessionem occupare posse sine evidenti iure suo excidendi periculo propterea quod, vt dictum est, rex absolutus, & nullius iurisdictioni obnoxius esset, nec ulli, nisi soli Deo, causam suam probare. Regivero, & Regno ius suum tantum indicare teneretur. Et hoc caput dicebant postea omni dubitatione carere cœpisse propter mortem Henrici, interim securam. Et hanc ob causam neminem iam esse in vniuerso terrarum orbe, qui sibi ius in hac lite sententiam ferendi arrogare posset. Nam nec ad Papam hoc spectare, propterea quod esset quæstio de re mere temporali, neque, vllæ circumstantiæ hic concurrent, quæ interdum in temporalibus iurisdictionem Papæ tribuunt: nec ad Imperatorem, quem nec Castellæ, nec Lusitanæ regna recognoscere: multo vero minus ad quosdam iudices ab Henrico datos. Nam non tantum Henricum non potuisse iudices eligere, qui post mortem ipsius iudicarent, verum etiam eosdem iudices esse subiectum litis, vt pote de quibus esset controversia. Præterea regem seipsum inhabilem reddidisse, cum se partem constitueret, & simul successoris nominandi ius sibi assereret: denique, his omnibus cessantibus, tamen neminem esse Lusitanorum, quin in hoc negotio, propter publicum in Hispanos odium, iure optimo recusari posset. Censebant etiam eum non posse cogi in arbitrum compromittere. Præterquam enim quod vix ac ne vix quidem tales homines inueniri possent, quibus res tam momentosa, tam periculosa, tot suspicionibus obnoxia tuto committeretur: arbitrium etiam non habere locum nisi in causis dubiis: dubias autem causas esse, cum aduocati aut doctores titubant, nec diserte pro alterutra parte pronuntiant, propterea quod etiam pro parte contraria rationes æque validæ militant. Verum cum in hac quæstione ad vnum omnes consentirent, illam nec dubium, nec arbitrium recipere. Rex itaque cum constituisset, si sponte sua Lusitani illum non admitterent, vi possessionem apprehendere, se ad bellum parabat. Scripsit ad gubernatores, ad tres ordines & ad quinq; primarias regni ciuitates, in eandem fere sententiæ, sed verbis nonnihil diuersis. Flagitabat ab omnibus (post doloris ex morte Henrici percepti significationem) vt se admitterent ad regnum, & iuramentum sibi præstarent, vt pote quem verum heredem esse Henricus rex agnouisset, & declarasset. Ordini nobilium, & præsulem gratias agebat, quod se tam promptos præbuissent, cum Rex Hentricus iudicasset successionem ad ipsum pertinere. Deferebat suam benevolentiam omnibus, & simul subobscure minitabatur. Gubernatoribus misit catalogum illarum rerum, quas tanquam ad libertatem & utilitatem regni magnopere facientes, Rex Henricus ab ipso petierat, addens, se multo plus concedere paratum esse, quam ille postulasset: & innuens, nisi morigeros se præstarent, fore vt vi ad officium faciendum adigerentur. Verum superiora omnia aut accepta, aut repudiata fuerunt, prout plus, minusve Philippo & qui erant. Gubernatores vero responderunt, senihil certi ante legatorum in Hispaniam missorum redditum statuere posse. Interim in locis maritimis conuenerant trifomes partim Hispanicæ, partim Italicæ ad sexaginta: quibus imperabat Aluarus Bassanus Marchio S. Crucis, in Lusitaniam, simulac per tempus anni liceret, cursum directurus. Nondum fuerat nominatus Imperator totius exercitus, & omnes magno cum desiderio illius electionem expectabant. Pauci erant, qui tanto oneri sustinendo pares esse iudicarentur. Dux Albanus communis hominum iudicio omnium aptissimus videbatur. Sed nemo erat, qui crederet Regem illum facile è custodia dimissurum.

Aspirabat ad illud munus Marchio Mondegarius, qui nuper Prorex Neapolitanus fuerat: & non deerant, qui existimarent eum voti compotem fore; & regem hoc modo animum illius, quem euocatione ex Italia nonnihil offendebat, placaturum.

Multi etiam in hanc cogitationem descenderunt ut putarent regem ipsum expeditioni
 interfuturum, tum quod illum tanto rerum Lusitanicarum desiderio flagrare cernerent:
 tum propter indicia nonnulla quæ hoc suadere videbantur. Nam Rex non tantum iusse-
 rat arma sua, & tentoria expediti, verum etiam iniunxerat Ferdinando Syluio, Comiti Si-
 fontino, magno Castellæ signifero, ut paratus esset vna cum vexillo regio, quod non solet
 in illis regnis, nisi soli turmæ, cui rex ipse interest, præferri. Sed verisimilius est, Regem
 nihil certi hac de re statuisse, sed iudicasse consilia necessitati, & occasionibus, progressu
 temporis sese efferentibus, accommodanda. Rebus omnibus ita pendentibus; Rex per
 quendam Secretarium consilii bellici scripsit ad Ducem Albanum, & ex eo quæsiuit, v-
 trum ipsi per valetudinem & vires expeditioni Lusitanicæ interesset liceret? Qui cum re-
 spondisset, se in negotiis ad regiæ maiestatis commodum spectantibus nunquam de va-
 letudine sua sollicitum fuisse, iniunctum ipsi fuit, ut intra triduum se pararet, & ad exerci-
 tum proficisceretur. Albanus regis mandato obtemperatus se cohtulit Baraias pagum
 decem miliarib[us] Madrido distante[m], neque villam in aulam veniendi licentiam obtine-
 re potuit. Quinimo (quod admiratione dignum est) cum Rex iis diebus filio Iacobo,
 principi Hispaniarum, iuramentum ab omnibus regni ordinibus, (adhibitis quidem solen-
 nitatibus solitis in facello quodam, sed minori cum splendore, & pompa quam pro more)
 præstandum curaret, non admisit ad iuramentum Ducem Albanum, quantumuis in vici-
 nia, & homo tantæ auctoritatis esset, neque cum illo quidquam de bello, nisi multo post,
 20 cummunicauit. Albanus itaq[ue] ad exercitum proficiscens, quod sibi forte nondum satis ex
 captiuitate liberatus videretur, dicebat se cathenis, & compedibus vincum à rege ad ad-
 quirenda regna mitti: Tanta erat Philippi severitas: tanta ministrorum primarii obedientia. Pla-
 cuit hac electio Albani toti Hispaniæ. Nam præterquam quod Dux hoc pacto ex car-
 cere liberabatur, militum Hispanorum virtus in utilis futura videbatur, si Duce, talibus
 militibus digno, destitueretur: Albano vero duce, etiam quemcumque exercitum suffice-
 re putabant. Creato Imperatore Albano, Rex quantum poterat, in negotiis expediendis
 properabat, vt eo citius iter Lusitanicum ingredi posset. Curauit priuatim baptizari filiam.
 quæ tum temporis ipsi nata fuerat: & post præstitum, vt dixi, filio ab ordinibus Hispaniæ
 iuramentum, (non vocato, nec interueniente Ferdinando Syluio, legato Portugallico, id-
 que non sine magna ipsius indignatione) Rex, inchoata iam quadragesima, Guadalupum
 profectus est, sub specie exequias regi Henrico in illo monasterio celebrandi, & inde ad fi-
 nes Lusitanicæ progrediendi, ut sua præsentia negotium vrgeret: quemadmodum scripsit
 ad omnes primarias Hispaniæ ciuitates. Discessit Madrido carpento insidens, & paucis
 comitatus, nullo mandato dato vel reginæ, velaulicis, vt subsequerentur. Tandem ta-
 men reginam (quod & valde illam diligenter, & quod rationi consentaneum, & signum hu-
 manitatis & mansuetudinis fore videretur, si vxorem vna secum in Lusitaniam introdu-
 ceret) post bidui iter confectum ad se euocauit. Interim Albanus Glierenam, vbi erat pars
 copiarum, peruererat, multoque minorem numerum militum, quam initio fuerat con-
 scriptus, inuenierat. Nam & incômoda, ac morbi multos absumperat: & astutia centurio-
 rum in causa erat, cur multa loca vacaret. Non erant in vniuersum, nisi 4500. Itali 3500. Ger-
 mani, 3000. Hispani, qui ex Italia venerant, & 7000. tyrones eiusdem nationis: ad hos ac-
 cedebant 1500. equites; & sane cum tanto tempore ante conscribi milites cœpissent, & de-
 te tota tam mature cogitatum fuisset, videbatur isti exercitus sati exiguus. Verum cum
 Albanus virtuti militum potius, quam numero sideret, maluisset habere pauciores, eosque
 exercitatos. Hi autem omnes ipsi inexperti videbantur. Ideoque Rex, ipsius rogatu, man-
 data dederat ministris Italicis, vt in Hispaniam mitterent milites, qui ex Belgico reuersi
 erant, quorum opera Albanus ibidem antea usus fuerat. Veruntamen hic cum nimis se-
 ro venissent, postea, unde veneant, redierunt. Dicebat Albanus, dummodo equitatu
 hostem superaret, se duodecim millibus militum exercitatorum hoc bellum confectu-
 rum: neque immensa Lusitanorum multitudo, quam quidam concursuram dicebant,
 multum ipsum mouebat. Sperabat enim se arte illos fatigaturum, & non tentata præ-
 illi fortuna superaturum. Guadalupum, vbi erat Rex, paulo post venerunt Episcopus
 Coimbrensis, & Emanuel Melius, legati gubernatorum Lusitanicæ: qui quo modo ex-
 cipiendi, & quo honore adficiendi essent, Rex & Consiliarii aliquandiu incerti ha-
 sitarunt. Quidam enim dicebant illos tractandos, ut subditos, nec adficiendos eo ho-
 noore, quilegatis deferri solet: alii contra, nihil in more, hactenus obseruato, esse mutan-
 dum. Ne itaq[ue] illi contristarentur, decretum fuit esse audiendos, ut legatos (quos excipiens
 Rex, caput ipse aperire, & mandata exposituros capita tegere iubere solet) quātumuis Phi-
 lippus iam ante Gubernatorib[us] scripsisset, se illorū Comisiarios tanquā subditos tractaturū:

Himultis verbis Regi persuadere conabantur, vt arma deponeret. Dicebant legati Regem Henricum maximo flagrante desiderio litem de successione natam, legitima cognitio ne adhibita, decidendi: sed hoc consilium fuisse interruptum illius morte: quam tamen ut præueniret, illum in Conuentu Ordinum regni anno 1597. Lisybonæ habito, non ratum gubernatores & defensores Regni elegisse: sed & ex 24. iudicibus quos ordines nominauerant, vnde cœm delegisse, qui sententiam diffinitiuam in causa successionis ferrent, si forte ipse lite adhuc pendente, moreretur, vt & postea euenit. Rebus itaque in hoc statu constitutis, Regnum esse pacatum, & promptum ad obedientiam præstandam ei, tanquam suo Regi, & domino suo; pro quo sententia pronuntiaretur, iuxta iuramentum, quod omnes ordines regni in eodem conuentu præstiterant, quodq; postea ab ipsis gubernatoribus in summo templo Lisybonæ (post apertam, qua catalogus gubernatorum continebatur, cœstam) exactum fuerat. Itaque eos esse paratos iustitiam administrare, & in regni possessionem mittere eum, ad quem illud iure spectare iudices pronuntiassent. Cum igitur hæc esset mens gubernatorum, rogare illos subnixe Regiam Maiestatem, vt daret in mandatis suis legatis, vt processui iudiciali vsque ad sententiam adessent. Verum Rex, qui certus esset de iure suo, qui exercitum paratum haberet, & qui conscientia suæ vim nullam illaturus sibi videretur, respondit se illis multum debere ob eum, quem præ se ferrent, amorem in Remp. neq; dubitare, quin ea quæ proposuissent, ex bono animo proficerentur. Rem gratam illos sibi facturos fuisse, si quid petiissent, in quo gratificari ipsis posset, quod quidem libentissime facturus esset in omnibus rebus iustis, & ad publica & priuata illius regni commoda spectantibus. Ceterum, quoniam toti mundo de ipsis iure constaret, nec ullus legitimus, & competens illius causæ iudex superesset, illos non posse nec debere stare iuramento, quod se præstissem ad firmarent, quia & cum manifesta ipsis iniuria, & cū regni detrimento coniunctum esset. Rogare itaque, vt se quamprimum pro rege, & domino reciperent, & iuramento confirmarent, cum & manifesto hæc esset Dei Opt. Max. voluntas, & ipsi non ignorarent, quid hac de re sensisset, disposuisset, & statuisset Rex Henricus, & quam arcte ad voluntatem illius sequendam obstricti essent. Quod si facerent, non tantum concessurum beneficia, & priuilegia, quæ ipse scripsisset, se & quæ Dux Ossunensis suo nomine oblatus deinceps esset: Sed etiam alia plura, dummodo nihil à iustitia, & ratione alienum peterent: & quia persuasum haberet illos hac in re secuturos illud consilium, quod ab hominibus adeo pietatis studiosis, & tanta prudentia præditis expectaretur, se in itinere instituto progreedi cōstituisse. Nō sat isfecit oratoribus hæc responsio, & petitum rem cum gubernatoribus communicandi spatio, ibidem substiterunt, donec Rex Meridam proficeretur. In Lusitania interim Gubernatores regni, quos satietas ceperat tam variarum postulationum, quæ à consilio ordinum fiebant, cupiebant conuentum dissoluere: Cumque ab ordinibus amplificationem potestatis ab Henrico sibi concessæ (quanquam frustra) petiissent, curarunt illis indicari, se declarasse conuentum esse finitum, & ideo procuratoribus licere domum redire, remanentibus solis decem, qui via secum de rebus cotidie occurrentibus statuerent. Tam paucos enim vbius comode viuere posse: necessario discedendum iam esse Almerino, & eundum in parvum ali quod oppidulum vicinum vrbi Lisybonæ, cuius ciues hoc magnopere rogassent. Ceterum, procuratores, qui iam ante Coimbriam, & Ioannem Nogheram ad illius vniuersitatis I. C. tos de iure electionis (quod sibi vindicabant) consulendos miserant, ab illo litteras acceperant, in quibus dicebat se intellexisse ius electionis ad regni ordines spectare, nullo modo in conuentus dissolutionem consentire voluerunt, instigantibus illos Episcopo Parmensi, Priore, & Cameralibus Sanctarenæ, multisque aliis priuatis, qui omnes pecuniam, si quis ea indigeret, offerebant. Sed frustra sunt reluctati. Etsi enim miserunt aliquos ad gubernatores, qui rationibus ex iure petitis probarent Comitia non esse finita, mandata singulorum esse adhuc valida, nihilominus tamen gubernatores denuo pronuntiarunt, conuentum finitum, & mandata extinta esse vnde consilio dissoluto, nō pauci procuratorum domum redire cœperunt. Porro Gubernatores & ipsi ad defensione se parabant. Etsi enim maior ipsorum pars non haberet animum Philippo resistendi: tamen, vt populo & reliquis gubernatoribus, & nobilibus, populi partes sequentibus, satisficeret, saltem in speciem apparatum aliquem instituere cogebantur. Instruebant itaque classem, curabant magnam armorum vim è regionibus exteris importari: conscribebant militem, mittebant in præcipuas Regni prouincias homines è primaria nobilitate; & mittebant de industria eos, qui, quia à rege Philippo alieni erant, præsentes ipsorum consilia impediabant. Hi vero promptissimo animo munera suscipiebant, quod sibi præ aliis fidem haberi existimarent. Itaque Iacobus Menesius missus fuit in prouinciam trans-

trans Tagum sitam: Iohannes Vasconcellius in Peiram: Emanuel Portugallus ad ostium Tagi: & alii in alias Regni prouincias: Georgio Menesio classis cura commissa est: & hoc modo huc illuc dispersi hi fuerunt, vt gubernatores soli arbitratu suo regnarent. Mansit ta-
men in aula Martinus Gonzalesius de Camera, homo non minus popularis, quam omnes superiores, & quem metuebant gubernatores, quippe qui internuntii loco inter ipsos, & ordines Regni adhibitus, paulo post auctoritate & gratia omnes superare cœperisset. Verum tamē ille adparatus, quem diximus, (licet à quibusdam sincero animo fortasse hac in re la-
boraretur) dicens potius causa, ac perfunctorie, quam serio fieri videbatur. Interim de ratio-
ne expeditionis commode instituendæ tractabatur in Hispania: cumq; Albanus existima-
ret nō posse inueniri tot plastra, quot ad commeatus, & reliqua, exercitu necessaria, sub-
uehenda requirerentur, de omnibus copiis in naues imponendis cogitabat. Constituerat
parua manu tumultum excitare in Extrematura ad vires hostium in illum locum auocan-
das: & deinde sub prætextu iter exercitus promouendi, & vrgendi, proficisci in Andaluzi-
am, ac, in portu S. Mariæ milite quam celerrime nauibus imposito, recta ad oppugnatio-
nen ostii portus Lisybonensis contendere: ne quidquam hoc prohibentibus propugna-
culis in eodem loco sitis: & se hoc in conflictu non nisi paucarū nauium, quibus sorte hoc
eueniret, iacturam facere posse existimabat. Verum cum ex iis, quos in Lusitaniam ex-
ploratum miserat, de toto rerum statu certi aliquid cognouisset, vidissetque breui ultra
sex carrorum millia in unum locum coacta, priori consilio (non tam propter vim hosti-
um, quam propter mare, periculo) repudiato, constituit Setubalum versus exercitum
ducere, quod sibi portum, ad classem Hispanicam recipiendam accommodatissimum,
omnino in potestate habendum esse existimaret. Cum enim nauibus imposita esset ma-
xima pars commeatus, & ipse non plus, quam quod in mensem sufficeret, frumenti, &
commeatus, terrestri itinere subuehendum curare posset, vires, ac commeatus mariti-
mos cum terrestribus copiis coniungendos esse, & in hoc cardine victoram verti iu-
dicabant.

Capto hoc consilio, profectus est Meridam, quo etiam peruenierat Rex, à quo cum
humanissime exceptus fuisset, cœptum est deliberari, quam in partem potissimum exer-
citum ducere expediret. Ibi nata est controuersia inter Albanum, & nonnullos alios, qui,
quorundam Lusitanorum, hominum stulte confidentium, persuasionibus fascinati, con-
tendebant eūdum esse Almerinum, & ibidem Tagum vado, aut prope Sanctarenam pon-
te transiendum: expugnandum esse locum illum, vt pote parum munitum: inde tuto exer-
citum progressurum ad muros Lisybonæ, quæ prius, quam tormentis mœnia diuerbera-
rentur, imo fortasse prius, quam copiæ in conspectum urbis venirent, deditioñem, ipsorum
quidem iudicio, factura esset. Si enim vrbs commeatu, qui ex agro Sanctarenæ circum-
uicino subuehi solet, intercluderetur, nō tantum eam fame laboraturam: verum etiam ex-
ercitum hoc pacto frumenti copia abundaturum, nec opus habiturum commeatu clas-
sis, quæ in portum Lisybonensem longe melius, quam in Setubalensem recipi posset: præ-
terquam quod hac ratione etiam euitaretur periculum, quod metuendum erat, si copiæ
expositæ fuissent Setubali prope arces ad ostium Tagi sitas, in quarum expugnatione for-
tasse etiam non parum temporis consumendum fuisset. Videbatur hæc opinio tam solidis
fundamentis superstructa esse, vt ad eam reiciendam omnino opus esset ea arte, & au-
toritate, qua Albanus pollebat. Et quia ille non tantum futurus erat Dux exercitus, sed
etiam (si quid secus euenisset) omnis suæ existimationis iacturam facturus esse videbatur,
Rex sibi illius sententiam merito adprobandam esse iudicauit. Circumdederat Philippus
vniuersam fere Lusitaniam copiis suis; quanquam verum est, eas nō totas ex milite stipen-
dia merente, sed etiam ex promiscua plebe, & turba collecta conflatas fuisse. Iniuex-
erat enim omnibus proceribus, quorum ditiones Lusitanæ limites attingunt, vt, quantum
maximum possent, subditorum ad arma ferenda idoneorum numerum paratum habe-
rent: veruntamen, vt interim suo nomine omnia oppida, & incolas Lusitanæ, qui imperi-
um suum non detrectarent, humaniter in fidem, & clientelam reciperent. Itaque in fini-
bus Galitiæ hoc curabat Petrus de Castro, Comes Lemosius, & Gaspar Fonseca Comes
Moncerensis. In limitib. prouinciæ Ultramontanæ, Ioānes Pimentellus, Comes Behuētanus,
& Iacobus de Toledo Comes Albantis. In extrematura, Bertramus de Cœua, Dux Albu-
querquius: & Ferdinandus Henrīquius Marchio Villenouę. Versus Verā, Iohannes Pacecus
Marchio de Seralbo: & in regno Algarbi Franciscus Suniga, Dux Besariensis, & Alfonsus
Gusmānus, Dux Medinæ Sidoniæ. In exercitu, vbi tā maritimarū quam terrestriū copiarū
Imperator erat Albanus, cetera munera ita erāt distributa. Itali parebant tribus legionum
ducorib.; Prospero Colunæ, Vincētio Caraffæ, & Carolo Spinello, qui rursus subditi erāt

Petro Mediceo, fratri Francisci, Magni ducis Hetruriæ, cuius iussu Petrum comitabatur Ludouicus de Ouara, qui paulo post in Consiliariorum bellicorum numerum à rege Philippo cooptatus fuit. Sancius Auila erat præfectus castrorum. Equitatu nemo præpositus fuit. nam cum alarum ductores essent homines è primaria nobilitate, non poterant comode subiici imperio vnius ex numero & qualium. Itaque ad illud munus requirebatur homo talis, qui nec Albano parere recusaret, & reliquos ductores dignitate supergredetur. Veruntamen, necessitate postea flagitante, imperio equitum præfecit Albanus filium Ferdinandum de Toledo. Hieronymus Comes Lodronius præerat Germanis, Francisco Alauæ tormentorum maiorum cura commissa erat, quo munere sæpe ille iam ante erat defunctus. Etsi autem apparatus belli talis esset, tamè rex per ministros gubernatorib. denunciabat, se extra culpam fore, si propter denegatam sibi regni successionem occasione belli damnum Lusitani paterentur: & in Lusitania quoque de variis ineundæ transactionis modis agebatur. Rex etiam qui minari, quam vim re ipsa intentare, & regnum clementia acquirere, quam severitate malebat, multa beneficia & priuilegia Lusitanis offerebat, si tranquillam regni possessionem sibi concederent, & gubernatores, quorum maxima, vt dixi pars ad regni habendas Philippo tradendas propendebat, cū ministris Hispanicis iam communicauerant, & transegerant de iis capitib. quæ à Philippo regno concedi postulabant. quæ omnia Dux Ossunensis publicauit, sua manu sub signavit, & regem illa, si pro domino eum agnoscerent, concessurum esse spopondit. Erant autem hæc capita. Vt Rex præstet solenne iuramentum, de conseruandis omnibus consuetudinibus, priuilegiis, & libertatibus, huic regno à prioribus regib. concessis. Vt comitia ad res Lusitanæ spectantia, in ipsa Lusitania celebrentur, & ne in vlo alio conuentu quidquā proponi possit, quod regnum Lusitanæ tangat. Vt Vicereges, vel alii qui sub quocunque titulo regni gubernationi præficiendi erunt, sint Lusitani, & idem intelligatur de Visitatore, aut præside iudiciorum: ita tamen, vt ad auctoritatem regni augendam, & in honorem Lusitanæ possit Rex, & ipsius successores regno præficere aliquem ex sanguine Regio, ut pote filium, patruum, vel auunculum, fratrem, consobrinum, vel nepotem. Præterea vt omnia munera maiora & minorata ad iudicia, quam ad patrimonium Coronæ pertinentia Lusitanis, & non exteris committantur. Vt omnia officia, quæ apud reges superiores in vsu fuerunt, tum in aula, tum in reliquis regni partibus, conferantur indigenis, qui administrabunt eadem officia, cum Rex, vel eius successores in hoc regnum venerint. Vt idem intelligatur de omnibus aliis muneribus magnis & paruis cuiuscunq; generis, tam maritimis quam terrestribus, quæ vel iam in vsu sunt, vel posthac introducentur: & vt milites præsidarii, quibus custodia arcium committenda est, sint Lusitani. Ad hæc vt commercia, quæ cum Indis & Æthiopib. & aliis nationib. siue detectis, siue in posterum detegendis huic regno intercedunt, nunquam ab ipso auellantur, neque quidquam ex consuetudine hactenus in ea re obseruata mutetur: & vt ministri, qui his negotiationibus præerunt sint Lusitani, & nauibus Lusitanicis vtantur. Vt auro & argento, quod cudentur in hoc regno, & regionibus ab illo dependentibus, & omni illi, quod importatum ex editionibus illi subiectis fuerit, insignia, & arma Lusitanæ, nullis aliis admistis imprimantur. Vt omnes Prælaturæ, Abbatiae, beneficia, & pensiones conferantur Lusitanis: vt idem iuris sit de officio Inquisitoris maioris, de Commendis, de officiis ordinum equitum auratorum de Prioratu Cratensi, denique de omnibus rebus Ecclesiasticis æque ac de secularibus. Ne Rex permittat exigi tertias ex bonis Ecclesiasticis neque subsidia, neque Cruciatas, neq; ad villam harum rerum obtinendam bullas à Papa impetrari. Vt nemini concedatur ciuitas, oppidum, pagus, iurisdictio, vel villum ius regale, nisi sit Lusitanus. Ne bona vacantia retineat Rex aut successores vel pro se vel pro suis, sed illa concedat propinquis defuncti. aut aliis bene meritis, dummodo sint Lusitani: quanquam ab his reb. non debeant excludi Hispani, aut alii exteri, qui iam viuunt in Lusitania, & regibus prioribus aliquando inservierunt. ne quid in Ordinibus equitum auratorum immutetur. Vt nobilibus 12. annis 50. num atatis attingentibus soluantur stipendia. Vt Rex, & successores singulis annis conductant operam ducentorum Lusitanorum, quibus solvatur stipendum, quod vulgo Mordia appellatur: & vt ex his illi, qui non nati fuerint ex familia nobili, in classibus regiis militent. Ne, cum Rex & successores venerint in hoc regnum, domos quaslibet diuersorii loco occupent more Castellano, sed hac in re consuetudinē Lusitanæ obseruent. Præterea vt Rex, vbi cunque sit, semper secum habeat aliquæ Ecclesiasticum supremū præfectum ærarii, Cancellarium magnum, & duos Consiliarios Palatii, qui omnes simul vocabuntur Consilium Lusitanicum; quibus etiæ semper præsto erunt duo scribæ ærarii, & duo scribæ Cameræ, si forte ipsorum opera vtendum esset, omniaque scribentur lingua Portugallica & omnes

& omnes erunt Portugalli. Ut cum Rex, vel successores venerint in Lusitaniā, vtantur eodem consilio, iisdemq; officialibus, qui cum aliis intererūt deliberationib. de regni gubernatione instituēdis, vt officia Prætorum, & similia officia iudicium, etiam inferiora, conferantur absente Rege, eo modo, quo iam conferuntur: & vt idē intelligatur de Prouisorib. præfectis rationum, & aliis similibus qui circa ærarii administrationē versantur. Ut omnes lites & facti species in iudicium deducuntæ (quicunq; casus sit, vel quæcunq; summa fuerit) definitive deciduntur, & executioni mandentur eo, quo iam fit, modo. Ut rex, & successores facelli regii Cantores more priorum regum alant, qui Lisybonæ commoorentur in hūc finem, vt sacra celebrari possint cum ritu, & cantu consueto: nisi forte Rex, aut eo absente Vicerex, aut gubernatores in alio regni loco viuāt, sibiq; facelli Cantores etiam adesse vellint. Ut Rex admittat Lusitanos ad officia aulæ, & interioris Palatii more Burgūdico instituta, nullo habito discrimine inter ipsos, & Castellanos, vel alterius nationis subditos suos. Ut Regina ad ministeria sua adhibeat nobiles Lusitanæ tam viros, quam foeminas, & has quidem humaniter complectatur, beneficiis ornat, & ruputum vel in Castella vel in Lusitania elocet. Ut ad utilitatem subditorum, & totius regni, & ad augenda commercia, & familiaritatem cum Castellanis, Rex tollat vectigalia ab utraq; parte, vt merces libere transportentur, sicut siebat ante, quam eiusmodi portoria instituerentur. Ut iubeat Rex quam humanissime cum illis agi, qui frumentum ex Castella inuechunt, ad huius regni sustentationem. Ut subministret Rex trecenta milia ducatorum in res subsequētes: 120. millia in redemptionem captiōrum, arbitratu magistratus domus misericordiæ Lisybonæ: quorum dimidium insumerit in redemptionem nobilium pauperum: reliquum dimidium in redemptionem hominū omnis ordinis Lusitanorū 150. millia ad positus, hoc est, mutuationes sine sc̄enore instituendas, in locis inopia laborantibus idq; arbitratu Cameralium Lisybonensium: & 30. millia reliqua in curam & remedia morborum, qui iam grassantur, arbitrio Archiepiscopi, & Cameralium Lisybonensiū impendēda. Ut de instruendis classib. In diuis, aliisq; ad defensionem regni pertinentibus, de exterminandis piratis, qui limites Africanos infestare solent, Rex in hoc regno certi aliquid cōstituat, prout rationi consentaneū visum fuerit, etiam si fortassis ex reliquis regnis, & ex proprio ipsius ærario aliquid subsidiū huic conferendum sit. Superiora omnia rex concedebat, & vt responderet amori Lusitanorum erga reges suos, dicebat se nihil magis optare quam vt in Lusitania semper aulam suam habere posset: Sed administrationem ceterorum regnum, à Deo sibi commissorum, huic suo voto obstat: nihilominus tamen se operam daturum, vt quam sp̄issime, & diutissime quoad eius fieri poterit, sit in Lusitania: Et si nihil aliud interueniat, se illis suo loco filium relicturum, vt dum inter Lusitanos educatur, illos cognoscere, magni æstimare, & non minus (quam ipse) amare assuescat. Publicatus fuit catalogus horum capitū in omnibus primariis regni ciuitatibus à ministris Hispanicis: qui dicebāt, si Lusitani plura peterent, Regem omnia concessurum, quod non dubitarent, quia Lusitani vtpote Christiani nihil vel à pietate vel æquitate alienum essent postulaturi: innuentes fortasse se tacitū excipere ea, quæ ad Inquisitionem & iustitiae administrationem pertinerent.

Liber Quintus.

Ā R C V M E N T V M.

In hoc libro continentur munitiones ad Caput siccum instituta: perturbatio rerum Regni, & Gubernatorum: responsum Regis Catholici datum legatis Lusitania: diligentia Philippi in consulenda Universitate Alcalana super expeditione sua in Lusitaniā: sententia contraria, utrum rex ipse exercitū in suo interesse deberet, necne: occupatio Eluarum, & Oliuencie: Creatio Regis Antonii: fuga Gubernatorum: legatio Duci Bragancia ad Regem Philippum, & prolixaeiusdem responsio: occupatio Villazosa: ingressus exercitus in Portugaliam: & Stremi deditio.



ON acceperunt in vniuersum Lusitani conditiones à Rege Philippo oblatas. Etsi enim tres ex gubernatoribus vna cum ordine nobilium, & Ecclesiasticorum tacite illas approbarēt: tamē tertius ordo, nempe ciuitatum regni, eas repudiabat; dicebatq; eas esse catalogum fraudum, & signum exiguarum virium Philippi; & eos, qui conditiones illas conscripsissent, maiorem priuatæ, quam publicę utilitatis rationem

habuisse: denique littera per sententiam decidendam esse continebant. Gubernatores ergo in rebus omnibus ad defensionem parandis perseverabant. Miserunt clam in Galliam Franciscum Barretum, qui Regem Christianissimum, de bonitate cause suæ edoceret, simulque de iniuria, quam Rex Hispaniæ ipsis inferret, dum regnum vi oculare conaretur: & à Rege subsidium sex millium peditum peteret: ac deinde Romam profectus, oraret Papam, ut ille Regem ad arma deponenda, & ius suum in legitimo iudicio persequendum cohortaretur. Ablegarunt in Germaniam Eliseum Portugallum, qui Imperatori, certisq; principibus exponeret rationes, quæ Lusitanos ad libertatem, & ius suu contra Hispanos defendendum commouerent. Et sane in ipsis tantum poterat desiderium Regem suo arbitratu eligendi, vt non tam sibi principum Christianorum auxilia ad iugum Philippi repellendum imploranda iudicarent, sed etiam (id quod incredibile videtur) viuen-
 te adhuc Rege Henrico illi nobiles, qui in Africa captiu detinebatur, commeatu & equitatu se inuari à Xariffo petenter, quantuuis non eslet verisimile fore, v. ipsis hac in re gratificaretur. nam vt nihil dicam de religionis diuersitate, nulla etiam amicitia iura, nulla rationes politicæ hoc suadebant. Etsi enim non admodum gratum Xariffo erat, Phillipi potentiam huius regni accessione augeti: tamen non erat probabile ipsum, tanquam hominem sagacem, & iudicio præditum, vel inimicitias cum vicino tam potente temere suscep-
 turum, vel multum fiducia collocaturum in Lusitanis, quoru vires erant prostatæ, & qui ab ipso affecti fuerant magna clade, eaque tam recenti, vt manus sanguine eorum adhuc tinctas habere videretur. Apparatus armorum, & munitiones locorum, propter pecunia penuriam, & crebras ministrorum dissensiones, lente admodum progrediebantur: & Ludicus Cæsar, summus prouisor, Hispaniæ Regi addictus, non admodum rem urgebat, immo, de industria varias excusationes excogitans, diem de die ducebat. Itaque tantum ad ostium Tagi propugnacula aliquo modo munita, & in locis ad exponentum militem aptis valla extructa: præsidiorum numerus auctus: & prope urbem Lisybonam diuersa loca, tormentis ad portus defensionem disponendis, præparata fuerunt: præterea etiam naues bellicæ rebus necessariis instruebantur. Verum Emanuel Portugallus, siue quod non satisfacerent ipsi horum locorum munitiones: siue quod cuperet ostendere, quantum aliis ingenio antecelleret, constituit contra omnium in arte hac versatorum sententiam propugnaculum in medio fluminis, quod ea parte latissimum est, ostio extruere, vt hac ratione naves in illo ingredientes, tormentorum maiorum istib; essent obnoxiae. Videbatur autem Emanueli ipsa loci natura hoc ipsius consilium adiuuare, quia prope ostium in me-
 dio flumine sese exerit collis, ex arena congestus, planus, & paululum extra aquam promi-
 nens, vulgo caput siccum. Hic collis, siue insula alueum fluuii in duas partes diuidit: qua-
 rum una, quæ est inter sinistram ripam, & insulam, propter alueum non satis profundum, non
 potest nauigari, nisi durante refluxu maris, idque cum nauigiis minoribus: rursus altera
 pars, quæ est inter insulam, & dextram ripam & ipsa à scopulo quodam, vulgo dicto Cac-
 cioppo in duo brachia diuiditur: quorum, quod est inter scopulum, & insulam, quod nomi-
 nant cursum Alcasouæ, non defenditur ab ullo propugnaculo. Et quia huc tormenta arcis Sancti Iuliani pertingere non poterat, iudicabat Emanuel propugnaculum huic alueo de-
 fendendo in insula extruendum. Etsi autem fossi magno cùm labore actis, humus solida,
 & fundamentis superstruend's apta non inueniretur, tamen Emanuel à proposito desiste-
 re noluit: cumque situs ædificia lapidea non ferret, extruxit propugnaculum lignatum, &
 intus humo congesta repletum: illudq; deinde tormentis, aliisque rebus necessariis instru-
 xit. Aquæ autem dulcis difficulter poterat in eo conseruari, quod dolia æstu solis, & vehe-
 mentissima propter arenam radiorum reuerberatione exsiccata, rimas, quantumvis velis
 testa agebant, ita vt omnis aqua efflueret. Hoc tempore gubernatores adhibuerunt reme-
 dium memorabile, quo populum ad regni defensionem eo vehementius inflammarunt, nam
 (quod forte nouū, & exemplo periculosum erat) vñ sunt opera monachorum, ad scopum
 sibi propositum assequendum. & iniunxerunt Prioribus omnium monasteriorum, darer-
 operam, vt monachi tam pro concione, quam in audienda peccatorum confessione popu-
 lum ad defensionem incitarent, non secus ac Cruciatæ contra infideles publice in sugge-
 stis proclamari solent: & (vt Lusitani sunt ambitiosi & cupidi gloriae) stimularent eos pro-
 posita spe honorum, quibus adficiendi esent, qui reliquis ad arma patriæ defendendæ er-
 go capienda promptiores fuissent. Atque ita fiebat vt huiusmodi conciones monachorum,
 qui tantum pietatis, ac modestiae studium præse ferunt, in orationes militares, & clas-
 fica conuerteretur: quæ res multis bonis, & cordatis viris summopere displicuit, & totum
 regnum magno incommodo adfecit. Præterquam enim quod nefas erat opera ministro-
 tum

rum Euangeli ad res profanas, vti etiam miserè plebitanta ferocia, & belli amor instillatus fuit, vt postea temere, & sine omni consilio arma capere non dubitaret. Nocuit etiam hæc res magnopere monasteriis. Cum enim per se periculostum sit animos monachorum nimis excitare, hi qui mortuo rege Henrico, aliquanto plus libertatis nauci erant, accepta iam noua hac publice declamandilicentia, dum reliquos animabant, ipsi spiritus militares sibi sumebant. Itaque his vocationis suæ limites transgrexientibus paulatim totus ordo Ecclesiasticus in abusum & confusionem maximam incurrit, vt deinceps ostendemus. Quoniam autem & pecunia ad sumptus belli necessaria deerat 100000. ducatorum multo sumpta fuerunt à mercatoribus qui si repugnarent vi cogebantur. Hæc Lisbonæ maiori cum feroce grecabantur, quam vspian alibi in Lusitania. Interim Gubernatores inter se non satis consentientes, incerti hærebant, & indies maiorem suæ auctoritatis iactram faciebant. Prior enim in proposito causæ legitimitatis persequendæ perseverabat, & regni successionem maiori indies cum animi obstinatione affectans illis qui ipsi aduersabantur, minabatur. Magistratus incipiebat amittere omnem auctoritatem, & vnuquisque ea, quæ libebat, & facere & dicere audebat, ita vt facile regnum sine rege esse adpareret, idque postea euidentissime demonstrarunt duæ res, quæ eo tempore acciderunt. Prior hæc est. Cum Monachi ordinis S. Hieronymi, qui incolunt monasterium virginis Belemæ audi essent recuperandæ libertatis quam illis ademerat Rex Henricus, qui Papa consentiente, & pro sua auctoritate, regulis illius ordinis non obstantibus illis imposuerat necessitatem officiales superiores eligendi arbitratu ipsius, id est vnum ex 4 aut 5. monachis, quos ad singula officia ipse nominasset vniuersi ad Emanuelem de Ebora, prouincialis munere tum fungentem accesserunt, eumque tanquam non satis legitime electum munere suo se abdicare iusserunt. Velle enim se alium legibus ordinis conuenienter electum, in eius locum substituere. Prouincialis, cui iniurissima talis petitio videretur multas rationes addixit, cur non posset illis satisfacere. Cumque diu vtrinque verbis concertatum fuisset, tandem Monachi prouinciale verberibus nonnihil multatum & captum in cellam quandam incluserunt. Cognati prouincialis re cognita, adierunt Alexandrum Formentum, Nuncium Pontificis in Lusitanâ, qui cum vtriusque partis rationes audiueret, iussi: (quantumuis monachi eum iudicem competentem esse negarent) prouinciam e custodia liberatum, pristino loco, & officio restitui, simulque nonnullos ex Monachis de seditione suspectos, vt coram se comparerent, citauit. Sententia hac per notarium Apostolicum monachis declarata, noluerunt parere. Cum itaque cognati prouincialis captivi auxilium magistratus implorassen, gubernatores miserunt in monasterium iudices criminales Lisbonenses, vna cum tribus vexillis peditum vt sententiam vi executioni mandarent. Hi cum Belenum peruenissent, monachi clausa porta monasterii templum apertum relinquentes (in quo tamen ipso clatrorum lignorum, maius sacellum, & sepulchra regum abeuntium, ianua clausa erat) in choro letaniâ canere cœperunt. Iudices, & eorum apparitores, postquam diu ostium monasterii pulsassent, nemine aperiente, ingressi in templum, clatros ligneos confregerunt. Atque ita lictores in xystum monasterii penetrantes, monachis cum magno dignitatis sacerdotalis dedecore manus iniecerunt. Quanquam autem seniores cruces suas præferrent, bullas ostentarent, excommunicationem minitarentur: tamen omnia ista parum ponderis haberentur, nam prouinciam liberare, & in pristinum locum restituere coacti fuere: protestati tamen sunt, vim sibi illatam, & se de hac iniuria apud Pontificem conuesturos. Alterum, quod notatu dignum accidisse supra dicebamus, habet. Cum Ferdinandus Pina, Doctör, & ciuis, esset Syndicus Cameræ (qui est summus gradus illius magistratus) electus in locu Iacobi Salemæ, per regem Henricum ab officio remoti, ipso meridie in foro Antonius Soarezius illi in capite graue inflxit vulnus, ex quo paullo post mortuus est. Et hoc facinus iussu Prioris fuit designatū. Cum enim Pina tempore muneris sui non tantum minus honorifice de Priore, & ipsius actione loquutus esset, sed etiam ministros, & totum consilium Cameræ in partes regis Philippi pertrahere studuisse: Antonius hoc pacto eum voluit vlcisci: & sicarius, qui melius ferte, quam fugere nouerat, accepto a lictoribus vulnere, in templum quoddam extra urbem situm se coniecit: ibique iussu magistratus captus: & elapsis aliquot diebus primum laqueo strangulatus; & deinde in quaatuor frusta dissectus fuit: idque non sine maxima difficultate, & metu, ne plebs vi eum è manibus carnicis extorqueret. Quia enim gubernatorum auctoritas in dies decrescebat, iudices parui siebant, & quia notum erat Soarezium, impulsu Prioris homicidium hoc commisisse, plebs ad eum liberandum erat satis propensa. Monachi etiam, causantes eum comprehensum in templo, & propterea latitum iudicio obnoxium non esse, cucurrerunt ad locum supplicii, homicidæ, si posset;

subsidio venturi: & nisi Damiani Aguiarius, homo seuerus, & animo præsenti (cui pecuniaris huius executionis cura commissa fuerat) operam dedisset, vt executio quam celerime expediretur, tantus erat populi clamantis, & monachorum cruces, & excommunicationes suas adhibentium concursus, vt verisimile sit, reum facile evasurum fuisset. Hæ turbæ magnopere displicerunt hominibus religionis, & quietis amantibus: qui quanuis reprehenderent monachos, propterea quod prouinciali munere suo usque ad statum tempus tranquille defungi non permisissent: tamen maiorem culpæ partem imputabant gubernatoribus, qui tali tempore publice tanta seueritate vñ essent aduersus monachos & in primis contra monasterium situm in ripa Tagi: dicebantque si non aliud, hoc saltem illos debuisse ab isto consilio dehortari, quod in portu essent tot naues Anglorum & Gallicorum: quibus, vt pote hæresi infectis, iucundissimum spectaculum fuisset, videre monachos à lictoribus captiuos duci. Mors Pinæ Antonio apud homines opinionem imprudentiæ, & crudelitatis conciliauit. Præterquā enim quod non erat hominis magnanimi exemplum tam enormis vindictæ in senem togatum, inermem, & mediæ conditionis, statuere: non poterat etiam fieri, quin, si Soarezius non aufugisset, Antonius vel incurreret in notam ingratitudinis, (nisi eum liberaret) vel ministris iustitiæ vim inferre cogeretur. Sicut autem mos est principum odiisse eos, quorum opera ad scelus aliquod abusi sunt, id eo, quod his viuentibus, viuit etiam una facinorum, ipsorum iussu designatorum, memoria: ita Prior quoque à Soarezio post commissum homicidium abhorrire cœpit, nec de ipso liberando sollicitus fuit; quantumuis hæc res eum in magnum contemptum apud populum adduceret. Erat Prior tum temporis Almerini, occupatus in persequenda legitimitatis lite, & apud iudices sententiæ pronuntiationem urgebat. Excusabant se iudices, & dicebant sibi per leges regni in causæ cognitione progredi non licere, nisi Prior per 25. miliarium inter uallum ab aula discessisset. Quod si faceret, se paratos esse in lite examinanda progredi. Verum quia Dux Braganciæ, & reliquorum Principum legati adhuc in aula hærebant, nec ipse sibi discedendum esse iudicauit: atque ita causæ cognitio fuit suspensa. Interea Emanuel Portugallus, qui erat Belemi, magna cum arrogantia proposuit, ère esse, vt Ioannes Teglius, unus ex gubernatoribus, & adfinitate, ac voluntatis in excludendo rege Philippo similitudine ipsi coniunctus, accepto à reliquis gubernatoribus mandato Beleum proficeretur, vt præsens eo rectius de rebus statueret, quandoquidem Almerino non omnia, satis commode curari posse videbantur. Reliqui ergo gubernatores partim quod Teglium abesse facile paterentur, partim quod in iis, quæ ad defensionem spectabant, contradicere non audebant, cum mandato instructum Belum dimiserunt. Quo in loco cum ille deliberasset cum Emanuele, videretque parce admodum, & difficulter pecuniam à mercatoribus, à quibus mutuo sumebatur, subministrari, vt quam maximam argenti copiam corraderet, capto de pretiosissimis, & carissimis, regum Lusitanæ rebus vendendis consilio, illas ad se adferri iussit de que earum pretio cum mercatoribus agere instituit. Interea temporis Dux Ossunensis redierat in Hispaniam relicto in Lusitania cum reliquis legatis togatis Christophoro Moto. qui cum intellexissent agi de venditione lapidum pretiosorum, Morus nomine Regis 40 Philippi gubernatores monuit, ne eos venderent, vt pote qui ad regem dominum suum pertinerent: & protestatus est tam contra eos, quam contra emptores, fore, vt pretium suo sumptu refundere cogerentur: atque ita nemo inuentus est, qui ad emptionem vellet accedere. Meridæ interim (vbi erat Philippus: qui multis cum verbis & solennibus contestationibus à gubernatoribus regni possessionem postulauerat) Episcopus Coimbrænsis: & Emanuel Melius denuo ea proposuerant regi, quæ iam ante Guadalupi ab ipsis proposta fuerant, dixeruntque se paratos esse rem arbitrorum iudicio committere, conquerentes interim de breuitate temporis, quod ipsis ad deliberandum concessum fuisset. Verum Philippus cui staret sententia, & qui rescuiisset Lusitanos aliorum principum auxilium implorasse, eodem, quo antea, modo illis respondit. Multi aut iudicabunt, fuisse imprudentiæ, conditiones huiusmodi regi Philippo per legatos proponere. Neque enim videbatur rationi satis consentaneū petere à rege, vt se iudicib. nominatis subiiceret, cum tamen nec ipse Rex Henricus (qui meliori iure sibi facultatem in illa lité pronuntiandi arrogare poterat) vñquam à Philippo petuisset, vt se iudicem aghosceret nec propter regem Henricum recusatum Philippo, tanquam contumaci, in processu successionis illa controuersia mota fuisset. Venit paulo post Badagiozium Philippus ad diem Maii viginissimum vbi cum denuo Oratores Lusitani ipsi persuadere conarentur, vt antequam bellum moueret, Lusitanis comitia indicendi spatium concederet, non fuerant amplius audit: imo Rex constituit responsum mittere ipsis gubernatoribus, & nomine consili

consilii sui in uniuerso Regno illud publicare quod & fecit. Sententia autem hæc erat. Experientiam docuisse per duo exempla præteriorum Comitiorum, Lisybonæ, & Almerini habitorum, in illis nihil tractari, quod ad manu festissimam R. M. causæ bonitatem, & ius tuendum spectaret, imo omnes in vitroque conuentu operam dedisse, ut R. M. impedit, excogitando dilationes, & tricas, quas ad actionem R. M. inutilem reddendam accommodatas esse existimassent: ita ut facile ad parceret, expectare noua comitia reuera nihil aliud esse, quam ter ad eundem lapidem offendere. Nihil esse causæ, cur dictarent R. M. terminum nimis breuem ipsis præstituere, si computatio fieret à die redditarum literarum, (nempe 13. Martii) quibus petebat R. M. ut sibi iuramentum fidelitatis præstarent, & falli illos, si existimarent R. M. non vindicasse sibi possessionem regni, nisi ab eo tempore, quo illud periret. Vindicasse enim sibi ab eodem illo momento quo Henricus expirasset. Imo R. M. de industria tacuisse per mensem, & medium, ne illis præriperet occasionem vocandi R. M. ad successionem diuinitus illi collatam, & illam hoc pacto demetendi, & ut habérent spatiū cogitandi, quidnam hac in parte officio suo conueniret, & operam dāndi, ut reliqui competitores de R. Maiestat. iure edocti à proposito desisterent, nec publicam pacem turbarent, sed potius pro ipsis & totò regno intercederent: & hanc esse viam quam R. M. ipsis commonstrasset. Excusationem, quam adducerent, quo minus R. M. reciperent, duplice sensu habere. Dum enim dicserent se hoc facere non posse, nisi in publico ordinum regni conuentu statutum fuisset, alterutrum horum illos innuere, vel se non posse iure facere, vel non posse, quia non auderent. Priori casu illos hallucinati, ideo quod nulli vñquam regi, in regnum suum ingressuro, opus fuisset ordinum conuentu (etiamsi non succederet patri suo, sed tantum cognato) ut etiam illo non fuisset opus Regi Henrico cùm nepoti suo succederet. Posteriori casu, (nimurum se non posse quia non audent) excusationem aliquid ponderis habere: veruntamen non obstat vel ius vel conscientiam R. M. quo minus bonorum suorum possessionem apprehendat, præsertim cum periculum sit in mora. Hunc ipsorum errorem probabile esse, inde nasci, quod existiment se nihil aliud præstare posse in gratiam R. Maiest. quam ut illi regnum interveniente conuentione & transactione, tradant, patum interim memores R. M. non ex ipsis, sed ex Dei O. M. manu, & iure suo regnum accipere. Itaq; has voces pacta, transactiones, conuentiones, non nisi per abusum ab illis usurpari: & ad propositum non pertinere. Siue enim hic respiciatur ad conservationem legum & priuilegiorum, nihil loci relinqu transactionibus, sed dici debere obligationes, quibus R. M. tanquam iustus Lusitanus Rex obstringitur: siue ista ad ea, quæ de novo concedenda sunt, referantur, multo minus hoc nomen mereri, sed potius appellari debere liberalitatem, munificentiam, & gratiam meram, ad quam R. M. præstandam partim amore erga Lusitanos ducta solennerit, & quam fieri poterit firmissime se obstringere parata sit. Itaque comitiorum vsum aliquem esse potuisse, si Regni Ordines sibi in priuilegiis, & immunitatibus concedendis non satisficer quæ possent, aut si ius haberent alium regem suo arbitratu eligendi. Verum cum potestas ipsorum non vltérius se extendat, quam ut supplices à Regia Maiestate priuilegia augeri petant, comitia ad Regiæ Maiestatis in regnum suum introitum plane non pertinere.

Hæc omnia autem ab illis nullum alium ob finem adduci, nisi ut rem ad viuum recent, cum tamen Regia Maiestas, nec priuilegia, & commoda (quæ ipsius nomine Lusitanis oblata sunt) concedere, nec cautionem talem, qualem ipsi postulauerit, præstare recusat, nec denique nimis anxie laboret de modo, phrasibus, & vocabulis, quibus Lusitanis hac in re vti vistum fuerit, etiamsi in effectu idem; quod pacta; & transactiones significant.

Vt incommoda, quæ pro se allegant gubernatores, & momento, & ratione destituuntur: ita ea, quæ Regiæ Maiestati metuenda sint, tam prope imminere, & veluti præfobis, esse, vt nullam omnino res motam patiatur; quantumuis Regia Maiestas, alioquin ipsorum precibus locum relinquere parata esset, sicut reuera in omnibus, quoad posset, rebus ipsis gratificari cuperet. Argumento esse, quod exercitus, qui iam prope ad fines Lusitanie progressus sit, non possit retrocedere, neque otiosus ibidem hærere. Nam commeatum omnem illius ditionis consumptum, & segetes, quibus Regia Maiestas parcerere cuperet, magno detimento adfectum iri; præterquam quod etiam iniquissimum esset tam diu exercitum alere cum incommmodo, ac damno subditiorum obedientium, quos quamprimum hoc onere subleuiari, ratio & æquitas ipsa flagitarer. Regia Maiestas quidem sibi pati persuaderi maiorem partem eorum, qui exercitus progressum differri pertinet, bono & sincero animo hoc facere. Veruntamen ipsos negare non posse, quin multi

alii hoc flagitent, & cupiant in eum finem, vt Regiae Maiestati interim (vt suat humana) impedimentum aliquod obiiciatur, & vt præterlabatur tempus, quo triremes Regiae Maiestati ad rem in Lusitanæ ora gerendam usui esse possint. Neq; enim illos fugere, quam cito tempus illud prætereat, quo nauibus actuariis in illo mari locus est. Regiam Maiestatem, postquam Madrido excessit, quantum maximam potuit, dilationem & moram adhibuisse: & (vt ipsi vidissent) in itinere tres menses consumpsisse: idque in hunc finem, vt ipsi spatiū inter se agendi, transigendi, componendi non decesset. Verum etiamsi Regia Maiestas per totum annum expectasset, tamen sole meridiano clarus esse, negotium ne uno quidem passu vltius progressurum fuisse, propter ea quod in anibus replicationibus consumpsissent tot dies, quibus conuentum indicere, & etiam obliuioni tradere potuissent: cumque ipsi promisissent, se ordines regni intra breve tempus conuocatus, non ignorare Regiam Maiestatem, etiamsi mensis Iunius inchoatus esset, tamen nondum vel præfules regni, vel proceres, vel procuratores ciuitatum comparuisse: & in multis locis ne quidem certos procuratores nominatos: imo electionem variis artibus, & corruptionib. dif-
ferri. Hinc satis liquere ex Conuentu potius confusionem, quam fructum aliquem ex-
pectandum esse. Etiam si autem publice constet quam parum de vtilitate Comitiorum spei
fit, tamen nolle Regiam Maiestatem, vt sibi persuadeant, R. M. antequam in Lusitaniam
ingrediatur, Comitia impedituram: veruntamen ingressam, statim esse facturam ea, quæ
ad cultum Deo debitum, & ad suam, ac publicam Regni vtilitatem maxime pertinere iu-
dicauerit, siue id fieri possit per inductionem Comitiorum, siue alio modo: qua tamen in
parte Regia Maiestas semper viam, Regni incolis commodissimam secutura sit. R. M. et-
iamsi ad multa conniveat, non posse tamen postulatis ipsorum acquiescere, cum videat
subditos Coronæ Lusitanæ, Reg. M. studiosos, opprimi subprætextu iniustæ rebellionis,
quam tamen ipsi defensionem vocent: & illos solos, qui Reg. M. partibus fauent, & verita-
tem, ac ius R. M. agnoscunt, in sectionibus, & iniuriis esse obnoxios: contra foueri, & pro-
tegi factiosos, & manifestos perturbatores pacis, vtilitatis, & quietis publicæ. Ut nihil dissi-
muletur, Reg. M. ipsi significare, æquum fuisse, vt facta ipsorum dictis responderent. Nam
quia hoc non fit, non posse illos postea Reg. M. accusare, quasi astute agat. Ut vero sciant,
quam R. M. suspectæ sint ipsorum dilationes, R. M. illis indicare, se nuper ex diuersis locis
ab hominibus fide dignis certorem factam, Lusitanos, interim dum apud R. M. mollissi-
mis verbis instant, vt exspectet, & exercitum detineat, summo cum ardore ab aliis regibus
auxilium flagitare, & secretas machinationes instituere in perniciem Romanæ Ecclesiæ, &
pacis orbis Christiani: quanquam R. M. non desperet Deum O. M. ipsorum conatus impe-
ditur. R. M. quidem, Deo iuuante, breui in Lusitaniam manu armata ingressuram: sed ta-
men non esse, quod sibi propterea persuadeant Reg. M. constituisse Lusitanos bello perse-
qui, imo R. M. potius, quoad eius fieri poterit, operam daturam, ne cuiquam vis fiat, nisi e-
is, qui pertinaciter R. M. debitam sibi regni possessionem capeflenti, obsistere conati fue-
rint. Confidere autem R. M. fore, vt nullum sibi impedimentum obiiciant, sed potius vt, si
quæ supersunt, obstacula sponte remoueant: vt R. M. ipsorum opera in expeditione hac
state contra infideles suscipienda vti possit. Gubernatores cum graueni & prudente hanc
responsionem, regisq; firmum propositum viderent, ex quo manifesto apparebat. Lusita-
nos in viscerib. regni, & circum circa in finib; bellum habitueros: cumque vulgo, quod o-
mnem rei fero & male gestæ, & tam exiguum ad defensionem adparatum culpam
ipsis imputabat, se exosos esse intelligerent, incerti erant, quidnam potissimum consilii
caperent. Cupiebant discedere Almerino, propterea quod pestis, quæ grassari ceperat,
& æstus, qui in loco illo arenoso intensissimus est, hoc suaderet. Et quia audiebant Anto-
nium in suum commodum contra ipsos plebem instigare, cogitabant de adeundo loco a-
liquo munito, ubi & à populitu multu, & à bellicis incursionibus tuti esent. Almerinum
enim à muris nudum est. Videbatur ipsis Setubalum, quo conuentum indixerant (quán-
quam exiguum spem haberent de successu) commoditate cetera loca superare, vt pote
quod & muris cinctum, & portus maris eset. Itaque eo se recipere constituerunt. Habe-
bant in animo, ad minimum tres ex ipsis, porrigere manum regi Philippo ad regni pos-
sessionem capiendam vel in uitis illis, qui ad defensionem se parabant: quam ad rem ipsis
aptissimus ille locus videbatur, vt pote in quem recipi posset classis Philippi, ita vt nulli
usui essent munitiones ab Emanuele Portugallo ad ostium Tagi instituta. Verum non
inueniebant modum hæc consilia ad effectum perducendi. Procuratores enim qui
ex superiori conuentu remanserant, dicebant, subsistendum esse Sanctarenæ, & ipsi,
ne suspicionem iam de se conceptam augerent, abire non audebant. Accedebat quod ve-
rebantur, si relicto ibi Priore una cum istis procuratoribus sub ipsum bellum à rege Philippo
mouendi

mouendi initium discederent, ne illi se absentibus sub umbra defensionis tyrannidem aliquam inueherent. Cum itaque tam dubii, & incerti essent, nec malis occurserintibus remedium adhibere nosset, plus nocuerunt Regi Philippo, dum ipsi fauenter, quam aperte aduersando nocere potuissent. Rex n. sperans fore, vt isti regnum sibi in manus traderent, aliquanto lentius cum exercitu ad Lusitanæ fines progressus erat. Euenit, vt Io. Gondalensis de Camera, Comes Cagliertanus, peste moreretur. Et hac occasione gubernatores Almerino profecti sunt Setubalum, cum Duce Braganciæ, cum ministris Hispanicis & aliis, qui Philippi partes sequebantur, & delectis ducibus ad portas oppidi excubias disposuerunt. Rex Hispaniæ, omnibus eopiis prope Badagoizium in vnum locum coactis, & accepto de classe iamiam ex portu S. Mariæ solutura nuntio, antequam in Lusitaniam ingredieretur, non contentus tot, vt supra dictum est, Theologorum iudicio, & sententia, quam summa cum diligentia exquisiuerat, voluit denuo in vniuersitate Alcalana (vbi facultas Theologica maxime floret) quæstionem de exercitu in Lusitaniam ducendo, deque postulationibus Oratorum Lusitanæ, examinandam proponere. Congregatis itaque omnibus Theologiæ Doctoribus, (erant autem plures quam triginta) precibus ad Deum fusi, sacrificisque factis, de quæstione proposita (quam singuli priuatim diligentissime excusserant) tribus sessionibus disputarunt. Quamuis enim illa non esset adeo difficilis, & intricata: erat tamen maxim momenti, & inusitata. Descenderunt autem magno consensu in eandem sententiam cum illis, quos Rex prius consuluerat, (quorum tamen argumenta & rationes non viderant) & decretum, informam authenticam redactum, ad regem miserunt. Fuerunt ipsis proposita tria capita. Primum vtrum Rex, qui certus sit ad se, tanquam ad legitimum hæredem successionem regni Lusitanæ deuolutam esse, mortuo rege Henrico, in foro conscientiæ teneatur se subiictere vllis iudicibus, aut arbitris, qui regnum illi adiudicent, cumque in possessionem mittant? Secundum, cum Lusitani ipsum pro rege suo agnoscere, & recipere recusent, nisi vna cum ceteris competitoribus sententiam expectet: vtrum iure possit possessionem regni apprehendere propria auctoritate, & armis adhibitis contra eos, qui obluctaturi essent, præsupposito hoc, quod de iure suo non dubitet, nec vllum conscientiæ scrupulum experiatur? Tertium, cum dicant gubernatores regni Lusitanæ se, & omnes regni incolas iurasse neminem se pro rege, nisi eum, qui per sententiam successor legitime declaratus fuerit, agnitos, seque Regiam Maiestatem alia conditione recipere non posse, præsertim cum competitores conquerantur, seque sententiæ parere paratos esse profiteantur; Regiam Maiestatem cupere edoceri, an gubernatores, & subditi sub iuramenti prætexu, iuste se excusare possint, quo minus Reg. Maiestatæ ad regni possessionem admittant. Ad primum responderunt, Regem in foro conscientiæ non teneri se subiictere vllis iudicibus aut arbitris, cum auctoritate propria sibi hæc regna adiudicare, & possessionem eorum apprehendere possit. Nominatim autem à potestate iudicandi in hac causa excludebant principes & reliquos, qui sibi ius in ea prout iudiandi arrogare posse videbantur. Et primum debita honoris præfatione, & veluti depreciation ad Papam, & sedem Apostolicam præmissa, negabant Papam esse iudicem competentem, propter ea quod hic ageretur de re mere temporali, nec vlla se se offerret earum circumstantiarum, quæ Pontifici potestatem indirectam in causis temporalibus, respectum aliquem spiritualem habentibus, tribuere solerent, Imperatoris iurisdictioni regem obnoxium esse negabant, ideo quod reges Hispaniæ supremam potestatem habent, nec vlla in re Imperatorem recognoscunt: multo vero minus illum alterius alicuius regis iudicio stare cogi, dicebant. Reipub. & regno Lusitanæ itidem Philippum subditum esse negabant, propterea quod Reipublicæ, quæ regem eligunt, ipsis imperium deferunt, imposterum subiectæ sunt illi, in quem potestatem suam contulerint, ita vt nulla illis iurisdictioni reliqua sit in regem, aut legitimos successores, cum per primi regis electionem, etiam omnes legitimi eius successores electi intelligantur. Cuin itaque constet in hoc casu de vero successore, necessario hinc sequi, Reipublicæ Lusitanæ nullam iurisdictionem competere in verum successorem: & tam certo statuere regem se non esse subditum tribunalii huic Reipublicæ, quam certo statuat se esse verum successorem. Quantum ad vndecim iudices, quos ex vigintiquatuor rex Henricus delegisset, dicebat Henricum non posse esse iudicem illius, qui ipsi mortuo succederet. Per mortem enim officium administrandæ iustitiae expirasse, omnemq; iurisdictionem & auctoritatem in successorem deriuatam fuisse. Contrà arbitros brevibus agebant, & compromisso, atque arbitrio locum esse negabant in causis, quæ non sunt dubiæ: qualem hanc esse pro confessio sumebant. Respondebant illis, qui dictabant, Philippum ius in Lusitanæ regnum sibi atrogare, non vt Regem Hispaniæ, sed

ut cognatum Henrici: & ideo eum prærogatiuā, quam ut rex Hispaniarum haberet, in hoc casu vti non posse. Negabat hanc diuisionem imaginariam in regis personam cadere, eo quod haec ita coniuncta sit cum dignitate regia, ut non possit fieri iniuria personæ, quin etiam dignitas lēdatur: & quoniam Rex aliquis bellum alii regi inferre potest, propter iniuriam fratri, confœderatis, & amicis factam, tanto magis bellum licitum esse, quod regni, pér legitimam successionem ad se deuoluti, occupandi causa suscipitur. Respondebant etiam illis, qui contendebant iure Ciuli, & Canonico cautum esse, ut de religiosa cognoscatur, & pronuntietur in eo loco, vbi illa est: & pér consequens hanc litem esse in Lusitania decidendam dicebant iurā illa loqui de hominibus priuatis, qui habent iudices superiores, non de principib. absolutis, & à nemine dependentib. Ad secundū caput respondebant, adhibitis multis rationibus, quas etiam in prima responſione ante adduxerant. Negabant à rege aliud postulari posse: quam ut Gubernatores edoceat de iure, & manifestis rationibus, quę ipsi regnum illud adiudicant. Qui si, his neglectis, in pertinacia persistant, regem propria auctoritate posse regni possessionem apprehendere, & (si necessitas flagitaret) etiam armorum terrore obstinatos ad obedientiam compellere. Neque autem hanc iniustam vim hoc casu adpellari posse, sed potius defensionem regni, iure sibi debiti, & iustum rebellium pœnam. Ad tertium respondebant illos, qui præstiterant iuramentum, non posse cogi ad illud obseruandum, cum constaret, nequit in Lusitania, neque alibi nullum esse iudicem, cui ius esset pronuntiandi in hac causa inter ipsos & regem. Præterea iuramentum tendere in præiudicium regiæ dignitatis: & ut iuramentum non obligaret eos, qui illud præstiterant, ad obseruationem: ita etiam illud non posse ab iisdem prætendi ad Regiæ Maiestatis imperium recusandum. Contestationem vero competitorum, & promissionem de obedientia sententiæ præstanta, non esse tanti momenti, ut Rex præterea se iudicib. non competentib. subiiceret cogeretur. Porro Rex Philippus cum has rationes cognouisset, existimauit possessionis regni apprehensionem non esse diutius differendam. Itaque exercitum Cantilianam, tribus Badagiozio milliaribus distantem proficiisci iussit, inde in fines Lusitaniaz duendum. Cumque in eo loco Rex ipse una cum Regina copias vniuersas in castra ingredientes videre cuperet, imperauit sibi in medio agro pugna quoddam ē ligno extrui: quo consenso, omnia agmina, duce Albano sene sed habitu militem integræ & tatis repræsentante, ordine prætereuntia, contemplatus est. Quainuis autem Rex videretur in eam partem propendere, ut statueret sibi Badagiozio non discedendum: tamen inter homines curiosos varij erant hac de sermones, & præter rationes vulgares, quibus vti solent ii, qui adfirmant Reges ipsos expeditionibus interesse debere, adducebantur etiam quædam peculiares, quæ suadere videbantur necessitatem flagitare, ut rex ipse omnino huic exercitui præcesset. Dicebant tria esse, quæ requiruntur in expeditione, cui principe ipsum interesse contieniat: nimurum rei, propter quam armā capiuntur, pondus ac magnitudinem: spem felicis successus, & belli per ministrum conficiendi difficultatem. Omnia autem haec tria in ista expeditione manifesto concurrete. Litem enim esse de regno maximi momenti, diuite; aliis ditionibus Regis contermi-
no, capite multarum locupletissimarum prouinciarum, quarum fines amplificati facile posse viderentur. Spem victoriae esse tam certam, quam humanitatus loquendo, certa esse posset, tum bonitatis causæ, & virium respectu, tum etiam propter hostium imbecillitatem. Difficultatem expeditionis ministri opera conficiendæ esse non exiguum, & huic casui maxime propriam. neque enim Regem intraturum in Lusitaniam, ut ciuitates, & castella occupet, sed potius vt animos hominum sibi deuinciāt, neque, vt victorem se gerat, sed vt principem legitimum, cuius est venire viribus instructum ad reprimendas mutationes, quæ in regnis recens adquisitis nasci solent, vt etiam se facturum significasset gubernatoribus & ordinibus Regni. Has vero partes, tanquam summe arduas, non posse recte committi, nisi filio primogenito: reliquis vero filiis, & nepotibus non item: quanto minus duci exercitus, natione Hispano; & partim natura imperioso, partim grauissimarum rerum, quas tractauerat, vsu exasperato, & Lusitanis in primis exoso. Dicebant certissimum esse, si Rex ipse in regnum ingredederetur, ex amicis subditos fidelissimos, & ex iis, qui neutram partem ante securi essent, amicos facturum: Albanum ē contratio amicos in neutrales, neutrales in inimicos, & inimicos in perduelles mitaturum: His, & aliis rationibus fulciebant opinionem suam ii, qui in hac expeditione regis præsentiam omnino necessariam esse contendebant. Ab altera parte in medium adferebatur, quando in deliberationibus versatur res adeo difficilis, vt ad impossibile accedat, tum non disputari debere, quid faciendum, sed necessitatí simpliciter esse parendum. Huiusmodi autem esse disputationem de Regis in Lusitanis.

Lusitaniam ingressu, ideo quod variis incommodis exercitus ita imminutus esset, vt & numero, & virtute longissime differret ab eo, quem ad huiusmodi expeditionem necessarium esse initio decretum fuisse. Nam ex militibus exteris ultra sexies mille deesse numero, qui fuerat conscriptus: Hispanorum, qui venerant ex Italia, multos; tyronum medium partem desiderari: veterans vero è Belgico euocatos in tempore adesse non posse. Sane si veterans cum reliquo exercitu (cuius tanquam nenuis futuri erant) se coniunxissent, & omnes illæ copiæ, quæ initio conscriptæ fuerant, in unum locum convenissent, tum regem tuto expeditioni interesse, & transitum liberum ad subsidia & commeatus recipiendos conseruare potuisse à finibus regni Setubalum usque, idque dispositis iusto interuallo præsidiis, quæ commeatus, & supplementa excepta paulatim in castra deducerent. Verum cum tam equites, quam pedites ad hanc rem destinandi, deficerent, nihil restare, nisi vt in duo maxima pericula incurratur. Prius esse, omnem commeatum secum ducere, unde noua, & monstrosa exercitus forma necessario oriuria esset, ideo quod equitatus non sufficeret ad impedimenta, & plastra alis suis tegenda. Posteriorius, idque æque magnum committere, vt vita tot hominum penderet ab instabilitate maris, & ventorum, quorum beneficio classis ex Andaluzia Setubalum deducenda esset cum reliquo commeatu, & rebus ad tormenta necessariis, quibus exercitus, commeatu plaustris aducto deficiente, vteretur. Quamuis autem Albanus contentus esset numero militum, qui præsto erant, tamen illum hoc fiducia peritia suæ, & imperitia hostium facere: spemq; superiora pericula euadendi nulla in alia re collocare, quam quod Lusitanos non iudicaret proficisse tantum in rei militaris scientia: vt sibi impedimenta obiicere, à tergo circumuenire morari, & in rerum necessiarum penuriam coniicere nosset: quibus artibus si illi vidi dicissent, rem periculo non carituram esse, & Albanum vel ad retrocedendum, vel ad pugnam iniquo loco, & dubia victoria ineundam adigi, vel saltem, quo minus eo anno Tagum transiret, impediri posse. Hoc autem pacto valde dubium fore expeditionis euentum tum propter animorum instabilitatem, quos progressu temporis verisimile esset facile mutari posse. Præterea incertū esse, utrum duæ partes exercitus commode coniungi possent. Videri autē hoc difficile, propterea quod altera pars naues cōscendisset, altera terrestre iter ingressa esset, & quod non adeo probabile videretur fieri posse, vt exacte ad tempus præstitutum altera alteram assequeretur. Sin autem hic ab alterutra parte saltem viginti dierū dilatio intercederet, in sequentem annum necessario expeditionem esse reiiciendā. Concludebatur hinc, nec disciplinam militarem, nec politicam ullam rationem pati, vt Rex ipsius expeditionis periculis sese obiiceret. neque enim vel industria, vel fortuna satis tuto committi salutem principum, quorum consilia non alienæ imbecillitati, sed propriis viribus inniti oporteat. Dum in Castella hæc est rerum facies, & Lusitani indies maiori cum arrogantia, & confusione res administrant, in Portugallia cuius facile erat animaduertere, regnum illud præceps ad exitium ferri. Nam deliberantibus vniuersis, nemo erat, qui quid vellet, aut quid faciendum esset, satis nosset: aut, si essent, quam viam tanquam ad metam propositam ducentem, ingredierentur, cœcis similes, ignorabant Gubernatores, qui erant Setubali, in dicebant conuentum, & perturbabantur, quod Albanum cum exercitu instructo ad fines Lusitanæ properare audirent, & Antonium Sanctarenæ procuratores, vt ad conuentum proficiserentur, solicitare, & facere semina illius tumultus, qui postea exortus fuit. Urgebat illos dux Braganciæ, & publicè de his conquerebatur, fortasse quod non omnia ex illius sententia administrarent: neque ministri Hispanici illos sinebant quiescere. Dimiserant Iohannem Teglium Lisbonam, vt res ad defensionem necessarias præpararet, cum quo minus bene, quam ante, illis conuenire incipiebat: cupiebant satisfacere omnibus: metuebant furorem populi: mouebant, sed non promouebant: instabant magnis clamoribus ciuitates, & oppida; vt vel arma, quibus se defendarent, vel licentia ditionem faciendi sibi concederetur: respondebant illi generalia, quæ nullum effectum producebant. Acceperunt etiam litteras a Duce Albano, quibus eos arguebat crudelitatis, ideo quod negligenter consuetudinem quæ ubique gentium obseruat, nempe, vt exercitu potenti in aliquam prouinciam ingresso, concedatur iis locis, quæ non ita munita sunt, vt vim hostium sustinere possint, ditionem faciendi facultas, ne peccent in præcepta militaria, quæ iubent ad unum omnes occidi, quotquot hoc casu resistunt: & non iniuria, quia alioquin tormenta maiora ad minutissimum quemque pagum diuerberandum adducere necesse esset, nec bellum unquam finiretur. Sed ne hæ quidem litteræ illos mouerunt, vt ulli ciuitati, aut opido certi aliquid hac in re præciperent. Inter se quidem satis de regno regi Philippo tradendo consentiebant, sed non perspiciebāt, quo pacto consiliū hoc ad effectum perducere

rent: quod si detergeretur, verebantur, ne lapidib. obruerentur. Itaque nolebant quicquam temere tentare, præsertim quia in dies imminuebatur spes rem eo adducendi, vt Philippus regnum ipsis acceptum ferret, quo initio collimasse videntur: præterquam quod etiam totum regnum sibi hoc in negotio aduersari intelligerent, ita vt si maxime periculum facere cupissent, tamen nè nihil efficerent, verebantur. Vulgus (quod omnia secunda initio sibi polliceri, incommidis autem superuenientibus facile succumbere solet) credebat nullo negotio hosti resisti posse: vnuusquisque leonem, priuatos parietes defendendi ardore, æquare videbatur, sed omnes, vtpote bellicæ rei imperiti, in apertos campos sub signis armati prodire recusabant. Porro familia Portugallorum, & reliqui regis Hispaniæ aduersarii non minus erant anxii, quam ipsi gubernatores. Videbant enim se pertinacia sua regem 10 Philippum irritasse, idque sine vlo fructu. Et licet iusto plus viribus suis fiderent, tamen metuebant contestationes, & denuntiationes Philippi, quibus regni possessionem petens, simul minabatur exitium illis omnibus, qui sibi obstatuerent. Quamuis autem ministri Hispanici etiam hos non minus, quam multos alios, corrumpere, & Philippo conciliare studuissent: tamen nihil effecerunt, quod Portugalli, initio obstinati, in medio viribus suis freti, in fine de venia impetranda desperantes, omnem conuentionem, & compositionem respuissent. Hæc tamen vnica spes reliqua ipsis erat, quod quo ardentiores se in paranda defensione gererent, eo magis Philippo, quid possent, se ostensuros, & eo tolerabiliores in transigerendo conditiones impetraturos considererent: atque ita fore, vt (gubernatoribus propter mutuas dissensiones rem ad effectum non perducentibus) Philippus regni possessionem ipsis acceptam ferret. Verum ille probe de his rebus omnibus edoctus, postquam cum locorum, ad limites Lusitanæ sitorum, incolis egisset de deditione, & prolixe iure suo, & causæ bonitate demonstrata, illos monuisset, ne pertinacia sua regni deuastationi causam præberent: iussissetque Petrum Velascum, supremum iudicem Badagiozii ad quosdam priuatim litteras hac de re dare: primum omnium tentauit ciuitatem Eluas, tanquam reliquis viciniorem: cuius ciues cum à se initium vel transigendi, vel armis vtendi Philippum facturum iudicarent, cotidie illius nuntios expectabant. Erant autem (vt plerunque fieri solet) diuisi in factiones duas: quarum altera in partes Philippi inclinabat: altera sub libertatis conseruandæ, & in fide apud gubernatores persistendi prætextu imperium eiusdem vehementer auersabatur. Illius factonis caput erant Georgius Passanus, & Iohannes Rodericus Passanus, fratres: à quorum partibus stabant multi ex eō genere ciuium, quos scutiferos appellant: huius verò, Antonius Melius, præfectus ciuitatis, cui adhærebant fere omnes nobiles, numero tamen superioribus longe impares: & vnuusquisque quid de re tota sentiret, aperite profitebatur. Fuerat paulo ante in ea vrbe Iacobus Menesius, quem gubernatores miserant, vt, quæ ad conservationem illius pertinerent, curaret: & cum fossas amplificari iussisset, idque cum magna difficultate coniunctum animaduertisset, re infecta discesserat, promittens fore; vt armis & militibus à gubernatoribus instruatus reueteretur. Quia autem non redierat, facile ciues intelligebant se non posse hostium impetum sustinere. Sane Philippus, qui multo ante eorum animos tentauerat, opera Vincentij Fonsecæ, monachi ordinis prædicatorum, cognatione iuncti Passanorum familiæ (quæ nobilissima erat, & iam inde ab initio cum omnibus assclis suis Philippo fauerat) non desistebat operam dare, vt etiam reliquos in partes suas pelliceret, quamquam verum est, monachum, cum die annuntiationis Beatae Virginis, pro concione populi ad obedientiam Philippo præstandam cohortaretur, ab eodem non admodum a quo animo auditum fuisse. Cum itaque iam possessionem adprehendere constituisse, missis & ad Episcopum, Antonium Melium multis nuntiis, postremo eodem ablegauit Petrum Velascuni, vna cum litteris ad primarios, & cum mandato urbem illam in potestatem, & tutelam regiam recipiendi.

Velaslus die decima septima Iunii Eluas peruenit, comitatus octodecim viris intermisibus. Et quamuis initio, appropinquate eo, portæ propter metum mali contagiosi occluderentur: tamen paulo post à prætore intromissus, & in templum Misericordiæ ingressus, iussit vocari Episcopum, magistratum Cameræ, Melium, & nobiles, quibus omnibus regis litteras reddidit, quarum hæc erat sententia. Quandoquidem tam euidens esset, regni successionem ad se spectare, se misisse Velascum cum mandato iuramentum fidelitatis ab illis recipiēdi, quod eos prompte præsturos esse certo sciret: blandisq; hisce verbis multas pollicitationes adiungebat. Et licet Episcopus Melius, & Camerale litteras acceptas legerent: tamen nobiles non tam facile illas sibi accipendas esse iudicabant, veriti; tie pectarent, & nonnulli alii, quod inter se dissiderent, cui potissimum hic honor deferri debe-

Fec; illas

ret, illas etiam non recipiebant. Tandem tamen conclusum fuit Fratrem Antonium Cerdam, Priorem monasterii S. Dominici, epistolam ad nobiles scriptam accipere, & in templo Cathedrale ad eos deferre debere. Lectis itaque omnibus litteris, Melius & Camerale, qui omnes anteccedebant, octo dieturum spatium ad deliberandum, & respondendum petiere, sperantes se interea de re tota commode gubernatores certiores esse facturos. Denegauit hoc Velascus, dixitque se è vestigio ad Regem redditum: hortatus est, ne committerent quidquam, quod Regem irritare, & ad exercitum, qui tam vicinus esset, cœrui bus ipsorum immittendum mouere posset. Veruntamen nihilominus illi Gasparum Britum Stremum miserunt, qui Iacobum Menesium, præsidem illius prouinciarum, de his rebus edoceret, & ita pependerunt animi usque in diem sequentem: quo Passani, intellecto Meliū confilio, voluntati & auctorati ipsorum omnino contrario, constituerunt eum, nisi sententiam mutaret, interficere. Eriam ante populum contra Melium instigauerant, multis que persuaserant, ut publice, se Castellanos esse velle, profiteri non dubitarent. Velascus deinde in arcem se contulit, ut Melio, remotis arbitris, persuaderet, ne pergeret esse obstinatus, neue sine causa alienum à Rege Philippo animum proderet: sed frustra. Dicebat enim Melius sibi curam illius urbis commissam esse à gubernatoribus & se nemini iniussu eorundem illam dediturum: si Regi Philippo regnum per sententiam adiudicatum esse probari posset, se paratum esse obedire. Verum cum interim mandatu Velasci ad fossas urbis circiter equites sexcenti accessissent, ac puto, & aqueductus, ex quibus aquam ad bibendum incolæ hauriunt, occupassent, Lusitani vehementer perturbati fuerunt, ita ut mulierculæ passim magnis clamoribus conuicia iacerent in Melium, & reliquos, qui Regis Philippi imperium detrectarent. Itaque nonnulli iuvenes impulsu eorum, qui Philippo fauabant, cum viderent patriam suam à præfecto in discrimen adduci, constituerunt statim illum occidere, & profecti ad templum Cathedrale, (vbi omnes conuenierant) prope portam illius, in Melium egredientem impetum facturi, substiterunt. Verum cum ille sermonem cum Episcopo, qui in ipso flectendo laborabat, inscius tamen periculi imminentis, produceret, nepos illius (cui & ipsi nomen erat Antonio Melio) certior factus, quanto in discrimine auus versaretur, ex arce, assumptis aliquot sclopetariis, subsidio illi venturus accurrit: auumque in templo adhuc offendit. Cumque senex Antonius nepotem armatum vidisset, miratus est, quod causam ignoraret: quam cum deinde intellectisset una cum periculo, in quo versabatur, & quod hostium copiæ in vicinia essent significauit Velasco, nihil restare, nisi ut ille cum Cameralibus transigeret: se enim paratum obedire Regi Philippo: & ita omnis tumultus sedatus fuit, quia iam ante etiam cum ipsis Cameralibus conuentum fuerat. Cum a. præstarentur iuramenta, ciues nonnihil cauti petebant à Velasco, ut nomine Regis ciuitati multa priuilegia, immunitatem vctigaliū, & portiorum per totum regnum, multaque alia magni momenti, concederet. Velascus liberalis de eo, quod dare non poterat, concessit quidquid peteretur: sed Rex postea promissis non stetit, quod diceret Velascum (& ita reuera erat) mandati fines excessisse. His ita transactis, intellectum fuit Gasparum Britum, quæ ciuitas ad Iacobum Menesium miserat, redire cum trecentis partim peditibus partim equitibus, qui non satis erant armis instructi, ad ciuitatem defendendam. Itaque Brito statim iniunctum fuit, ut discederet: in cuius cōspectum cum interea equitatus Hispanicus peruenisset. Sponte cum omnibus suis in fugam se concidit. Postero die, cum adhibitis ceremoniis solemnibus noui regis nomen publice proclamatum fuisset, Velascus ad regem rediit, cum solum triduum in his rebus componendis consumpsisset. Paulo post optimates Eluenses, regis solita cum reverentia salutandi causa, Badagozium venerunt: & à rege maiori cum comitate, quam erga homines uti soleat, excepti fuerunt. Misit etiā ille Eluas Garziam Cardenam nepotem Albani, qui ciuib. Eluensibus profide & studio in regem gratias ageret. Redactis in potestatem Eluis, Velascus profectus est Oliuenzam eundem ob finem. Scriperat a. iam ante Oliuenzam, & hoc egerat, ut ciues præfectum Nunum Aluarezium, filium comitis Tentuguelensis, allegarent: id quod etiam paruo negotio obtinuerat. Ciues enim in partes Philippi inclinantes communis consensu ciuitatem illi dedere constituerant: petierant tamen, ne ab Oliuenza rex, possessionem regni apprehensurus, inciperet, quandoquidem animi omnium ipsi essent addictissimi. Malle. n. se minorem gratiam inire tardius iuramentum præstando, quam in leuitatis & inconstantia suspicionem apud homines incurriere. Itaque non tantum Nunum Aluarezium, sed etiam Iacobum Sosam, equitem Melitensem, & in Nunilocum substitutum, dimiserunt. De harum duarum ciuitatum ditione fama statim peruersa Santarenam, ubi erat Antonius, qui populum, à quo Rex salutari cupiebat, variis artibus demulcebat. Tractauit semper hoc negotium Antonius incredibili cū seruore,

quantumuis Henricus Rex dum viueret, eam ob causam acerrime illum insectaretur: & omnes, quas animo concipere poterat, ad regnum perueniendi vias ac rationes adhibuit. rogans, minitans, pollicitans. Cum rege Philippo diuersimode egit per ministros. Modo præ se ferebat odium in ducē Braganciæ, & in huius perniciem cū rege Philippo se transactum simulabat: modo mentionē iniiciebat de actione sua Philippo concedenda: dum modo sibi tolerabiles conditiones offerrentur: modo omnem conuentionem respuebat, ita ut facile adpareret, cum temporis seruire, & prout spes in animo ipsius variabant, statuere. Vnde siebat, vt, qui eius nomine cum Philippo agebant, si quando existimarent facta transactaque esse omnia, subito mandatum ab Antonio reuocatum inteligerent. Tandem Philippus egit cum illo per Christophorum Morum, promisitque se amore illius ductum, concessurum quidquid peteret, nulla tamen vel summa pecunia, vel alia re nominatim expressa. Verum Antonius, qui Morum odisset, ipsius opera in transactione cum Philippo instituenda vti noluit. Postea autem, cum Dux Ossunensiscatalogum earum rerum, quas Philippus regno offerebat, gubernatorib. exhiberet, reddidit etiam Antonio litteras Regis quibus scribebat, Antonium à multis annis perspicere potuisse, quanta benevolentia semper illum fuisse complexus, & quod nullam eius declarandæ occasionē prætermisisset. Spetare se itaq; illum fore memorem & gratum, satisque facturum iis, qua & æquitas, & cognatio, qua iuncti essent, flagitaret. Quia autem non dubitaret, Antonium edictum de manifesto iure, quod in regnum haberet se amanter rogare, vt ipse inter primos se pro rege agnoscere, sibique tanquam principi, ac domino legitimo à Deo Opt. Max. in hunc locum eucto, iuramentum præstare non recusaret: ita vt ipsius exemplo moti reliqui officium eo promptius ficerent. Postremo præmittebat, se quantum ad res Antonii priuatas attineret, nihil prætermisserunt, quod ad eum ornandum, souendumq; pertineret: reliqua se Duci Ossunensi, & Moro permittere. Sed hæ litteræ omni fructu caruerunt. Dixit enim tum Prior Duci Ossunensi, nunquam se transactum: Et scripsit ad ipsum Philippum se illi hac in re gratificari non posse. Esse enim se in tutela populi, & id eo ad illius voluntatem omnia sua consilia accommodare cogi. Cum itaque Prior intellexisset, Hispanos in Lusitaniam ingredi, institut apud populum & gubernatores, & periculum à Philippi exercitu ram vicino impendens, & quam necessarium esset eligere caput aliquod, vt eo melius hosti resisti posset, illis ante oculos ponendo effecit, vt ipsum defensorum, vel regem creare animum inducerent. Quanquam autem hoc consilium caperetur ab hominibus maxime seditiosis & temerariis, qui vi coñantur exequi quidquid in mentem ipsis venit, qui que cupiebant Priorem proclamare regem: tamen multis hoc improbabatur: multis etiam videbatur præstare eū defensoris titulo ornari: & ipse Prior non satis sibi hac in re constabat, vtrum potius eligeret: (vt in reliquis rebus omnibus) se à maiori parte, & intimis amicis duci patiebatur. Hi vt populum inuitarent, ad satisfaciendum votis ipsorum, inuitis etiam illis, qui consentire nolebant, cum forte ageretur de propugnaculo quodam prope Sanctarenam in eo loco, vbi est facellum inuocationis Apostolorum, extruendo, sparserunt rumorem fore, vt decimonono die Iunii Antonius eo, primum lapidem positurus, proficeretur; iusseruntque vniuersum populum ad propugnaculi ædificationem adiuuandam adesse, vt eo facilius in tanto hominum concursu id, quod animo conceperant, ad exitum possent perducere. Neque magno artificio ad persuadendum opus fuit, quia populus rerum nouarum audiissimus mane eius diei maximo numero confluxit. Episcopus Parmensis, & Episcopus Guardensis (quorum hic conscius horum consiliorum, ille ignarus erat) accesserunt ad facellum: vbi missa inchoata, & ad medium perducta, populis ad defensionem, & ambiguis verbis etiam ad electionem inuitatus fuit. Cum autem paulo post Antonius aduenisset, & extra facellum prope portam eiusdem preces concepturus genua flexisset, duo illi Episcopi stolati ad eum exierunt consecrari locum, vbi arcis fundamenta iacienda erant: qui simulac Ceremoniarum consuetarum initium fecissent, Antonius Baracchius, homo audax, stropholum mucroni gladii impositum eleuans Antonium regem alta voce salutauit, magnoque cum clamore & strepitu ipsi acclamatum fuit ab vniuersa turba, que siue ad terrendos illos, quibus hoc factum improbabatur, siue arma ostentandi causa, gladios eduxit. Ibi Antonius, vel quod modestiam simularer, vel quod inter spem metumque dubius fluctuaret, clamauit: non, non: Et passus longitudine progressus est, quasi poculo silentium imperaturus. Pietrus Coutignus etiam loci illius præfectus, magna cum indignatione clamores turbæ inhibere conabatur, dicebatque Priorem nolle vocari regem: sed frustra. Baracchius enim directo, quod humeris gestabat, in Coutignum sclopeto, cum tacere coegit, & ille etiam paulo post discessit. Antonius siue quod tot enses districtos cernens perterreficeret, siue quod hoc pacto ad tantam dignitatem

dignitatem concordare cum metu quodam coniunctum sit, stabat timidus, & tremens, & eius rei non obscura signa praebuit suis: qui cum ipsum equo imposuissent & equus statim offendisset, parum abfuit, quin caderet: & omnes nobiles, qui aderant, eum comitatis sunt capite aperto, tanquam regem, & quamvis magna pars populi ignara, quid agendum esset, eo venisset, tamen ad vnum omnes eum secuti sunt. Ex eo loco se contulit Prior in templum, & è templo in curiam: & ianuis, quia clausæ erant, confractis, solennibus actis, & instrumentis adhibitis, Rex confirmatus fuit. quibus subscripsérunt omnes nobiles Lusitani, qui aderant, & Emanuel Costa Borgesius manu vexillum gestans alta voce: Viuat Rex, viuat Rex, more solito clamabat. Inde in hospitium digressus, se præparare cœpit ad iter Lifybonense, vt in metropoli regni etiam se regem proclamandum cūraret. Interea peruererat Velascus Oliuenzam, nono die lunii noctu: & à Iacobo Vasconcellensi, rogatu Passanorum Eluensum, domum suam receptus fuit, & postero die magistratum & nobiles rogauit, vt ne in templum Misericordiæ, litteras regis accepturi, conuenire grauarentur. Cum conuenissent, reddidit illis litteras Regis: quæ cum publice lectæ fuissent, & adpareret illas humanissime scriptas esse, & regem hortari, vt iuramentum fidelitatis sibi præstarent, rogauit Velascus, vt breuiter responderent. Ceterum, rex paruis initis interdum res maximi momenti nascentur, ita etiam parum abfuit, quin hic contingere. Cum enim nobiles illius ciuitatis in duas contrarias factiones scissi essem: quarum alteram sectantur Lobi, & Gamæ: alteram Matti, euenit, vt litteræ Regis, ad nobilitatem scriptæ, casu Lobis omnium primis redderentur. Cum itaque pars aduersa hanc rem sinistre interpretaretur, præsertim quia Velascus apud hominem, Loborum factioni addicatum, diuersabatur: constituerunt totis viribus impedire, quicquid aduersa factio statuisse. Cumque illo tempore magistratu fungerentur plures Matti, quam Lobi, & aduersarios ad ciuitatem Regi dedendam inclinare animaduerterent cœperunt iis obluctari, & nullo dato responso ad litteras regias, eas festinanter miserunt ad gubernatores: & paulo post in hospitium Velasci profecti, ei indicarunt, se non posse respondere in negotio tam arduo, nisi re perbene deliberata, & gubernatoribus exposita, & quadratum ad consultandum postularunt. Cum autem Velascus responderet, sibi non esse integrum, illis longius deliberandi spatium quam in diem sequentem usque concedere, discesserunt incerti, dixeruntque se non metuere, quod omnem spem in diuino auxilio collocarent. Displicebat hoc Velasco, & ideo cogitabat, de Duce Albano per Fratinum, architectum Italum, qui illi aderat, admonendo, vt aliquot signa peditum in conspectum vrbis, ad terrorem ciuibus incutendum, mitteret: verum recum amicis Lusitanis communicata, cum intelligeret, populum in Philippi partes inclinare, consilium mutavit. Lobi vna cum asseclis suis, cum viderent à magistratu Camerali sibi contradici, consilli capiendi causa in vnum conuenerunt: & confecto instrumento quodam, omnes, qui se regi obedire paratos esse profiterentur, subscripsérunt. Pars etiam aduersa consultandi causa conuenerat, sed re infecta, discessum est. Interea Marcus Antonius Iustinianus, patritius Genuensis, amicus Velasci, & cognatus Loborum, suasit Velasco, vt domo egressus per compita vrbis circumiens populum alloqueretur, verbisque appositis illum detota edoceret. Secutus est hoc consilium Velascus, & coacta ingenti multitudine, orationem habuit satis prolixam, in qua ostendebat, quid utilitatis percepturi essem: si regis imperium reciperen: & contra in quæ incommoda essem incursum, si magistrati obtemperarent: quandoquidem tam validus exercitus praeforibus esset. Vulgo quod facile huc illuc impellitur, satisfaciebat oratio: cumque Velascus, comitante multitudine, ad templum Spiritus sancti, in quo congregata erat nobilitas, peruenisset, ingressus dixit, Domini quid agemus? Cumque Aluarus monachus omnium nomine respondisset, illos esse paratos Regis imperium recipere, Iustinianus Velascum medium arreptum in altum sustulit, nomenque regis alta voce pronuntiavit, acclamantibus nobilibus, & plebe. Inde ad curiam progressi, sub pena graui euocari iussérunt iudicem, & syndicos, qui cum populum tumultuari, & Philippum regem fuisse iuratum, intelligerent, metu perculti, & ipsi se regi submisserunt. Idem fecit arx & confectis actis, adhibitisque consuetis solennitatibus, Velascus regis nomine multa priuilegia, & immunitates promisit. Hoc modo, & etiam minori cum tumultu cetera loca in finibus illis sita, in potestatem regis venerunt, vt Serpa, Mora, Campus maior Arroghezia, Portalegre, & in aliis etiam prouincis per circuitum totius regni eadem cum industria per ditionem multa loca in potestatem regis redigebantur. Interim Antonius Sanctarena, Lisbonam versus iter facere cœperat, & gubernatores videntes euenire, quod iampridem ante animus ipsis præfigiebat, vna

cum Duce Bragancie, & ministris Hispanicis Setubali munitiones instituebant, veritatis a rege nouo intuaderentur. Non prospexerunt vrbi Lisybonæ de rebus ad defensionem pertinentibus, quod existimarent Petro Cugnæ Lisybonæ praefecto, & Ioanni Teglio (qui ut diximus, erat Belemi cum mandato ipsorum) eam rem curæ fore, vt & illis iniunxerant, præsertim qui etiam duos ministros Iustitiae miserant, quicquies ad arma capienda hortarentur. Ceterum Teglius, qui non malo fortassis animo, sed tamen paulo imprudentius assentiebatur iis, quicquam persentiam decidi volebant, cum intellexisset Antonium regem creatum, magnam inde molestiam percepit. Videbat enim sibi munus, quo fungebatur deponendum, seque plus iam difficultatis habiturum, si cum rege Philippo transfigere animum induceret: præterquam quod etiam Antonius regnum ipsi acceptum latus non esset. Cum itaque ira incensus esset, & existimaret se cæteris gubernatoribus iniuriam facturum, si illis Setubali degentibus, ipse, qui esset Belemi, Priorum inermem tam paruo negotio Lisybonam occupare pateretur, constituit illius defensionem suscipere, idque etiam impulsu magistratus, qui rogabat, vt in urbem veniret, eamque propugnaret. Si enim illa à Priori occupata fuisset, se, qui id vetare non posset, fore extra culpam, quæ tota in illum, vt pote qui posset, & nollet Priori resistere, esset redundatura. Itaque Teglius perfunctoriè conscripsit aliquot cohortes ex rusticis, loca circumuicina incolentibus, easque Lisybonam ad Priorum ingressu prohibendum, misit. Mandauit etiam Petro Cugnæ, vt defendendæ vrbis prouinciam in se recipere: ipse tamen in eam non ingredi constituit, & conuocatis ad deliberandum nobilibus qui aderant, decretum fuit, statim obuiam Antonio Iacobum Sosam, & Franciscum Menesium mittendos esse, qui rogarent, ne Lisybonam ingredieretur, neque titulo Regis uteretur, sed solum defensoris: propterea quod in omnem euentum illud nomen esset altero ad propositum accommodatus. Licet autem hi in iter se darent, tamen complures suadebant Teglio, ne, (quantumuis hec admonitio esset rationi consentanea) hoc pacto Priori cursum fortunæ suæ interrumperet. Cum itaque animo fluctuaret, nec quidquam certi statueret, euenit, vt milites, siue rustici, qui Lisybonam versus iter faciebant, nullo accepto mandato à gubernatore, nescirent, quid agendum sibi esset: Priorumne adiuuare, an vero vrbis ingressu prohibere oportet. Emanuel enim Portugallus, qui ad regium solium cupiebat Priorum euhere, operam dederat, ne quidquam certi statueretur: & si quid forte statutum esset artibus suis efficiebat, ne ad effectum perduceretur. Petrus vero Cugna dicebat, si Teglius ipse coram nollet Priori resistere, neque se omnibus rebus Teglio inferiorem, id facere posse cumque Teglius regereret præfecti officium hoc esse, ita alter in alterum, ob suos uterque fines, onus illud reiiciebat. Appropinquabat interea, Prior Lisybonæ, sed parum absuit, quin via eo perueniendi ipse præcluderetur. nam cum prope Sacabemum (quod oppidum 6. milliaribus Lisybona distat) in agro substitisset, sermonem cum Francis. Almeda, amico suo, conferens, displosum fuit sclopetum, cuius iactu occisus fuit Almeda. Et quia nunquam auctor sciri potuit, sunt qui putent ipsum Priorum petutum fuisse. Peruenit paulo post ad urbem Priorum ex quo comitatu, & ex nobilibus nemo aderat præter Sosam & Menesium: qua de causa ingressu minime prohibitus fuit: imo omnes, qui obuiam procedebant, cum regem salutarunt. Pauci tamen aderant, partim propter pestem: partim quod metuerent, quia videbant regnum esse diuissum: hinc regem Philippum cum exercitu imminere: illinc gubernatores penè cum Philippo consentire: tertio vero loco Priorum pauperem, solum paruis consultoribus ventente, salutatum fuisse Regem à paucis, iisque plebeis. Itaque ex iudicibus, & nobilibus Priorum gratulandi ergo ferenomo & ex supremo magistratu unus tantum Syndicus accessit, reliquise abdiderant. Prior enim ad Palatium flumini vicinum profectus, possessionem illius, & armamentarii, & naualis, nemine obstante, occupauit: nouum prouisorem, nouos iudices, nouos syndicos creauit, reliquisque officiis, quæ vacabant, prospexit: & inde ad Curiam magistratus se contulit, vt more solenni Rex proclamaretur: quo cum omnes primarii conuenissent, Emanuel Fonseca Nobrega, homo confidens, in hanc sententiam locutus est: Videor mihi agnoscere in sculptam vestris omnium frontibus laetitiam, qua corda vestra perfunduntur, ob aduentum huius iucundissimi diei, quo in verba illius, vt pote regis, estis iuraturi, quem tantopere desiderastis: intelligo superuacanea fore omnia illa, quæ ad vos, vt hoc faciatis adhorandos à me ardentissimo animo dici possent, quandoquidem orationem meam voluntatis vestre promptitudo longissimo intervallo anteuertit. Scio non tantum moram etiam exiguum yobis molestam esse: verum vos dolere quoque quod alii vos præuerterunt in eo, quod libentissime fecissetis, & quod

quod vos facere aequum erat, quandoquidem primariae huius urbis exemplum, tanquam normam quandam, reliquias imitari oportet. Ceterum quantumuis vos & gestatis, & ad hanc rem promptissimi sitis: quantumuis omnia, quae a me in medium adferri possunt sint superflua: tamen & officium, & amor me stimulant, ut breuiter vobis animi mei sensa exponam. Non libet mihi instituere enumerationem laborum, quos summa cum prudentia superauit: (tempus enim me desiceret) sufficiat vobis nosse (ut & nostis) illum semper fato quodam cum superbia, & arrogantia mundi bellum gessisse. Cum enim propter peccata nostra Deus O.M. permittat, ut principes hodierno die plerunque virtutem odio, vitia amore prosequantur: ille, quod virtute & animi magnitudine praestaret semper odio, & vi iniustæ obnoxius fuit, dum iam, tamquam notus repellitur, iam iis quos præcedere debebat, postponitur: que omnia ad gloriam, quæ refulgebat, offuscandam pertinebant. Mitto offensiunculas, quæ inter Sebastianum, & illum sub initium expeditionis Africæ natæ erant, quas quidem alii satis causæ, cur una non proficiserentur, existimassent: verum ille, qui iam ad fortunæ insultus occalluissest, quamuis pro iudicii sui acumine Sebastianum ad exitium pleno cursu properare facile inteligeret, maluit tamen cum tam manifesto periculo aliorum temeritati obsecundando in Maurorum manus incidere: quam existimationem suam macula, & nuxo etiam minimo contaminare. Fuit in infeliciilio prælio captus, quod ante prospexerat: mortuus est Rex Sebastianus, nepos illius: mortui erant ante tot alii principes, omnes regni heredes: restabat solus Cardinalis Henricus, qui propter extremam senectutem, & inualetudinem non diu superuicturus esse videbatur, ita ut regnum penè successore destitueretur. Verum Rex regum (qui quantumuis nobis interdum nimium tardare videatur, omnes res æqua lance ponderat, & exequitur) singulari sua prouidentia effectit, ut interim dum Rex Henricus Imperio potitur spatio paucorum illorum dierum, qui ipsi vita ad cursum perficiendum supererant, non sine miraculo è Maurorum manibus euaderet ille, quem huius regni clavis moderando destinauerat. Dico non sine miraculo: quia videtur fieri non potuisse, ut vlla humana prudenter quo factum fuit, modo, liberaretur, nam (ut positum est in more apud infideles) cum ille esset princeps, verisimile est, eum regi, & principi traditum fuisse, & mancipatum custodie perpetuæ, aut saltē tam arctæ, ut nulla esset euadendi via, nisi ytri loco ciuitates, & propugnacula cederentur, vel imensa pecunia vis solueretur: nihilominus tamen (considerate, quæso, num hæc res miraculo careat) patilo post nullo placido pretio persoluto, euasit. Venit deinde in hoc regnum, ubi fortuna nondum exaturata, mille nouaincommoda ipso obiecit: quæ tamen omnia virtute sua profligata superauit. Enobis illum: & licet iam multo magis, quam vñquam, ab hostib[us] esse circumdatu[m] videatur: tamen & ille fretus est virtute vestra, & ego illius prudenter, quam omnia impedimenta victuram esse confido. Agite ipsi gratias, quod regni sceptrum capessere non dubitet, cum tamen tot æmularum inimicitias sibi suscipienda esse videat: quam quidem ad rem non tam dominandi libido, quam amor vestri eum inuitat. Promittit enim se non regem, sed patrem, & fratrem omnium fore. Quem, quæso, putatis esse illum, cui iam nos imperium deferimus? Est vera propago, legitima proles, vñica planta, quæ ex regibus nostris superest. Hic est nepos regis Emanuelis illustris memorie, natus ex illius filio Ludouico: qui duo duæ maximæ omnium, & firmissimæ Lusitanæ columnæ fuerunt: ad illum iure horum regnorum hereditas pertinet: Et etiam si non pertineret, (quod esse non potest) tamen omnes incolas, reliquis repudiatis, ad huius vniuersitatem fidem & tutam configere oportebat. Hæc enim sola libertatis in tutto collocandæ via est: cæteræ omnes ad certissimum tyrannidis iugum ducunt. Finita hac oratione, vniuersi cum ingenti aplausu Antonium regem salutarunt, & tradito illi vexillo ciuitatis Emanuel Fonseca de fenestra magna voce clamauit: Viuat, viuat, Antonius, rex Lusitanæ: quæ verba cum magna alacritate à plebecula ad probata fuerunt. His omnibus in acta publica relatæ, reversus est Prior in Palatium, ubi patilo post præstito solito iuramento de conseruandis privilegiis, & immunitatib[us]. Regni & aliis, quæ a regibus superioribus concessa fuerant, dedit litteras ad reliquias regni ciuitates & oppida, iubens, ut mittarent, qui sibi fidelitas iuramentum prætarent. Duci Bragancæ & Marchioni Villæ regalis amplissima quæque pollicitus est: ceteros proceres rogauit, ut Lisybonam de rebus ad regni utilitatem spectantibus vna secum consultaturi venirent. Ceterum Dux, quantumuis etiam regni procuratores eum ad transfigendum cum Antonio hortarentur, noluit transigere: neque Marchio etiam venit; & pauci fuerunt, qui eum pro rege agnoscerent. Porro cum Teglius sine sua opera Antonium iam ad regiam dignitatem euestum videret, finxit se Bellemo Lisybonam manum illius deosculatum venturum! & communicato cum Iacobbo Lo-

pezio Squera, praefecto trium triremium Lusitanicarum consilio, vnam ex illis una cura
 Episcopo Leiriensi, Antonio de Castro, domino Cascaisi, Martino Gonzalesio de Ca-
 mera, Emanuele Telesio Barreto, Francisco Menesio, Ludoico Cæsare prouisore
 natalis, & quibusdam aliis concordit, assumptisque 40. aut 50. millibus aureorum (quos
 paulo ante ex officina monetaria Lisybonensi afferendos curauerat, cum iactura lac. Bar-
 di mercatoris Florentini, cuius erant) cum vulgo existimaretur cursum ad urbem dire-
 cturus, subito proram versus Setubalum, ubi erant reliqui gubernatores, conuerti iussit:
 reliquæ vero duæ triremes, praefectorū iussis spretis, & deserta prima, Lisybonā petierunt.
 Teglius autem cum ad ostium portus Setubalensis peruenisset, milites præsidarii, qui
 erant in portus propugnaculo, triremim appellere non sinebant, sed eam ictibus tormento-
 rum repellebant. Itaque Teglius in loco paulo remotiori triremi appulsa in littus egressus,
 pedes ad reliquos gubernatores contendit: à quibus ipsius excusationes tantum ab-
 est, ut acciperentur, vt etiam illum pro socio non agnoscerent, & tum in confessibus tum
 in sermone eum, tanquam nobilem priuatum, tractarent, & non ut gubernatorem. ita
 nimis punientes ea, quæ Teglius partim Belemi, partim Antonium, quo minus Lisy-
 bonam ingredere non prohibendo, admiserat. Et hac vna in re gubernatores auto-
 ritate sua, & iure vni sunt, in reliquis omnibus timiditatem, & consilii inopiam aperte pro-
 debant. Prior cum videret horum nonnullos, quos sibi fauere putabat, fugere, pecu-
 niā asportare, gubernatoribus aduersariis suis, se adiungere, Setubalum muniri, ma-
 gis magisque intelligere incipiebat, illis bene cum Rege Hispaniæ conuenire, & statu-
 tum esse eo in loco commorari, donec Regis triremes Italicæ, quas iam in portum S. Ma-
 riaæ peruenisse rumor erat, in illo littore comparent, quas deinde in portum Setubalen-
 sem reciperent: quod si fieret, magnum inde rebus suis periculum imminere animaduer-
 tebat. Si enim copiæ Hispaniæ illud oppidum occuparent, fore, ut Lisybona pene ex e-
 mnibus partibus circumcidetur. Itaq; coniectis in carcere nonnullis, quos suscep-
 tos habebat, ac pecunia à mercatoribus mutuo accepta, constituit dare operam, ut quam pri-
 mum siue per deditio[n]em, siue vi oppidum illud in potestatem redigefet: & vt propera-
 ret, mouebant ipsum actiones Tristani Vazii Vegæ, praefecti arcis S. Iuliani ad ostium Ta-
 gi sitæ: cui cum ille scripisset, respondit, se Priori arcis possessionem tradere nō posse, nec
 etiam ipsius auspiciis illam custodire. Præstitisse enim se iuramentum de arce nemini tra-
 denda, nisi iis, à quibus illam acceperat: hos autem esse gubernatores. Itaque Antonius
 hacten in aliud tempus dilata, cum tumultuarie, & vitusticos prope Lisybonam incoletes,
 opifices, mancipia, aliamque turbam collectitam in unum locum cōgregatam (qui tamen
 omnes ad numerum 1500. non adscendebant) flumen transire iussit. Antequam vero ipso
 transiret, misit Setubalum Franciscum Portugallum Comitem Vimiosium, qui cum gu-
 bernatoribus transiit, illosq; ad obedientiam ipsi præstandam inuitaret: quos etiam per
 literas hortatus est, ne scientes prudentes se perditum irent, neve existimationi suæ notam
 inurerent, regnum sibi indigenæ ademptum ad exterum transferēdo: rogabat, ut ad se ve-
 nirent. Esse enim se paratum ipsis ingenue omnium delictorum veniam concedere. Ve-
 rum non fidebant his litteris, nec verbis Comitis gubernatores, vt pote qui Regi Philippo
 essent obstricti, & quorum nonnulli apud Regem Henricum gratiosi fuissent & cōscii eō-
 rum decretorum, quæ contra Prioren erant promulgata. Itaque re cum ministris His-
 panicis communicata, constituerunt se defendere, donec classis Regis veniret, quæ in horas
 expectabatur. Verum spes eos fecellit: quia venti semper ita contrarii fuerunt, vt triremes
 nauigare non possent. Quod cum videret Dux Braganciæ, existimans sibi non diutius ibi
 commorandum, discessit. Cæterum Comes Vimiosius cupidus illos eo ex loco eiicien-
 di, concitata ad seditionem plebe, & adiuuantibus ipsis militib[us] prætorianis, arma cepit,
 & portas occupauit: complures etiam armati in hospitium gubernatorum irruentes, mor-
 tem ipsis multis, iisdemque contumeliosissimis verbis minabantur. Quare consternati
 non tantum gubernatores, sed etiam ministri Hispanicæ, cæterique Philippo addicti nobi-
 les, partim per fenestras, partim per ianuas, furtim, alii mari, alii terra aufugerunt, excepto
 Archiepiscopo Lisybonensi, & Io. Teglio: quoru[m] alter dignitate sua, alter pristinis in Prio-
 rem meritis, & cognitorum auxilio confusus remansit: legati vero postero die in Castel-
 lam reuersi sunt. Fuit hoc spectaculum sane perquam miserabile. Etsi enim gubernato-
 res, tum propter dissensiones, & dubitationes suas, tum propter priuatæ utilitatis studium
 pœnam merebantur: tamen erat res commiseratione digna, videre venerabiles illos senes,
 qui duabus horis ante regia au[er]itate armati erant, fune se de fenestrâ demittentes, fu-
 gere furorem iuuenis effrenis, qui contra illos plebeis, & proprios custodes concitauerat.
 Nobiles, qui domo & rebus omnibus relictis, fuga sibi consuluerunt, sunt Ferdinandus

Norogna,

Norogna, Petrus Menesius, Eduardus Castelblancus, Iacobus Lopezius Siqueira, Antonius Castelblancus, Ludoicus Cæsar, & quidam alii. Antonius simulac de horum discessu certior factus est, statim flumine trajecto, eo contendit, ubi sub umbella more gentis cum ingenti latitia exceptus fuit: cumque de munitione, & custodia illius loci ea, quæ ad rem pertinere videbantur, constituisse, reuersus est Lisybonam, dissidentibus nonnullis, qui copias in illum locum cogendas esse dicebant, ut eo facilius hosti resisti posset, nec Tagum denuo transire necesse esset. Sed Antonius hoc consilium secutus non est, dicens se brevi eo redditum: Multi autem existimabant, eum sibi metuere, nec se ultra flumen tum fore arbitrari. Cascaisium, & arx S. Iuliani nondum imperium Antonii agnoscebant: verum cum audiretur, illum Setubalum ingressum, & gubernatores fugere, vxor Antonii de Castro Cascaisio discessit: unde statim arx deditio fecit: Et praefectus arcis S. Iuliani, cui Antonius per literas quater mille ducatorum redditus annuos promiserat, respondit, quandoquidem gubernatores regnum deseruerissent, & ille Rex proclamatus esset, se arcem ipsius nomine custoditurum. Qua de causa retrocessit Sebastianus Britus, qui supremi praefecti Lisybonensis munere loco Petri Cugnæ, fungebatur, & ab Antonio cum manu collectitia ad obsidendum arcem Sancti Iuliani mittebatur: ita ut omnia loca paulo maioris momenti, & Lisybonæ circumviciina, in potestatem Antonii concederent: & horum exemplum pedetentim omnes ciuitates & oppida in illis partibus sita, secuta sunt, excepta ciuitate Portu, quæ deditio adhuc recusabat. Dux Braganciæ, qui tumultum Setubalem præuiderauit, inde paulo ante gubernatorum fugam in oppidum suum Portellum, non procul à Castellæ finibus situm, se receperat. Quotiam autem videbat, vi rem geri, & se ab exercitu imparatum existimauit tempus esse, se Regi Philippo adiungendi. Itaque misit nobilem quendam ad Philippum, qui illi indicaret, dominum suum semper in iure Catharinæ vxoris sua persequendo molestiam adhibuisse, nec unquam contra publicam tranquillitatem, vel contra legitimum iudiciorum ordinem, vel contra æquitatem quidquam tentasse. Cur vero non citius cum Philippo transegisset, in causa fuisse, partim quod actionem suam satis firmis fundamentis inniti intelligeret, partim quod illi id non licuisset per populum, qui sine dubio se opposuisset. Verum ducem iam omnino constituisse, si sibi à Rege conditiones & que proponerentur, illi ius, & actionem uxoris Catharinæ omnem cedere, & ubi hac de re inter illos conuenisset, legatos hoc negotium publice tracturos mittere. Innuebat ducem, qui tertiam regni partem ditionib. suis occuparet, magno vel impedimento, vel adiumento Regi esse posse. Dicebat procuratores regni pollicitos esse se acturos cum Antonio, ut deposito Regis nomine, & iunctis cum duce viribus, regnum defenderet. Post bellum autem confectum facile inter illos transfigi posse. Antonium etiam amplissima quæque per nuntios Ducis promisisse: Duce tamen conditio-nes ab Antonio oblatas non accepisse, quod sibi cum æquitate pugnare viderentur. Rogare vero, ne Rex sua ditioni ab exercitu damnum inferri pateretur. Erant hæc omnia vera, sed Philippini dicebant, etiamsi Dux non esset homo quietis, & religionis adeo amans ut reuera erat: tamen non esse, quod Rex eius potentiam metueret. Habere quidem illum magnum numerum subditorum, sed non omnes ipsi esse dicto audientes, nobiles illi- us imperium magis, quam reliquorum omnium, dignari: denique quosdam cognatos maiori ipsi damno, quam usui esse propter æmulationes, quas inter se exercebant. Fidebat Dux satis iuri, quod sibi habere videbatur: sed verebatur ne oppimeretur a vicino exercitu Regis, quem nullo modo sententiam iudicialem expectaturum iudicabat. Hic metus illum impulerat, ut ad omnes penè potentiores orbis Christiani principes scriberet, & exposito iuris, & actionis sua fundamento, auxilium ab illis peteret. Romain etiam ad Cardinales quosdam eodem argumento scriperat. In Galliam miserat aliquot exempla Consilii, quod conscribi curauerat, quæ inde in Angliam, & alia loca spargerentur: institit diligentissime apud duas illas Reginas, ut, sibi pecuniam: & commeatum, arma & ductores militum subministrarent: sed utrobique, animaduersa illius imbecillitate, quantum vis ostenderet se ad communem defensionem suas cum gubernatorum viribus coniuncturum, nihil obtinuit, nisi verba, aulico artificio condita. Rumor etiam erat, illum non solum haec tanto cum studio petuisse a Regis æmulis, sed etiam ab apertis illius hostibus, & perduellibus, quasi cum principe Aurora quoque, & cum Duce Alanconio ipsi aliquid negotii fuisse. Haec res ipsi maiori detimento, quam emolumento fuerunt, ut solet evenire iis, qui, propriis viribus destituti, cum principibus potentibus contendere non dubitant, freti auxilio, quod sibi pollicentur a potentiorum principum æmulis, qui tamē aper-tum bellum raro solent indicere, nisi socium viribus pollere animaduertant. Hinc factum

fuit, cum aliquot illius litteræ à ministris Hispanicis interceptæ, & nonnullæ etiam, inprimis vero illæ, quas Romam scripsit, ab iisdem, ad quos datæ fuerant, ad regem missæ fuissent, ut ad petitionem Ducis, quam supra audiuiimus, Rex prolixæ, & caute responderet: primum, se non mediocriter lœtatum fuisse, cum inteligeret Ducē mature se è tumultu Setubalensi eripuisse. Veritum enim se fuisse, ne, quod facile erat, eo in loco in periculum, & ignominiam aliquam incurreret. Agnoscere se Ducem vere dicere, se in persequendo vxoris Catharinæ iure modestiæ rationem habuisse. Veruntamen quia hucusque Dux transactionem recusasset, inde præsentia incommoda omnia nata fuisse: quæ quidem mallet ipsos aliquanto ante præuidisse, quam iam reipsa experiri tanta cum perturbatione, & existimationis iactura: seque ex his eorum in commodis magnum mero-
rem percipere propter cognitionem, & tuam erga Catharinam benevolentiam. Gratias etiam se agere, quod paratus esset ius suum cedere: veruntamen se nolle illum & vxorem celare, nullam esse causam, cur laboraret, in nouis rationibus, & iuribus adiungendis ad ea, quæ sibi à Deo Optimo Maximo concessa, & toti mūdo nota essent. Se duabus de causis hactenus expetiisse, ut Dux, & vxor acciperent conditiones, quas ipsis ad compensandum ius, quod prætendebant, tam liberaliter obtulerat. Priorem esse, quia sperasset se hoc pacto euitaturum necessitatem bellum regno, & propriis subditis inferendi: quæ res valde illum sollicitum haberet. Verum vtilitatem, quæ ex transactione promanare poterat, amissa messe propter morā ab illis interpositā quandoquidem iam exercitus fines regni ingrederetur. Posteriorem esse, quia cuperet augere, & ad altiora euehere familiam.
 Ducis, beneficiis ornare liberos illius, auertere ab illo periculum deuastationis, atque adeo iacturæ suæ ditionis: cui tamen rei adhuc remedium aliquod inueniri posset. Se enim adeo studiosum, & amantem esse Ducis, ut hæc benevolentia sat sibi stimuli esset, ad illum quois & beneficio & honore adficiendum. Dicebat se non mediocriter mirari, quod sua sponte confiterentur, se Antonio aures adhuc præbtere, & tractare cum perduellionis & execrandi delicti reo. Monere se illos amanter, vt in posterum abstineant ab huiusmodi colloquiis, & communicationibus, vtpote contrariis fidei, & officio, quod regi deberent, & indignis auctoritate, & existimatione illorum. Innuebat etiam se non minus mirari, quod sibi à procuratoribus regni persuaderi paterentur, fore, vt ipsorum intercessione Antonius regis titulum deponat, perinde ac si hoc delictum pœnitentiam admitteret: cum tamen cogitare illos oporteret, has esse artes, & fraudes consuetas perduellium, ad illos in posterum non minus, quam antè factum fuisse, decipiendos tendentes: Et illam, quam procuratores appellarent, vñionem, defensionis causa in tam, nihil esse nisi conspirationem, & coniurationem meram, ad ducem eiusdem cum Antonio criminis reatu implicandum, tendentem: à quo tamen incommode Deus Opt. Max. illum liberasset. Postremo dicebat se semper libentissime auditurum omnia ea, quæ sibi nomine ducis proponerentur, & promptissime concessurum, quæ ad ipsum ornandum, & fouendum pertinere, & æquitati consentanea esse viderentur. Accepto hoc responso, Dux misit aliquot nobiles, qui cum Rege de retota transigerent; & cum iis, nomine Ducis intolerabiles plane conditions proponentibus, aliquandiu actum fuit. Verum cum Rex, antequam vltterius procederetur, à Duce sibi subiectionis, & fidelitatis iuramentum præstari vellet, dilatum fuit negotium, idque non sine offensione Ducis qui videret non tantum se frustrari spe, quam de iure suo conceperat: sed etiam nondum satis sibi cum rege conuenire: immo regem paulatim suam ditionem occupare. Iam enim Villauzofam, præcipuam suę iurisdictionis & magni momenti ciuitatem, atque adeo aulæ suę sedem, amiserat, quantumuis illi diligenter de præsidio, aliisque rebus necessariis prospexit. Occupatus autem fuit hic locus paulo post deditiōne Eluarum, idque opera cuiusdam Castellani, quem Dux, siue quod illi fideret, siue per negligentiam inter ceteros in arce reliquerat. Intercedebat huic notitia cum Cisnero, militum ductore, qui erat in castris Albani: atque ita promiserat eidem Cisnero se noctu ipsi vnam ex arcis portis aperturum, nimirum superiore, per quam infosilam descenditur, vt milites regios clam introducere posset. Et ita reipsa euenerat. Cum enim nox hui cœti destinata venisset, Albanus iussit Sancium Aulam copias, quæ Elias missæ fuerant, ad illam arcem occupandam ducere. Itaque equites, sclopetaiis in clunes equorum receptis, ea nocte tantum spatii emensis sunt, vt ante lucem Villauzofam peruenirent. Cum autem ad portam, de qua aperienda conuenerat, properassent, animaduerterunt se per illam, quantumuis patefactam, intrare non posse, quod ea altitudine à solo distaret, vt scalæ, quam secū tulerant, illuc non pertingeret. Deturbati itaque de spe omni, cum & diē instare viderent, & ne res detegeretur, metuerent, parum abfuit,

abfuit, quin, re infecta, in castra reuerterentur. Verum (vt cursum fortunæ sepius cætera omnia subsequuntur) forte fortuna Castellani in fossa aliam scalam inuenierunt: quæ cum priori colligata ad ostium pertingebat. Itaque milites per eam conscedentes in arcem ingressi sunt, nemine ex præsidiariis vel audiente, vel vidente: qui nullis vigiliis, nullis excubiis dispositis, in tanta castrorum hostilium, decem milliaribus inde distantium, vicinitate in leatis suis stetebant. Itaque hoc pacto Dux Braganciæ, optimam, munitissimam & instruētissimam suarum arcium amisit. Iam tum credebatur Regem ipsum expeditio-
ni non interfuturum. Etsi enim multi adhuc contendebant fore, vt ipse cum exercitu proficeretur, & exaggerarent rationes supra adductas: tamen qui contrarium sentiebant, prioribus suis argumentis addebat etiam hoc, quod in omnibus locis, per quæ Lisybonam usque iter faciendum erat, contagio vehementissime graffaretur, quantumuis aer non videretur esse corruptus. Non esse vero rationi consentaneum coniici in tantum periculum vitam principis, qui esset columna & Ecclesiæ Rom. & tot regnorum. Ad ratios autem quæ Regem ad proficisci endum inuitarent, responderi posse; eas esse compara-
tas, vt omnes res humanas quæ habent geminam ansam: quæ, si illas per hanc appre-
hensas ponderes, videntur graues: sive per illam, leues. Expeditionem quidem esse maxi-
mi momenti, si perpendatur conditio regni Lusitanæ, & rerum ab eo dependentium:
Verum, si vitam tanti regis, vitæ Antonii perduellis, & ne quidem tyranni nomine digni: Ducas Albani, & tot aliorum procerum Italorum, & Hispanorum virtuti, & peritis
militari Comitem Vimiosum, iuuenem inexpertum cum suis complicibus, & tam fortibus tot nationum militibus, turbam è pagis Lusitanæ promiscue collectam & mancipia
Æthiopica opponi, consuleretur, nullo negotio animaduerti posse, quam non deceat Re-
gem huic expeditioni interesse. Idem respondebant ad spem, quæ de prospero successu
conciebatur. Etsi enim consideranti hostes tales esse, quales supra fuerunt descripti, res
expedita videretur: tamen si ex altera parte etiam incommoda, quæ adducta fuere, expen-
derentur, trutinam in neutram partem inclinare, sed pondus esse æquale: præsertim si in
memoriam reuocarentur exempla Ioannis I. regis Castellæ & Alfonsi V. Regis Lusitanæ:
quorum uterque, cum diuersis temporibus alter in alterius regnum cum exercitu ingres-
sus esset, fatus fugatusque fuit. Quod de beneficiis, & voluptate, quam ex Regis præsen-
tia Lusitani percepturi videbantur, & è contrario de Albani asperitate diceretur, non esse
de nichilo. Veruntamen etiam hac in re facile Lusitanis regem satisfacturum, si Eluas, aut
in aliud locum in finibus siuum se conferret. Hæc opinio cum contraria melior, &
firmioribus fundamentis nisi videretur, non tantum eam Rex secutus est, sed tum illa
ita etiam multorum animos commouit, vt extra limites euagarentur. Fit enim plerunque,
vt dum nimis solite studemus omnia in tuto collocare, paulatim in metum aliquem pro-
labamur. Itaque nimis hic timeri cœptum est, ita quidem, vt rex non satis tutus Badagio-
zii esse, & rectius facturus esse diceretur, si Siuiliam sub prætextu maturandæ classis, se con-
ferret, præsertim quia iam copias pedestres Lusitanæ immisisset. Postquam Albanus ex
eo loco discessisset, dicebat regem quibusvis Lusitanorū insultibus obnoxium fore, quib.
facile futurum esset, usque ad moenia eius loci excurrere: & Antonium, si vellet uti hac
occasione, exercitum regis ab instituto itinere dimouendi, tantas copias posse Badagio-
zium versus adducere, vt Rex non sine dedecore retrocedere, & exercitum, quantumuis
iam Lisybonam circumsedisset, reuocare cogeretur. Verum fama est regem noluisse hac
de te verba facientes audire, & illis, qui hoc suadebant, confirmasse, se nullare, nulloque
modo, ne quidem si sua ipsius vita periclitaretur, adduci posse, vt vellatum pedem retro-
cederet: imo sibi statutum esse commorari in loco aliquo in finibus Lusitanæ sito, qui
commodissimus esse videretur: Et in hunc finem aliquot milites, prætoriæ cohortis loco
sibi futuros, retinuit. Albanus qui interea copias omnes prope Santilianam coegerat, iuf-
fus regis 27. die Iunii, Caya fluuiolo, Lusitanos à Castellanis diuidente, traecto, in Lusita-
niam ingressus est; ducens secum magnam copiam commeatus alienorumque impedimen-
torum: ita vt haberet ultra 6. millia carrorum, vna cum vigintiquinque tormentis crassio-
bus. Præterit prope muros Eluarum, vbi nihil erat, quod agendum superesset, quia
vrbis iam in Regis potestatem concesserat. Tribus castris peruenit Stremum, iumentum-
que regis nomine exegit ab incolis illorum locorum, quæ vel sola exercitus umbra per-
terrefaciebat.

Verum cum ante omnia saluti Regis consultū cuperet, confecto bidui itinere misit Pe-
trum Manricum Padillam, hominem ex primaria nobilitate, & rei bellicæ peritum, cum duab.
alis cataphractorum, & Petrum Ayalam, tribunum militum, & veteranum cum legione
Hispanorum, qui ab Eluensibus sponte recepti fuerunt, vt impediarent, ne quid turbarum

in illis partibus excitaretur. Stremo præfector erat Ioannes Bazeuedus, Amiralius regni, iuuenis audax: qui se ad defensionem parauit, ita ut exercitus diutius ibi, quam in aliis locis, hærere cogeretur. Hic, gubernatoribus adhuc Almerini degentibus, opera Martini Gonzalesii de Camera, cognati sui, huius loci præfecturam obtinuerat: cumq; Antonius auctoritate regia ad ipsum scripsisset, noluerat illius imperio se submittere, quod negaret, se ullum superiorem agnoscere præter gubernatores, quibus iuramentum præstisisset. Iam etiam cum Albanus ipsi per Petrum Lunam, præfectum equitum, litteras Regis misisset, petens, ut iuramentum fidelitatis præstaret, recusabat, adductis iisdem rationibus, quas ante Antonio significauerat. Conceperat ille maiorem spem de oppido defendendo, quam pro munitionis instituta conditione: idque acceptum erat ferendum diligentiae Iacobi Menesii: qui cum Eluas munire conatus esset, & nimis magna impedimenta sibi obici vidisset, Stremum profectus, eo in loco hostis aduentum expectare, constituerat, & ciues auxiliorum promissione ita ad arma capienda inflammauerat, ut omnes cum Ammiralio belli fortunam experiri paratiissimi essent. Cæterum cum Christophorus Morus, tum temporis Setubalo Badagiozium profecturus, illac transiret, ingressus in oppidum persuasit Landinis, ciuibus primariis, ut Philippum pro Rege agnosceret: cumq; his facile esset vulgus in eam, quam vellent, partem impellere, paruo negotio ab eo impetratum fuit, ut in Regis verba iuraret. Amiralius itaq; solus, cum paucis amicis & familiaribus in arce remansit: Et quamuis omnes vehementer in eo, ut Regis imperium agnosceret, persuadendo laborarent, tamen nihil potuit ab illo obtineri, quod negaret sibi constare, an Rex verus Regni haeres esset. Nec ad rem fecit, quod Prior Ferdinandus de Toledo, Albani filius, interueniens, & Amiralium non multum iudicio valere subdotans, ipsi nomine patris offerret syngrapham, qua se ad oppidum reddendum obstricturus esset, si probaretur regnum iure ad Philippum non spectare: nec profuit etiam quidquam quod ipsi oculos poneatur, fieri non posse, ut arcem contra impetum hostium defenderet. Respondebat enim magna cum pertinacia, se loco, extremitate quibusque tentatis, demum cessurum, aut moriturum, quod alia ratione se famam, & existimationem sartam tectam conseruare non posse persuasum haberet. Sed non diu in proposito perseuerauit. Cum enim ex arce cerneret interea Albanum tormenta disponenda curasse, ciues, qui suam operam promiserant, sibi aduersari, multos milites Hispanos viritim in oppidum irrepisse, perculsus, constituit discedere, & deserere arcem, de qua defendenda desperabat. Porro egressus ex arce ab Hispanis captus fuit, & deductus ad Albanum: qui quamuis aliquandiu dubitaret, utrum ad terrorem reliquis hoc exemplo excutiendum capitali supplicio in illum animaduertendum esset, tamen tandem ipsi pepercit, captiuumque misit Villauizosam una cum litteris ad Regem, quibus ostendebat se illi, tanquam iuueni inexperto, mortis gratiam fecisse. Inde, præstito à magistratu, & ciuibus iuramento, adhibito ritu solemnni, exercitus iter facere cœpit versus Mōrem maiorem via Arraiolosensi, relicta ad sinistram Ebora, ciuitate nobili, & tum temporis cum vehementissima peste conflictante. Verum ut tamen & ipsa in Regis potestatem redigeretur, misit Albanus eo ad possessionem occupandam Henricum Guzmanum cum solis 20. equitibus, partim quod illam desolatam, & ciuibus exhaustam esse sciret, partim etiam quod intelligeret, præfectum Iacobum de Castro, & primarios, qui ad vitandam contagione in hortos vrbi subiectos secesserat, in Regis verba iurare paratos esse. Cum itaque præfector, & magistratus ad miliare & amplius ab urbe in porticum templi Virginis Spinarum conuenissent, à Constantino Brito scriba publico, instrumentum confectum fuit, in quo continebatur, ciues Eborenses se imperio R. M. subiecisse: cui etiam ab omnibus fuit subscriptum. Inter ea Albanus quartis castris Montem maiorem, (qui nouus vocatur) peruenérat, vbi nemine ad defensionem se parante, quantumuis paulo ante Comes Vimiosius ibi fuisset, locum in potestate redegit. Quatuor aliis castris peruenit Setubalum, postquam omnem, quam transierat, regionem, ab illis incommodis, quæ bellum comitantur, immunem cōseruasset, neque enim vel occidit, & expilavit incolas, vel oppida, & vicos deuastauit: imo magno studio cavit, ne segetes immaturæ conculcarentur. Non videbatur Iacobus Menesius respondisse hominum expectationi, in regione illa defendenda, nec etiam feruori, cum quo in se illam prouinciam suscepereat, spreta, quam obtainere poterat, dignitate Proregis Indiæ, quod est omnium in hoc regno munerum amplissimum. Cum enim illi primum à gubernatoribus, & deinde à Priore defensio illius ditionis commissa fuisset, non tantum hosti non resistebat, sed etiam retrocedens loco sibi cauebat. Causabatur ille in opiam rerum ad defensionem pertinentium: dicebatque se deceptum fuisse à gubernatoribus, qui nec arma, nec reliqua ad defensionem necessaria subministrassent: se nullis armis, nisi verbis, instructum à plebe

plebe tisū exceptum, & retrocedere coactum fuisse. Sed quidquid sit, vniuersa transstan-
 gana regio, quæ totius regni optima est, sola ab armis & defensoribus imparata, & hosti
 p̄dæ relicta fuerat. Antonius, qui Setubalo Lisybonam venerat, cum magnō plausu
 exceptus fuit à ciuibus, quod tum primum ut Rex vrbem ingredetur: quæ quantum-
 us propter pestem, & propter nobilium dissidia ciuibus exhausta esset, tamen non de-
 fuerunt, qui arcus triumphales, ludos, & alia publicæ lætitiae monumenta instituerent. In-
 ter cetera, obseruatu digna fuit caterua muliercularum, propria in foro excentium: quæ
 instar militum armatæ, & vexillum sequentes per vrbem incedebant. Dux, loco bipen-
 nis, batillo instructa erat: nimirum, ut refricaret memoriam prælii prisci, ad Algarot-
 tam, in quo Lusitani victoriam obtinuerunt, & etiamnum hodie gloriantur coniugem cu-
 iusdam pistoris batillo septem Hispanos interemisse. Gubernatores, qui Setubalo fuge-
 rant, profecti ad arcem, cui Ambrosius Aguiarius præcerat, clam nauiculam quandam
 concenderunt tanto quidem cum pauore, ut cum nullib[us] in Lusitania titos se fore suspi-
 carentur, in portum Aijamontanum, qui ad Regem Philippum spectat, & in finibus Lu-
 sitaniz situs est, nauigauerint. Ibi cum se non nihil collegissent, reuersi in Lusitaniam in-
 trarunt in oppidum Castrum Marinum, animo perturbato: vbi promulgarunt decre-
 tum, in quo actiones Antonii à tempore Henrici usque in illum diem recensebant: sen-
 tentias ab Henrico contra illum pronuntiatas confirmabant: appellabant illum rebel-
 lem, & publicæ pacis perturbatorem: declarabant (idque ut dicebant, ex Henrico men-
 te) Philippum esse verum Regem: & se, causa cognita, rem ita habere deprehendisse: In-
 iungebant citiatibus, oppidis, proceribus, ministris iustitiæ, ut Philippo obedirent, seq[ue]nt
 omniem suā potestatē in illum transferre profitebantur. Quantumuis autē iam res vi po-
 tius, quam iure geri cœpisset; nec regi hoc decreto opus esse videretur: tamen fructu non
 caruit, partim quia plebs hac ratione de Philippi cause bonitate dubitare desit, partim e-
 tiam quia multa oppida, hoc decreto mota deditio[n]em, tum in regno Algarbi, tum in aliis
 regni prouinciis fecerunt. Verum parui siebat hoc decretum ab Antonio, qui se ad de-
 fensionem in altera Tagi ripa parabat. Ceterum copiæ illius ex meris Lusitanis & turba
 collectitia constabant. Vnde siebat, ut nullas copias, formam aliquam exercitus repræ-
 sentantes ad manum haberet, nisi necessitate urgente. Agricolis enim & plebeis, qui
 non accipiebant stipendia, non erat integrum agricultura & officinis desertis, sub pelli-
 bus vivere. Itaque Antonius cupiebat conscribere aliquot milites exteriores: cumque vi-
 deret Franciscum Barretum, qui candem ob causam in Franciam prefectus erat, redditum
 differre, Petro Doræ, Gallorum in Lusitania Consuli, negotium dedit, in Gallia duo mil-
 lia militum conducendi, eamque ad rem pecunia hominem instruxit, Imperatorem exer-
 citus nominauit Iacobum Menesium: Georgio Menesio classem commisit. Non latebat
 Antonium exercitus Hispanici progressus: sed tantum fiduciæ in populo, & fluminis ab
 hoste traiciendi difficultate collocabat, vt sibi satis ad defensionem virium habere vide-
 retur. Cœpit autem dubitare (quippe quod illi res hostium non nimis exploratae essent)
 hoc tempore, quo Albanus paruis itineribus Setubalam petebat, ne se Scrubalam con-
 tendere fingen's, iter deinde Sanctarenam versus institueret, atque adeo eum iam in hoc es-
 se nonnulli affirmabant, nimirum ut flumen eo commodius in loco illo, vbi angustum est,
 traiceret, & deinde terrestri itinere Lisybonam, oppidis minutioribus spretis, recta con-
 tenderet. Antonius itaque, qui maxima ex parte spem suam in fluminis transitu impedi-
 endo collocabat, hoc rumore perculsus curauit Sanctarenam armis, & præsidio muniri.
 Veruntamen cum paulo post intellexisset, Albanum Setubalo appropinquasse, & Alca-
 sarium, oppidum vicinum, occupasse, milites, quos Sanctarenam miserat, reuocatos, vna
 cum aliis quos vi stipendia merere cogebat, Setubalam ablegauit, & nobiles tum viritim,
 tum generatim, ut eodem proficerentur, impulit, idque pœnis, precibus, præmissionibus
 immunitatum, & priuilegiorum. Nihilominus nemo erat, qui libens eo proficeretur, &
 si qui vi cogerentur, vehementer conquerebantur: nobiles erant pauci, iijq[ue]; anfis fracti;
 plebs que minima quaç[ue] occasione in vtramvis partem impellitur, erat pigræ, ac lenta, quod
 sibi persuasisset impium esse pugnare cum Christianis: ita ut alii auferrent, alii se abscon-
 derent, alii quirirentur. Ministri regii, qui homines noui erant, ingenio pratio, & im-
 perandi imperiti, quod viderent frenū sibi laxatum, & sibi omnia licere, pro libitu miseros
 opprimebant, & cū incredibili inclemencia omnes promiscue velle nolle fit hosti obuiam
 proficisci, cōpellebant. Fuerunt eo tempore in hac vrbē impune cōmissa multa flagitia, in-
 sulitus & latrocinia: nā ad pecuniā negotiatorib[us]. extorquendā illīco in vincula coniiciebāt
 eos, qui nō statim numerabāt q[uo]d petebatur: & si qui forte negotiorū suorū causa extra vrbē
 equites expatiarentur, confessim dicebant illos in Hispaniam aufugere: & sub huius calci-

miniz p̄r extu ip̄sis, & bonis illorum manus injiciebant: vñ illi, qui laudasset copias regis, Hispaniz, quia vel lapidibus obruebatur, vel careeri mancipabatur, vel ingenti pecunie summa mulctabatur: obuio cuiq; vi arma, & equos eripiebant: si quis esset imbecillior, aut cum nouis ministris amicitiam non coleret, ille non erat admodum tutus. Male agebatur, cum iis, quibus rationes conferenda erant cum ministris aulicis. Cogebantur enim solvere, quod debebant, nulla admissa compensatione eorum, quæ ipsi debebantur. Et tum ob hæc causam, tum quia se quietis amantes esse ostenderant, in carcere cōpacti fuere nōnulli homines locupletes, & in primis honesti. Edicta barbara, & mādata, quæ de suspendēdis solutionibus, & redditib. promulgabantur, & quibus vñusquisq; in urbem redire, & ad defensionem se accingere iubebatur, vi apertis nisi parerent, & expilatis z̄dibus: hæc, inquam, erant infinita: ad summam, omnia insignem in clementiam, & aperitatem redolebant: omnia administrabantur ab hominibus, qui partim ignorantia, partim malitia dūti de industria mandata, quæ obseruari non poterant, promulgabant, vt deinde occasionem expildi haberent. Cruces, siue insignia ordinum equestrium, & in primis ordinis equitum Christi, quæ hactenus in pretio fuerant, tum temporis hominib. indignis, & obscuro loco natis propter varias variorum intercessiones collata fuerunt. Christiani noui, qui ad insignia equestria, ad gradum nobilitatis, & ad officia regia admitti non solebant, coniuente & fauente Antonio, omnes, quas optabant, dignitates obtinuerunt, non tam quod multis obstrictus esset propter beneficia ab illis duro suo, & necessario tempore accepta, quam quod facile a quois quiduis sibi persuaderi pateretur. Sciri Aethiopes, quibus propter ingentem illorum in urbe Lisybona multitudinem, arma interdicta sunt, momento temporis armati, & pene liberi comparuerunt. Edictum enim publice fuerat, vt omnibus, qui in hoc bello stipendia sub ductoribus Aethiopibus, ad id electis, merere vellent, illud etiam inuitis dominis, & quidem nullo pretio soluto, liceret. Quæ de causa serui omnes, in vnum locum congregati, cum mandatum regium plus sibi permettere existimarent, quam reuera permettebar, excusso iugo, & dominis desertis, per urbem vagabantur, & arma equosq; obuio cuiq; vi extorquentes multa atrocia facinora designabant. Moneta cusa fuit, iūpresso nomine Antonii, & valor eius quarta amplius parte immutatus. Fiscus regius erat exhaustus: vnde, postquam ab omnibus quæstoribus quidquid poterat, expressisset, manum admoveuit ceimeliis regiis, & nominatim phaleris tantopere apud Lusitanos celebratis, quæ lapidibus pretiosis insignes, & maximi pretii ex India venerant. Pecunia, quam Henricus in Lusitanorum, qui a Mauris captiū detinebantur, redemptionem collegerat, consumpta, & expensa fuit. Eo autem licentia progressum est, vt in monasteriis inquirerent in nummos, quos ibi depositos suspicabantur: cumq; non nullos inueniscent, quantumuis pertinerent ad amicos, homines notæ fidei, orphanos, & pupilos, omnes non numeratos, nec appenos asportarunt, præter vasa argentea ecclesiarum: quæ partim vi ercta, partim à monachis concessa fuerunt, neque meliori conditione fuerunt lapides pretiosi, & thesauri, quos Maria, Antonii consobrina, ad opera pia pro anima sua legauerat. Etsi enim illi Antonius multis beneficiis obstrictus esset, tamen illa omnia accepta in usus suos conuerit. Monachis licentia data fuit arma capiendi, eorumque opera Antonius usus est ad officia militaria, non sine scandalo plebis, & verorum monachorum, & sine ullo fructu. Multi boni viri reuocabant sibi in memoriam tempora præterita, & illa, quibus Sebastianus imperasset: & scipios condemnabant, quod tum conquesti essent de arrogantia intmorum Sebastiani, qui tamen neminem iniuria adfecissent. Laudabant Regem Henricum, qui quantumuis breui illo tempore, quo cum imperio fuit, non per omnia officio satisfecisset: tamen dicebant illi egregiam voluntatem nunquam defuisse nec ipsum tam facile hominibus prauis, innocentes opprimere conantibus, autes præbuisse. Vituperabant gubernatores, qui tam lenti fuissent in munere deponendo: ad summam dicebant cum Sebastiano regnasse temeritatem: cum Hérico ignorantiam, cum inopia iudicii coniunctam: cum gubernatoribus confusionem: cum Antonio iniustitiam. Excusabant Antonium nonnulli, sed adductis argumentis elumbibus. Dicebant enim nihil iniustum ab eo imperari, quod humanus es-
set, & animo bene à natura constituto: verum, cum multa minus recte administraretur, in causa esse avaritiam ministeriorum, qui, quamdiu Antonius insectationibus obnoxius fuisset, plurima inconmoda passi essent, etiam eodem rerum potiente, ad satietatem usq; nulla habita liciti vel illiciti ratione, cupiditatibus suis indulgerent. Priorem autem nihil ipsis denegare, nec delinquentes punire audere, partim quod tempora turbulentiora hoc non ferrent, partim ne incurreret nomen ingratii, si animaduerteret in eos, à quibus eo tempore, quo ab omnibus propter severissimas sententias à Rege Henrico pronunciatas descrebatur, te & confilio adiutus fuetat.

Liber Sextus.

ARGUMENTVM.

In hoc libro continetur occupatio Setubali, & arcis, capte ab exercitu Philippi: classis eiusdem in portum Setubalem appulsus: consilia Antonii: iter Cardinalis Riarii legati in Hispaniam: quomodo exercitus Setubalo Cascaisum se contulerit, & Iacobus Menesius cum Lusitanis retrocesserit: perturbatio urbis Lisbonae: occupatio Cascaisi una cum arce: mors Iacobi Menesii: iter Antonii cum suis copiis versus Belemum, & Alcantaram: venia, & gratia, quam rex Philippus obtulit Lusitanis, ut illos suis partibus adiungeret: tractatio de pace: deditio arcis Sancti Iuliani: deseratio propugnaculi in Capite sicco extructi, expugnatio turris Belemensis.

Albanus paruis itineribus Setubalo cum exercitu adpropinquabat, progredivs ordinibus non dispositis, & sine ullo hostis metu, plane ut in regione pacata, & amica iter fieri solet. Sed cum prope abesset, conuocatis primariis ductoribus, ostendit hactenus quidem propter interuum, quo ab hostibus distarent, disciplinam, & ordinem militarem neglectum fuisse: verum cum iam eos in vicinia haberent, non esse illos spernendos, praesertim quod immineret Setubalum, oppidum non contemendum, cui verisimile esset, validum praesidium impositum fuisse. Monere itaque se singulos, ut in posterum suum quisque officium diligenter faciat. His dictis, prope muros, in hortis ad septentrionem vergentibus, castra posuit: & statim misit ad oppidanos tubicinem, qui illis indicaret, Albanum nomine Regis Philippi adesse, ut apprehenderet oppidi possessionem, & postulare sibi portas aperiri, & se intromitti: si recusarent, se contra illos iure belli usursum: sin vero obedirent, se tum vitam, tum bona oppidanorum simul, & militum illæsa conferuaturum. Oppidani dubii, & inter se dissidentes, spatium ad deliberandum petierunt: & ut homines solemus, maiorem commodi priuati, quam vlliis alterius rei rationem habere, ciues, qui ex incenis milites vites cädere, & loca maritima salvi, (cuius est magna copia) confiendo apta devastari vidissent: statim deditonem quibusunque conditionibus faciendam censuerunt: nautæ, & pauci milites se ad pugnam paratos esse profitebantur, sed ita ut facile adpareret, eos frigide, & non serio hoc dicere. Verum Franciscus Mascaregnas, oppidi præfctus, & Iac. Boteglius iunior, unus ex militibus, considerantes, muros non satis esse firmos, & aliquanto plus metuentes hostem vicinum quam remotum metuissent, ad deditonem inclinabant: neque multum spatii ipsis ad deliberandum supererat. Interim enim Ludoicus Douara pactus erat cum Gallo quodam, qui Setubali cohorti militum præterat, ut sibi portam, cuius custodia eidem commissa erat, noctu aperiret: id quod re ipsa factum fuisse, nisi oppidanum mature consilium cepissent de mittendo ad Albanum Simone Miranda, ut illos ad deditonem paratos esse ostenderet: qui tamen ad Albanum peruenire non potuit. Cum enim milites, qui Setubali in præsidio fuerant, intellecto eorum, qui præcipuerant, consilio, ex oppido egressi in Simonem Mirandam incidissent, dicentes se ab illo proditos fuisse, hominem vi secum Lisbonam abduxerunt ad Antonium, qui eum in carcerem coniici iussit. Paulo post, nullis interpositis pactis de deditione, promiscue milites Hispani in oppidum ingressi sunt. Sane Albanus, dispositis tormentis, iam de muris diuerberandis cogitauerat, & oppidani eo usque præanimorum fluctuatione deditonem distulerant, ut in huius moræ pœnam milites suburbia deprædarentur. Qua de causa non male dici potest, fere præcipuum totius regni oppidum minis expugnatum fuisse: & sane nondum hactenus serio bellum geri videbatur. Milites Lusitanis, ut dixi, liberi & immunes discesserunt: solus Iacobus Boteglius, vel quod Albano diffideret, vel quod se ex Antonii ministris esse meminisset, clam censensa naui, se subducere conatus est: sed deprehensus, & in vincula coniectus fuit. Restabat Lusitanis turris, quæ portus ostium propugnat, quæ quia sita erat in loco salebroso, quo tormenta difficulter aduchi possent, quantumuis alioquin angusta, & minime firma esset, à Lusitanis proximata habebar, præsertim quia subsidio illi venerant tres naues armatae, quas Lisbona Ignatius Rodriguezius Velsus adduxerat. Quantumuis autem pauci essent in turri milites, tamen non opus erat pluribus, quod illa exiguum nume-

rum caperet: alioquin peritis magistris tormentorum, satis multis tormentis, & duce, inter Lusitanos aliquam virtutis opinionem habente, instructa erat. Expectabatur Setubali classis audiissime. Præterquam enim quod paulatim prætergrediebatur tempus, quo triremes in illo mari nauigare commode possent, si illa paulo tardius ad pulisset, periculum erat, ne exercitus terrestris, in commeatus, & aliarum ad bellum necessariarum rerum penuriam incideret. Hinc fiebat, ut Albanus turrim quamprimum in potestate habere cuperet: & ideo humaniter à Mendo Motta (hoc enim erat præfecto nomen) petiit, vt sibi illam dederet: & cum ille recusaret, Albanus pollicitationes nonnullas nominis regis adiecit: sed frustra. Quoniam autem Aluarus Bassanus, Marchio Sanctæ Crucis, præfectus classis regis Hispaniæ, postquam è portu S. Mariæ solu slet, & præteriecto Algarbi littore, in regis potestatem multa oppida, in illis partibus sita redigisset, cum sexaginta triremibus, & aliquot nauibus bellicis è regione Setubali in mari comparuerat: coactus fuit Albanus, viis impeditioribus opera fossorum complanatis, non sine magnâ labore, quatuor tormenta crassiora vna cum iusto militum numero ad turrim expugnandam mittere, ne triremes portu exclusæ vi tempestatis alio impellerentur. Et huius rei curam Prospero Columnæ commisit. Ceterum simulac tormenta disposita fuerunt, in loco, vnde ferire poterant unam ex nauibus bellicis, quæ proprius, quam reliquæ, ad litus accesserat: illi qui in naui erant, cum se tormentorum iniuria expositos, & quatuor homines amissi viderent, passis velis in portum ditionem facturi ingredi cœperunt, sed tamen non sine periculo. Præfidiarii enim, qui in turri erant, cum nauim ad hostes transire viderent, omnia contra illam tormenta exonerarunt. Conuertit deinde Prosper tormenta ad concutiendam turrim cumq; pauci globi in eam immissi essent, præfidiarii animo fratri, & in primis classis vicinæ conspectu perterriti, ditionem fecerunt, hac lege, vt sibi vita & bona salua essent: quæ quidé conditiones tenuiores longe erant iis, quas initio facile obtinere potuissent. Albanus quamvis ex hoc successu voluptatem caperet, tamē non dissimulabat Prospere in superiores conditiones consentire non debuisse, propterea quodictus tormentorum expectassent præfidiarii, quos quia non statim ditionem fecissent, veniam non mereri iudicabat. Paulò post triremes omnes appropinquarunt, & reliquis duabus nauibus paruo negotio captis, in portum ingressæ sunt. Peruenierat Lisybonam nuntius de amissione Setubalo, sed ita vt incertus, & conjecturæ similis videretur: tam patum erant Priori exploratae res hostium. Cum itaque vanis saepe rumoribus fidem haberet, & adhuc de istius nuntii veritate dubitaret, in aulam irruperunt tres mulierculæ, capillis passis, & eiulantes, quæ per nomen Dei adiurabant Priorem, vt opem ferret maritis, qui in muriis Setubalensis totius exercitus Albani imperium soli sustinerent, & neque a ciuibus neque a militibus (omnes n. esse proditores) adiuuarentur. Vt autem, quæ volumus, quantumvis vero absimilia libentius credimus quam ea, quæ rationi sunt consentanea: ita Prior facile sibi persuasit, mulierculas istas verum dicere: & earundem fletu, & questib. motus, Comiti Vimioso, qui Setubalensis succurrenti prouinciam suscipere se paratum esse dicebat, re exactius non perpensa iniunxit, vt, quanta maxima posset, manu collecta illis subsidio prefectus, nationis Lusitanicæ estimationem tueretur. Itaque populus ad arma conuocatus, & classici loco sonus campanarum, & similia adhibita fuerunt. Vnde pars sponte, pars vi, alii armati, alii inermes, naues concenderunt, ignari quo duce, quo ordine progrediendum, quidue agendum esset. Non tangebantur villo metu, quia nohendum in hostis conspectum venerant: & eam ob causam promiscue confluebant, non tantum iuvenes, sed etiam naues concendebant senes armati, quorum & capita, & manus tremebant, impulsi non vi (talis enim ætatis homines non cogebantur) sed innato quodam erga Hispanos odio. Vagabantur per plateas multi monachi equites, manibus enses distinctos gestantes, & plebem ad naues alacriter concendiendas instigabant: mulierculæ humiliores clamoribus cœlos penetrabant: templæ plena erant gemitibus & vlatibus, quibus miscebant preces stultissimas, ex quibus facile liquebat, eas nescire, quid à Deo peterent. Perinde enim ac si ab infidelibus vrbs circumvideretur, Deum pro orbis Christiani, & religionis conseruatione interpellabant. Erat dies decimus nonus Iulii, cumque longe intensissimus esset solis calor, miseri illi, qui in nauibus maris refluxum expectabant, æstu solis exsiccati prope ipsum littus siti laborare cœperunt. Multos itaque consilii, pœnitiebat, & cupiebat in ciuitatem reuerti, si licuisset: Verum in eodem loco substiterunt, usque ad horam quartam pomeridianam: (loquor autem secundum horologia ultramontana) cumque Antonius in flumine circumuagans, magna cum volupitate intueretur tantam multitudinem hominum, sibi operam nauandi cupidorum: ecce tibi nauim Setubalensem, quæ nuntium certum de oppido capto attrulit: qui vt exhilarat

vt exhilarauit turbam illam, quæ siti pene mortua, statim è nauibus egressa, in urbem rediit ita Priorem magna molestia adfecit. Cum enim ipse Setubalum profectus, oppidum commeatu, armis & aliis rebus, quoad eius fieri potuerat, & quantum satis esse videbatur, instruxisset, sperabat oppidanos per multos dies hostium impetum repulsuros. Itaque cum illos tam abiectis animis turpem deditioñem fecisse intelligeret, non nihil timoris concepit. quem quanquam nec dictis nec factis prodere auderet: tamen veluti mala imminentia præagiens, animo non mediocriter angebatur. Quemadmodum autem hominibus afflictis semper meliora videri solent ea consilia, quæ occasione præterlapsa, ad effectum amplius perduci non possunt, ita Prior animaduertit errorem suum, quem commiserat reiicendo consilium eorum, qui suadebant, ne Regis nomen adscisceret. Nam si defensoris titulo contentus fuisset, putabat se iam facile cum Hispano, & quidem optimis, ac honestissimis conditionibus transigere potuisse. Verum cum iam Rex proclamatus, & iuramento à subditis confirmatus esset, nomenq; regium tot litteris subscriptissimum, (quanquam haec tenus nec manum cuiquam deosculandam præbuisset nec sceptrum recepisset) durum ipsi, imo impossibile videbatur, vt titulo se, nisi una cum vita, abdicaret, quantumuis ex cotidianis rerum successibus perspiceret, imperium suum infirmis fundamentis inniti. Videbat enim hostem suum esse potentem, & iam eo progressum, vt nulla spes esset eum vel fisti, vel ad bellum suspendendum adduci posse. Videbat se deseriri propemodum ab universo regno. Dux enim Braganciæ, qui reliquis potentior est, lite cum Philippo composita, in loco re-
moto otiosum se totius tragœdia spectatorem præbebat.

Marchio Villæ regalis, qui promiserat se venturum, non stabant promissis: Et horum exemplum imitabantur pene reliqui omnes proceres, & plurimi ex nobilitate. Pars enim publice Badagiozium ad iuramentum Regi Philippo præstandum se contulerant, pars ne-
stebant moras, & expectabant rerum successum, ad quem se accommodare constituerant: ita ut pauci essent illi, qui Priori se adiungerent: Et hos ipsos ille satis intelligebat, nec sponte adesse, nec amore sui duci, sed vel metu, vel pudore, vel priuati cōmodi studio. Multi enim propter familiaritatem, quæ ipsis cum Priore intercedebat, vanas spes concipiebant: alii, qui aderant, non poterant, quin ipsi adhærerent: alii seueritate edictorum, quibus omnes ad se vocabat, percussi comparebant: ita tamen, vt metu pœnarum, quæ statuebantur, non omnies & que mouerentur. Illi enim, qui possessiones paulo remotiores obtinebant, parui mandata Prioris faciebant: qui vero in locis vicinioribus habitabant, ii, quod iniuriæ se magis obnoxios intelligerent, inuiti accedebant, & tamen egregiam erga Priorem voluntate simulabant. Hi fūcti vultus, hæc oppidorum defectiones, hæc quorundam ad Philippum profectiones & varietas nunciorum, qui ipsi modo huius, modo illius fidem suspectam redde-
bant, in causa fuerunt, vt Prior inciperet vereri, ne aliquando hosti à subditis proderetur, & quidem ab intimis amicis, quos ad euitandum vitæ periculum hoc facturos existimabat: quæ quidem suspicio ita creuit, vt in carcerem coniiciendum curaret Georgium Menesii, præfectum classis, quem falso suspectum habebat, quasi de classe prodenda, & hostibus in portum Lisybonensem, introducendis cogitaret. Accedebat, quod se quasi media regni
parte exutum videret. Tota enim regio, ultra Tagum erat in potestate Hispanorum. Et si quæ pars esset, in quam ii nondum penetrassent (vt Begia, & nonnulla oppida Regni Algarbiæ) eam aut contemni ab illis, aut transegisse: reliquam partem dimidiari, in quam hostes nondum peruererant, dubiam animi pendere.

Civitas enim Portus, quæ est metropolis, & fere reliquæ omnes inter Dorium & Minium sitæ, nondum omnino imperium illius acceperant: quod constituissent belli exitum expectare. Sola Coimbria præ cæteris Priori fauebat, & omnium constantissime deinceps in fide erga illum permanit. Iam inde enim ab initio mensis Iulii impulsu Ioannis Rodigezii Vasconcellensis sacerdotis nobili genere nati, quem Antonius eo miserat. Coimbrienses tumultuarii cooperant, & vrbe eiecerant Petrum Guedezium præfectum, qui vna cum prætore non sine vitæ periculo fuga sibi consuluit. Et nisi pestis ibi grassata esset, sine dubio longe maior, & perniciosior exorta seditio fuisset. Verum hic erat unicus locus. E contrario ciues Sanctarenæ, vbi primum Rex salutatus fuerat, imperium illius dedignari incipiebant: ita ut neceſſe haberet, motuum sedandorum causa, illuc mittere Emanueli Sylgium, qui vulgus Sanctarenense ad Antenium regem salutandum princeps incitauerat.

Sic siebant, vt Priori non restaret, nisi vrbs Lisybona, cui tamen non omnino fidebat, quantumuis fax plebis, vt fit, suum erga illum studium, & egregiam voluntatem de-
prædicaret. Non audebat in tanto periculo, in quo versabattir, mouere se, vel de auxilio sibi ferendo cogitare quenquā ex tot principibus, quos verisimile erat nolle regis Hispaniæ

potentiam tam insigni accessione augeri. Qua de causa hisce cogitationibus impulsus, facile ad transactionem aliquam animū applicaturus esse credebatur. quanquam confidencia Lusitanis propria & semel usurpatum regis nomen illud vix pati videretur: sed nemo erat, qui dextre hoc ipsi persuadere nosset, imo medicamenta morbum ipsius nutrientia adhibita fuerunt. Communicato enim consilio cum Iacobo Boteglio seniore intimo suo, & omnium incommoderum socio fidelissimo, & cum Portugallis, quantumuis nullus fugax, si eam tentare voluisset, locus relictus & exigua victoriae in p̄leio obtinende spes esset: nihilominus tamen in transactionem cum Rege cōsentiendo fortunæ cedere nesciuit, sed ad defensionem se parare constituit. Qua quidem in sententia confirmabatur ab Episcopo Guardensi, homine temerario, qui in omnibus rebus suum consilium, reliquorum sententiæ anteponi volebat. Dicebat Episcopus non esse tantas Regis Hispaniae vires, quantæ vulgo putarentur. Milites, qui in exercitu essent, esse tyrones, & imperitos. neq; enim Regem ex Italia veteranos euocasse, quod metueret, ne, dum ipse in Lusitania occupatus esset, regni Neapolitani, aut Ducatus Mediolanensis incolæ tumultuarentur. Italos & Germanos cum habere paucissimos: siue q; morbi eorum partem absumpſiffent: siue q; Rex non satis tutum iudicasset, magnam eorum multitudinem introducere in Hispaniam, prouinciam debilem, & omnib. nationibus exosam. Quinimo simulatq; rumor percrebuisse, Regem bello Lusitanico distineri, ab illo prouincias Italicas, regnum Nauarræ, & Arragonie defeturum: Turcam impressionem facturum in regnū Neapolitanum: ipsam Castellam. quæ irritata, & vectigalibus onerata esset, tumultuaturā: Gallos, Anglos, & nonnullos etiā Germanos subsidio Lusitanis venturos cum validis copiis, aut saltē tales in reliquas Philippi regiones incursions facturos, vt exercitum ē Lusitania auocare cogeretur. Dicebat illos nondum quidquam tēriffe, neq; propter temporis breuitatem tam cito certiores reddi de electione Antonii, quæ facta fuerat 19. die Iunii, nec responsum ab illis haberi potuisse. Ceterum incolas regni propriis virib. ita pollere, vt se cis flumen contra hostium insultū facile tutari possint, donec amici ipsis auxilium ferant. Hæc cum magna cum vehementia amici Antonio suggererent, seq; ex regionibus exteris de superiorib. omnib. per litteras edoctos fuisse fingerent, illi nonnihil animi addebat, præterquam q; imperandi libido hoc etiam habet, vt quæ incredibilia sunt, homines verisimilia esse sibi persuadeant. Isti autem præter priuatos affectus, quorum supra mentionē fecimus, quantumuis animaduerterent, quā exiguæ regni vires, quamq; fruile, quas adducebant, rationes essent: tamen duabus rebus magnopere exceccati fuerunt, ita vt Antonio omnem transactionem, & compositionem dissuaderent. Prior erat, quod se tam grauiter in Regem Philippum peccasse consciī sibi essent, vt quantumvis veniam forte delictorum impetrarent, tamen nullam omnino remunerationem, nulla beneficia à Rege, sibi promittere posserent: imo vt semper de vita dubitate cogerentur: Altera, q; sibi existimarent fruendum esse cōmodis gubernationis regni, q; erat pene totum in ipsorum manu. Arrogauerant enim sibi omnia munera præcipua, & propter amorem boni publici, quē præ se ferebāt, Antonius illos colere, & quodammodo venerari videbatur. Atq; ita metus periculi, & dominādi dulcedo in pristina obstinatione illos magis magisque confirmauit. In hoc dubio rerū statu nondū Prior de auxiliis Gallicis desperabat. Quia enim gubernatores eo primum Francicum Barretum, & ipse deinde Consulem Gallorum, aliqua pecunia summa instructum, miserat, confidebat fore, vt saltē alteruter eorum militē adduceret. Sed gubernatores Barretum miserant dicis potius causa, & vt populi desiderio satisfacerent, quā q; cuperent illum re ipsa aliquid efficere: cumq; Barretus cum mandatis amplissimis se in iter dedisset, gubernatores paulo post per diuersos nuncios mādata restrinxerant, & pene reuocauerāt, ita vt illi omnis rei perficiendæ ansa præcideretur. Quantumvis autē Antonius postea ad eum scripsisset, tamen hoc factum fuerat sero: Et Consul Gallicus in Gallia subsistens, pecuniam, q; ab Antonio accepit, voluptatibus & genio indulgendo consumebat. Qua de causa frustra auxilia ex Gallia expectabant, pr̄fertim quia ministri Hispanici in aula Gallica diligentissime laborabāt, ne Lusitanorum desiderio locus relinqueretur. Sane Antonius cum videret Barretum & Consulem redditum tam diu differre, & triremes Regis Hispaniae in mari Lusitanico circumvolitare, omnem de auxiliis Gallicis spem abiecit. Interim in omnibus rebus crescebat cōfusio, nihilq; ordine siebat: cumq; animi essent commoti, inquieti, perculsi, euenerat, vt nocte ea, quæ nuncium de capto Setubalo subsecuta est, nonnullis mercatoribus Hispanis, qui se Lisbonē tutos non esse iudicabant, aufugientibus, ad arma conclamaretur, cum magna omnium perturbatione, quod alta voce clamaretur, hostes diuersis locis in urbem irrumpere. Cum autem nulla ibi esset militia ordinata, nec quisquam, quid agendum esset, nosset, tantus fuit timor, tanta confusio, tum promiscuus concursus hominum, vel quid

quid rei esset quærentium, vel ad fugam spectantium, vt accedente terrore noctis, in vrbe tam ampla, & tam populosa, maior animo concipi rerū perturbatio non possit. Quantumuis autem orto die, & re intellecta metus iste non nihil remitteret: tamen nouis, iſq; multo maior omnium animis ſe insinuabat. Audiebant enim vires Albani esse magnas, adferebantur nuncii de insolentia militum, qui prædas agebant, & magis magisq; adpropinquabant. Neque mediocriter homines perturbati fuerunt, cum viderent redire seruos quodam Aethiopes faucios, qui cum sub signis in vteriore fluminis ripam temere progressi erant, ab equitibus & sclopetariis Albani male mulctati fuerant. Videbant Antonium non instituere villos apparatus, & habere exiguae ad resistendum vires, imo etiam nihil cum iudicio agere, neq; enim illum Scire vel pugnare, vel fugere, vel deditioinem facere. Consultabat Antonius cotidie cum suis, sed quia se accommodabat ad voluntatem multorum, quorum vt par auctoritas, ita discrepantes sententiae erat, nunquam, vt fieri solet, quidquam quærebat, statutum fuit. Hoc tempore apertius, quam ante sermones habitu fuerunt de transactione cum Hispano. Et licet nonnulli, qui initio feroceſ videbantur, tractabiliores paulo se praſtarent: tamen cum Comes Vimiosius, vt pote iuuenis feruidus, ad defensionem inclinaret, nemo ipſi contradicere ausus fuit. Aspirabat ille ad dignitatem imperatoris exercitus, sed non inueniebat viam loco mouendi Iacobum Menesium, qui illo munere fungebatur: Et ita, cum alter alteri aduersaretur, lente res ad defensionem necessariae curabantur: quod incommodum augebat etiam benevolentia, qua Antonius proſequebatur.

Eduardum de Castro, iuuenem diuitem, cui propter pecuniam mutuo ab illo acceptam obſtrictus erat. Hic itaq; cum fortitudinis suæ ſpecimen aliquod edere cuperet, ab Antonio impetravit licentiam, alam, quantum maximam posset, equitum conſribendi. Quin etiam Antonius eius opera vtebatur in rebus maioris momenti & dignitatis, quam quæ iuuenis illius natalibus conuenirent: id quod etiam reliquias indignationem commouebat. Summus interea Pontifex, qui Regem Hispaniæ ſua opera in hac cauſa decidenda vti noluisse videret, verebatur ne bellum Lusitanicum publicam orbis Christiani quietem turbaret. Gesserat ſe ille initio talem, vt in neutrius ex duobus Regibus, partem inclinare ſe oſtenderet: & videbatur vacillare, nec certi aliquid ſtuere, utri potiſſimum ſe adiungeret: Henricone, qui regnum ad Ducis Braganciæ vxorem transferre cupiebat: an vero Philippo, qui illud ſibi vendicabat. Etsi enim rationes politicae non permittebant, vt iſta regna vnta cuperet, ne Rex Hispaniæ, viribus illius tanta accessione augetis, potentia reliquos omnes principes Christianos ſuperaret: tamen non putabat ſibi temere committendum, vt illi aduersaretur, ne forte principem bene de ſe meritum offendere. Cum autem poſtea intellexiſſet, hos duos reges consentire, & Henricum, conſilio mutato, regnum ad Philippum transferre conari: non obſcure oſtendit, ſe amplecti cauſam Antonii, & Lusitanorum: id quod etiam manifestius intellectum fuit, poſt mortem Henrici, cum Pontifex instaret, vt iſi ſucessione definiretur per ſententiam: à qua decisione Philippus ratione iudicium abhorrebat. Verum cum legati Pontificii fruſtra hac in re laboraſſent, propter quod Philippus, omnia tua timens, & ne Pontificis quidem voluntati ſatis fidens, noluiſſet reuocare in dubium id, de quo certus ſibi eſſe videbatur: Papa in Hispaniam vnum ex Cardinalium numero ad hoc negocium procurandum ablegare conſtituit. Itaque ante quam Prior Rex ſalutaretur, miseraſ ad Regem Philippum, Cardinalem Alexandrum Riarium cum mandato, vt illum ab armis capiendis dehortaretur: & inde in Lusitaniam profectus curam negocii ſucessionei ſuſciperet, & ſe etiam ad ſententiam inter competitores nomine Papæ pronunciandam offerret. Varii fuerunt in Hispania de huius legati aduentu sermones: Et licet illius ſententiam non metuerent Castellani: quod iudicarent legatum non auſurum fuiffe tantæ litis decisionem in Hispania in ſe ſolum recipere: niſi pro rege Philippo ſententiam ferre conſtituiffet: tamen non putabant decere negocium hoc ipſi committere, quod putarent Pontificem ſub umbra fungendi munere patris communis, ad ſe, vt dictum eſt, supremum de regnorum controuersiis iudicium transferre, & præter insolitam auctoritatem, quæ hac ratione ſedi Romanæ acquireretur, etiam Regem, propter regnum, veluti ex manu ſua acceptum, ſibi & familiæ ſuæ in perpetuum deuincire conari. Rex itaque cum intellexiſſet Cardinalem Roma diſcēſſiſſe, cupiebat ante ipſius aduentum regni poſſeſſionem apprehendere. Iniuinxit itaque in Hispania præfectis, & magistratibus eorum locorum, per quæ Cardinali tranſeundum erat, vt illum & magnifice exciperent, & quoad eius fieri poſſet, quam diutissime, & quam dexterime detinerent. Quod artificium cum non intelligeret Legatus, non reiecit honores, & humanitatem, qua paſſim excipiebat, & tum ob hanc cauſam, tum ob itineris longinquitatem tantum temporis inſumpſit, vt cum Badagiozium perueniſſet, animaduerteret longe.

alium rerum statum esse, quam cum ipse Roma discederet. Intelligebat enim Antonium esse Regem & exercitum Philippi in Lusitania, non contemnendis progressibus factis, prope muros Setubali consedisse. Cum itaque negocii, quod in manibus habebat, faciem valde mutatam esse videret, ad Papam litteras, quibus noua mandata impetraret, dedit. Interea cum ipsi diuersorum assignatum esset extra urbem, in monasterio Monachorum discalceatorum, misit Traianum Marium, Protonotarium Apostolicum, qui Regem suo nomine salutaret. Rex Traiano humanissime excepto, dixit se dolere, quod morbo impeditus legato, ut par erat, obuiam procedere non potuisset: sed se, Deo fauente, pristina valetudine recuperata, officio suo non defuturum. Putabat nimis Rex se hoc pacte aliquanto diutius Cardinalem detenturum, eumque solita cum pompa in urbem ingredie-
to
distudio ductum, tantisper expectaturum, donec ipse morbo liberatus fuisset: & interim forte fieri posse, ut Albanus regnum occuparet. Verum legatus, de morbo Regis certior factus, & iam tandem animaduertens, quantum in mora esset periculi, petiit sibi permitti, ut de nocte carpento vndique clauso vectus, regem adiret: id quod eum tandem ægre obtinuisset, nocte quadam, Duce Ossunensi, & Comite Cincionio comitatus, ad Regem introductus fuit. Verum hoc colloquium fructu caruit. Cum enim nec legatus propter mutationem rerum satis sibi constaret, & Regi certum esset progredi, vt pote qui armis magis, quam verbis fretus esset, non potuit ipsis conuenire, propterea quod Rex easaretur, rem eo deductam, ut nullus amplius locus tractationi superesset. Fuerunt deinde Legato hospiti loco attributæ ædes Marchionis Oignonii: ita tamen ut in urbem ingrediens non exciperetur ea cum pompa, qua Cardinales legati solent. Commoratus est ibidem aliquandiu, nihil efficiens: quanquam, ut satisfaceret mandatis Pontificis, in Portugaliam proficisci cuperet. Sed Rex, qui hoc iter impedire studeret, quantum potuit, ipsum detinuit, quod fortassis existimaret, Cardinale urbem Lisybonam ingresso, rem mali exempli fore, si exercitus ad oppugnandam eam adduceretur: præterquam quod etiam ipse legato non satis fideret, sed potius suspectum haberet, eo quod, cum olim in Lusitaniam vna cum Cardinale Alexandrino venisset, singularem amicitiam, & familiaritatem contraxisset cum Duce Braganciæ, à quo hospitio exceptus, & humanissime habitus fuerat. Ut itaque discessi ipsius mora aliqua iniiceretur, Rex illi significauit, se, à morbo iam liberatum, committere nolle, ut inde abiret prius, quam solita cum pompa more Cardinale urbem ingrediens, honorifice, ut par erat, exceptus fuisset. Rogare itaque ut extra urbem egrederetur, velle se more consueto ipsi obuiam procedere: ut & fecit, atque ita hac mora interposita, & per ministros abitum Cardinali dissuadendo, obtinuit, ut se loco non moueret. Interea Albanus, capto Setubalo, ad reliqua festinabat. Cum enim incolæ regni Algarbii, & vicinarum ditionum ipsi significassent, se, Lisybona subiugata, Regi obedire paratos esse, existimabat se in potestate habere quidquid inter Tagum, & fines Hispaniæ situm esset: & ideo cupiebat, flumine trajecto, copias in urbis Lisybonæ conspectum adducere. Dubitabat, quonam potissimum in loco traiiceret; utrum infra Lisybonam Cascaisi prope ostium fluuii: an vero præstaret versus Almerinum iter conuerte-
re, & fluuium transire Sanctarenæ: denique an satius esset iubere triremes ingressas Tagum (quamvis non posset fieri sine periculo) appellere ad ripam sinistram, quibus deinde ipse cum copiis Almadam, aut Casillas profectus, in ulteriore ripam transueheretur. Traiectus prope Cascaisium erat breuior, sed non carebat difficultatibus. Etsi enim Setubalo triremes eo nauigare possent: tamen nullus erat in littore locus, ad exponendum militem paulo accommodatior, quin vallis, ac turribus munitus, & tormentis, præsidioque instructus esset: ita ut triremes sine manifesto periculo eo adpellere non possent, præterquam quod etiam Iacobum Menesium in vicinia cum copiis esse rumor erat. Quod si Almerinum contenderet, videbat se laboraturum penuria nauigiorum, que omnia ad oppositam ripam configerant: quæ ipse adducebat, erant pauca: neque tam cito, ut res postulabat, noua confici poterant, & latitudo fluminis consilio de ponte faciendo locum non relinquebat: Et quanquam fortasse in quibusdam locis vada inueniri potuissent, tamen illa sexaginta milliarium interuallo inde distabant: quod iter maximo æstu in regione arida, & aquis destituta cum numero exercitu, & magnis impedimentis, non sine incredibili molestia confici poterat. Præterea hac ratione siebat ut prægaretur bellum, & retrocedendo incurreretur in iacturam existimationis: denique hostis eo in loco milites, traiiciendo flumine impeditos, aggressurus putabatur. Ut iretur Almadam, & triremes in Tagum ingredi iuberentur, placebat maiori parti, & in primis Ludoico Douaræ, qui dicebat hoc esse omnium consiliorum tutissimum, & ex littore hostes iactibus tormentorum propulsari, flumen facile transiri, & urbem, nullo damno affectam, occupari posse.

posse. Neque enim arcem S. Iuliani, aut Caput Siccum ita magno incommodo possetire. Sed Albanus celeritatem periculo anteponens, constitutum habebat traiicere ad Cascaisum potius, quam alibi: & ideo, Lusitanis, qui ad Hispanos transierant, & exercitum comitabantur, ac in primis Antonio de Castro, domino Cascaisi, cui illius loci conditio erat perspectissima, in consilium adhibitis, & postquam denuo littoris faciem diligenter esset contemplatus, certo statuit traiicere ad Cascaisum: cumq; se exercitum Sanctarenam ducere, hosti impositurus, simulasset, statim vniuerso peditatu triremibus imposito, cursum eo direxit. Quoniam autem Iacobus Menesius erat Cascaisi, paratus ad resistendum; cum triremes in conspectum Cascaisi peruenissent, proras ferte conuerterunt
 ad locum illum, qui à S. Antonio denominatur, & quem Lusitani munierant, quod metuerent, ne propter commoditatē eo Hispani adpellerent. Hac autem simulatione usus est Albanus, vt Menesius, ceteris desertis, ad illum locum defendēdum accurreret. Comprobauit consilium Albani exitus; quia omnes promiscue eo confluxerunt: & Albani, postquam aliquandiu in eam partem nauigasset, tormentis arcis Cascaisanæ iam in illum fulminantibus, subito protis ad littus (quod vetus appellant, & locus asper, ac incōmodus est) cōuersis, cum omnes inde defensores discessissent, facile militem exposuit: quamuis paulo ante dubitaret, utrum progredi, an regredi oporteret, partim quod vetus, qui initio secundus erat, contrarius esse cœpisset, partim quod in illis colliculis nonnullos homines armatos conficeret, & eam ob causam rem difficultate non carituram putaret. Veruntamen
 tandem animo obfirmato, perrexit. Fama est, quendam ex duotoribus maxime exercitatis, familiarem Albano simulantem se alia de re locuturum, ipsi in aurem insusurrasse, illam militum in loco tam impedito expositionem quadrare potius imperatori iuueni viginti quinq; annorum, quam illi: & Albanum, humeros, mōregentis contrahentem respondisse, se negare non posse, quod ille dixisset: sed tamen constituisse progredi, quod sibi cum hostibus rei militaris imperitis rem esse videret. Porro cum triremes cōtra oppositum littus temēta disploderent, locus ille à defensoribus omnino desertus, & militi in littus euadere facillimum fuit. Miles, qui primus in terram descendit, erat sclopetarius: is, electo in littore illo loco commodo, & vultu in hostem conuerso, eo usq; progressus est, ut à tergo spaciū aciei instruendē relinqueret: duo alii, qui proxime ipsum erant subsecuti, ab utroque latere paulo citerius & quali interuallo substiterunt, ita ut formam trianguli equilateris repräsentarent: hos duos alii tres: hos tres sex subsecuti sunt: & ita, numero paulatim crescente, rectis ordinibus (sed ita ut unus altero esset maior) se secundum frontem illius trianguli extenderunt, augentes semper basim illius, forma nunquam interrupta. Itaq; triangulus in tantam magnitudinem excrevit, quantam illæ copiæ occupabāt, in quibus disponendis hæc forma retenta fuit: & prope illos Albanus paulo post appulit. Ceterum ab hac maris ora assurgebat collis, ascensu difficilis, post quem Iacobus Menesius cum copiis suis confederat: & in vertice illius collis inter rupes quasdam nonnulla tormenta, Albano militem exponēti impediendo, disposuerat. Verum nescierat Menesius illis vti, nec in locum, ad triremes potendas idoneum, ea promoueri curauerat. Qui error cum ab Albani militibus in littus descendantibus animaduersus fuisset, nonnulli ex ipsis, triangulo relicto, majoribus sclopetis rem gerentes, occuparū tormenta deserta à magistris, & custodibus, qui ad reliquos Lusitanos post collem absconditos se receperant. Perfecto triangulo, Albanus primos ordines progredi iussit, totamq; aciem extendit, quo ad fieri poterat, in figurā quadratam, & ad iter faciendum idoneam: cumq; in cacumen collis per partem minus inclivem cū militibus peruenisset, & hostes obstupefactos nec fugere, nec pugnare, nec castra metatos esse vidisset, misit circiter octuaginta sclopetarios, qui illos ad velitationes prouocaret: qua in re Lusitani longe inferiores fuerunt. Cum enim & minus in displodendo exercitati essent, & sclopetis maioribus destituerentur, ab Hispanis crebris ictibus, idq; eminus feriebantur, ad quos tamen ipsorum globi non pertingebant. Cum itaque nonnulli ex illorum numero cecidissent, reliqui metu percussi, & fugientibus similes Cascaisum contenterunt, vnde Menesius dicebat illos deinde ad hostem, prælii redintegrandi causa, reuersuros. Itaque Albanus minori negocio, quam putasset, victoriam obtinuit: signum satis eidē fore, ut cetera omnia ex sententia ipsi eueniarent, quoniam principia, quæ erant tantum momenti, adeo feliciter successerant. Erat communis omnium opinio, & in primis Lusitanorum, Albanum plus difficultatis in flumine traiicendo experturum, quam factum erat. Nam præter munitiones in diuersis locis institutas, multum etiam fiduciæ in littoris asperitate locabant, & in virtute Menesi, qui cum in India copiis præfectus esset, magnum nomen (quanquam liberalitate potius, quam virtute militari) apud gentem illam sibi comparauerat. Verum ut Lusitani de seipsi iudicantes facilis, quam reliquæ omnes nationes,

falluntur: ita etiam iudicium de Menesio illos decepit. Veruntamen de loci ad exponendum militē incommoditate recte cēsuerunt. Erat enim talis: sed huiusmodi difficultates facile, nemine resistente, superantur. Complures Lusitani, moti infelici hoc successu, Menesium, tanquam hominem ab eicti animi, accusabant, quippe qui hostem in littore expectare, egradientem ē nauibus descensu in terram, & ascensu collis prohibere ausus non fuisset. Alii, qui fieri non posse putabant, vt homotanti nominis timori locum relinquaret, insimulabant eum perfidiae, & dicebāt illum manus conserere noluisse, largitionibus à ministris Hispānicis corruptum. Adducebat ille excusationes, sed imbecilles, nimirum milites, quos haberet, ut pote collectitios, & timidos pugnare noluisse, immo de sua fide sine omni causa dubitantes tumultuari, & imperium detrectare cōpisse. Hęc res ingentem pauorem incussit Priori, & toti vrbi Lisybonæ. Cum enim Cascaisium tantum quindecim milliarib⁹ inde distaret, & vrbs m̄enibus nuda, & minime omnium munita esset, hostes Cascaisio in potestatem redacto, cotidie vñq; ad ianuam palatii excurrere posse videbantur. Porro metus (qui in timidis per desperationem idem sepe efficit, quod in temerariis inconsiderantia cum ira coniuncta) stimulauit Antonium tam vehementer, vt postquam campanas, classici loco pulsari, & ad arma conclamari iussisset, ac promiscue, & sine villa disciplina militari conuenissent vniuersi ciues in forum, partim pedites, partim equites; alii armati, alii inermes: publice denunciaret, se in campos apertos progredi, & hosti obuiā ire constituisse. Ceterum interea venerunt in palatium duo monachi, quise Cascaisio venire dicebant, & Albanum, exposito milite, & prælio leuiori cum Lusitanis commissio, victum multorum militū, & aliquot nobiliorum ductorum iacturam fecisse confirmabant. Quorum sermoni cum fides haberetur, subito horribilis campanarum pulsus in voces gaudii indices, in sonum tubarum, & fragorem tormentorum, quæ in signum lætitiaz exonerabantur, conuersus est. Veruntamen eis paulo post intellectum fuit, quomodo reuera res se haberet: tamen quia iam nox inguebat, Antonius profectionem in sequentē diem reiecit. Interea tanta erat rerum perturbatio, & licentia tanta, vt sparsō falso rumore de fuga Georgii Menesii, qui in arce captiuus detinebatur, totus populus armatus, atq; adeo mulierculæ eo contenderent: ac nisi protectionem Menesii iudex quidam suscepisset, quantumvis manifestum esset eum de fuga non cogitare, sine dubio interfectus fuisset. Postero die cum plebs magno cum tumultu (in horas enim nūcii de hostium vicinitate adferebantur) denuo confluxisset, nihil pensi habens, vel quo eundum, vel quid agendum esset, Antonius copias versus Cascaisium ducere cōcepit. Ceterum confectis tribus milliaribus, cum Belemum peruenisset, & non nihil deferbuisset, respiciens ad turbam, quæ pone sequebatur, deprehendit illam nec numero nec genere armorum expectationi suæ respondere. Nam si quis hastam haberet, deerat ipsi gladius: si sclopetus, deerat funis, & in vniuersum non superabant numerum mille peditum, & quingentorum equitum leuis armaturæ. Etsi enim longe plures Lisybonæ confluxerant, tamen sub discessum multi domum redierant. Ibi cum adstante comite Vimiosio, aliquandiu substitisset in consilium adhibuit ex primaria nobilitate illos, qui aderant, & interim dum exquirit, quid potissimum agendum esset, natus est in turba tumultus, & exaudite fuerunt voces clamantium, vt in hostem irtur; & minitantur mortem omnibus illis, qui retrocedendum esse dicerebant, nisi prius fusis, fagatisq; Hispānis: ita vt quidam, cæteris oculatores, (qui Priorem fortasse admonuissent, rectius factum, quia tam exiguae vires haberet, si pedem referret) ne hiscere quidem auderent. Ceterum, sole iam occidente, penuria ipsa docuit illos agnoscere quotamcunque partem eorum incommodorum, quorum nullam omnino notitiam habebant. Cum enim coenare cuperent, ne vnicus quidem panis aderat. Itaq; paucarum horarum fame vanam turbæ illius iactantiam domante omnes promiscue, vnde venerant perturbati redierunt. Albanus, qui ea nocte castra prope templum Virginis Guidanæ posuerat, cum postero die Cascaisium profectus esset, oppidum à defensoribus nudum contra promissionem ab Albano Antonio de Castro factā, milites deprædati sunt. Veruntamē iam ante pene ad vnum omnes incolæ discesserant. Tunc etiam Albanus beneficio triremium, equites, reliquum peditatum, tormenta maiora, puluerem, globos, & impedimenta, Setubalo Cascaisium transportari curauit: & deinde obsidione cinxit paruam arcem in eodem loco sitam, in q; inscio Albano, Iacobus Menesius configuerat. Quamuis autem illa non ita munita esse videtur, vt diu tanti exercitus impetum sustinere posset; tamen cum Dux per tubicinem præsidiarios ad ditionem inuitasset, miseri illi tātum sibi ipsi confidebant, vt, iure belli, & gentium violato, illum sclopotorum ictibus impetrere non dubitarēt, & ad defensionem accingentes, sibi mori constitutum esse dicerebant. Statim igitur in arcem directa fuerunt tormenta; cumq; paucis ictibus magna muri infirmioris pars aperta esset, sero errore suo agnito,

agnito, de ditione cogitare cœperūt. Etsi autem è mœnibus signa ditionis edidissent, tamen à militibus Hispanis illa animaduersa non fuerant. Itaq; in altum sustulerunt vexillum quoddam candidum: sed simulatq; ille, qui vexillum ferebat, in mœnibus comparuit, statim à militibus Hispanis, qui collimabant, & semper ad eiaculandum parati erant, pluribus iactibus interemptus fuit: id q; præfidiariis fere omnem salutis spem præcidit. nihilominus tamen denuo vexillum eleuarunt, & cum viderent tormentorum fulmina non cessare, & ingentem muri partem prostratam iacere, desperata venia, nullaq; omnino cōuentione, aut pacto interposito, portas aperuerunt, per quas, nemine resistente, hostes statim irruperunt. Ibi inuentus fuit Iacobus Menesius: qui cum pro solita Lusitanorum confidencia se non admodum grauiter peccasse existimaret, petiit per internuncium ab Antonio de Castro, qui Albanum comitabatur, vt pro eo officio, q; nobiles alii aliis debent, sibi ab Albano veniam, & simul nauim impetraret, qua ad Priorem veheretur. Verum Albanus statim, vt Menesium in potestate habuit, capite illum plecti iussit, & suspendi Henricum Pereiram, arcis præfectum, & nonnullos alios ex præcipuis, vt hoc exemplo metus incutereatur ceteris, qui de defensione cogitarent. Quantam indignationem, & perturbationem nuncius, his de rebus Lisybonam allatus, pepererit, credi non potest. Itaq; si forte à rusticis aliquis ex hostibus caperetur (vt s̄epe solet euenire militibus, qui prædictæ causa è castris euagantur) miserrima sane erat illius cōditio. Dum enim vincitus duceretur, armati armis, monachi fustibus, pueri, & mulierculæ lapidibus in miserum scuiebant, tanto quidem cū furore, vt beatus haberetur is, qui vincitum percussisset. Imo eos licentia progressus fecerat, vt hominum fæci, & mancipiis iniuria afficere exterum, siue amicum siue hostem, coniicere in carcerem, damnare ad triremes liceret. nā simulac hostis aliquis vocabatur, ad minimam quamq; vocē plebs tota tumultuabatur, & quo iure, quaq; iniuria prolibitu omnia administrabat. Antonius interea de spe hostem transitu fluminis prohibendi deturbatus, cum exercitum Albani potentissimum tam vicinum esse videret, cogitabat quanam potissimum ratione rebus suis consuleret: sed omnia quæ sese offerebant remedia, cū periculo, & difficultate coniuncta esse videbantur. Prælium enim cum hoste inire, stulti esse iudicabat, q; suas copias tales esse perspiceret, vt non tātum de victoria obtainenda, sed etiam de ea dubia reddenda desperarer. Vrbs Lisybona defendi nō poterat propter amplitudinem, q; quia muris vel omnino nullis, vel infirmis cincta erat. Mari fugere non poterat, quia obstant triremes: terra non audebat, nec commode etiam poterat propter satis magnam summam pecuniaæ, & numerū lapidum pretiosorum, quos secū asportare cupiebat. Pacisci vero cū Albano certis conditionib. non minus ipsa morte acerbum putabat. His itaq; dubitationum fluctibus cū agitaretur, adiit illum magistratus Cameræ Lisybonensis, & ostendit, quandoquidē hostis tā vicinus & tā potens esset, se nolle vrbis salutē in discriminē adducere, nec cōmittere, vt, cum esset minime omnium munita, rapinæ militū exponeretur. Peterē itaq; se, vt Antonius hosti obuiam profectus periculum vrbī imminens propulsaret: sin minus, Lisybonensibus vitio verti non posse, si de aliqua vrbis in tuto collocandæ via cogitarent. Respondit Antonius, tempus adesse, quo Lisybonenses suo sumptu militem sibi subministrare æquum esset: q; si facerent, copiis istis, cum illis, quas haberet, coniunctis, sperare se Deum Opt. Max. sibi victoriam concessurum. Cum autem magistratus se excusaret propter ingentes sumptus, qui occasione pestis facti fuerant: subiecit Antonius, quidquid esset, se intra biduum, iusto exercitu coacto in hostem esse iturum. Cum itaq; diē Augusti mensis quartum, funestum Lusitanis propter infelicem in Africa pugnam, præterlabi siuisset, rebus carioribus apud monachos quosdam depositis, edixit, vt omnes milites, qui à multo iam tempore scriberebatur, totusq; populus Lisybonensis, nemine excepto, sub signis Beleum versus iter ingredenterentur: id q; etiam summa cum severitate executioni mandatum fuit, ita vt multi vi eo profici sci cogerentur. Etsi enim vulgo pleriq; omnes capitali in Hispanos odio arderent: tamen sartores, suores, ac reliqui, artes sedentarias exercētes, vna cum agricolis, qui se vel totum mundum debellare posse iactitabant, ægre à sua quisq; domo auelli poterant: cumq; indies magis magisq; animo frangeretur, maluissent lingua pugnare, quam manu: præterquam etiam quod exercitiis mechanicis assuefacti, & belli insolentes, inepti essent ad tractanda sclopeta, ineptissimi vero ad hastas non modo vibrandas, sed etiā gestandas. Ita ex hominibus huius farinæ, nimirum vi coactis, tumultuariis, & collectiis circiter octo, aut decē millia Beleum profecta sunt: quo & ipse postremo cōtentit Antonius, qui semper dubius, & consilii inops, nihilq; certi constitutum habens, expectabat auxilium, & consilium ab ipso tempore. Tota autem ipsius spes huic fundamento innitebatur, q; cum Albano, Lisybonā versus iter faciente, loco & quo, si fieri posset, manus conserere constituerat: certus, more desperatorū, vel vincere, vel mori: quanquam postea,

cum res flagitaret, neutrum horum fecit. Copiæ Antonii non metabantur castra, sed hinc illinc, per tenuis oppiduli tuguria, sub porticibus monasteriorū, & alibi, nulla munitione, neque forma castrorum instituta, dispersæ erant. Nullum habebat ductorem exercitatum, nullum præfectum castrorum, nullum tribunum, qui militibus imperare, castra metari, aciem necessitate flagitante, instruere didicisset. Venerat eo belli huius fama excitatus Sforcia Vrsinus, iuuensis, qui non magnum quidem usum haberet, sed animi satis. Verum cum & exterus, & solus esset, nec obediētia ipsi, nec multū etiam fidei præstabatur. Centuriones erant omnino inexperti, & tanta erat horum penuria, ut nonnulli monachi Franciscani, seruis Æthiopibus, & faci plebis se immiscentes, centurionum partes sibi assumerent, & altera manu crux, altera arma gestarent. Neque silentio mihi, propter nouitatem prætereundi videntur tumultus, qui exaudiebantur in monasteriis monachorum: qui cum studia in contraria scissi essent, & pauci Hispanis, pauciores neutri parti fauerēt, plurimi vero Antoni imperium expeterent, magna cum animorū contentione & strepitu inter se disceptabant. Nec his quietiores se gerebant sacrificuli, quorū multi habitu sacerdotali abiecto, armati armatis militibus se adiunxere. In hac rerum perturbatione substitutum triduum Belemi Antonius, interim dum Albanus paruis itineribus illi loco adpropinquat. Quarto die animaduertit Antonius, confluere quidem cotidie ad se milites ex oppidis regni, in quibus scripti fuerant, exercitum tamen indies magis magisque decrescere. Lisybonenses enim, qui tam propinquas domos suas haberent, & belli incommoda ferre non assuefuerint, furtim se subducebant. Qua de causa Antonius Lisybonæ sub 20 grauissima poena edici iussit, ut vi ad se omnes viri siue armati siue inermes adducerentur, & ne cuiquam alio quam Beleum ire permitteretur. Volebat enim tam timidos, quam audaces eandem secum fortunam experiri, persuadēs sibi (vt & cum magno suo danno Rex Sebastianus fecerat) ad pugnandum cogi posse eum, qui nec scit, nec vult pugnare. Quoniam vero omnes spes, opesque illius in aura populari sitæ erant, eo facilius omnibus, præcipue autem complicibus suis concedebat amplissimam quandam licentiam ex qua deinde confusio, & ex hac multa incommoda nascebatur. Cum enim Lisybona referta sit Æthiopibus seruis, hyphridis, & agricolis, homines quietis amantes, à populo magis, quam ab hoste sibi metuebant. Veruntamen odia non eruperunt in facinora, nec quisquam visus fuit vindictam ab inimico in tanta licentia exigere: non quod non sint inter illos etiam dissidia, & rixæ, sed quia natura ita comparati sunt, vt lingua potius, quam armis hostem vlciscantur. Parum autem profuit illa severitas, quæ in hominibus Beleum extrudendis adhibebatur. nam quo asperiores erant ministri Antonii, eo magis crescebat in vulgo metus, ita ut omnes se in latebras abderent. Antonius itaque cum se Belemi iutum non esse animaduerteret, in tanta hostis potentis & victoris vicinitate: de consilio quorundam cum copiis progredi, & circum arcem S. Iuliani castra ponere constituit. Duo enim commoda hac ex re prouentura esse videbantur. Prius, quod exercitus ipsius beneficio tormetorum, & arcis S. Iuliani minori in periculo futurus esset. Posterius, quod hac ratione in tuto collo catus esset illud propugnaculum, quod unicum totius regni scutum vere appellari poterat. Verum cum hoc consilium maiori parti improbaretur, suas Sforcie 40 Vrsini Alcantaram, inter uallo miliaris Lisybonā versus Belemo distantem, regressus, inter hostem & copias suas interiecit torrentem illac præterfluentem: cuius ripæ in loco admodum præcipites, valli loco futuræ esse videbantur. Quamuis autem hoc consilium nasceretur potius ex inconsiderantia, qua Beleum usque excurrerat, quam ex nota hostis aduentantis suspicione; tamen ratione non caruit propter situm loci, natura muniti, & accommodati ad consilia Antonii, qui nolebat procul ab urbe discedere, vt eo facilius in fide, & officio eam contineret. Rex Hispaniæ, qui adhuc Badagiczii commorabatur. factus de Albani progressibus certior, partim luctabatur: partim etiam dolebat Lusitanos obstinatione sua belli incommoda sibi ipsis accersere, & irritari illam nationem, cuius amorem sibi conciliare magnopere cupiebat. Cogitabat itaque de omnibus modis, vt haec eius semper fecerat, quibus hoc consequi posset, vt armis non nisi parcissime vti necesse haberet. Itaque è re fore putabat, si veniam concederet Lusitanis, qui ipsum offendissent, vt hac clementia ex hostibus amicos faceret. Curauit istam delictorum gratiam & veniam publicari, idq; in hac sententiam. Intellexisse se in rebellione, quam Antonius tyrannorum more Regis Portugalliae nomen præter ius fasque sibi arrogans, excitasset, multos, qui ipsum sectarentur, metu & vi coactos, aut dolo circumuentos fuisse. Ne itaque huiusmodi homines in easdem cum nocentibus pœnas incurserent, neue plebs, cui plerumque facilius, quam reliquis imponi potest, summi iuris rigorem experiretur, velle se, vt omnes qui relicto Antonio, sibi tanquam vero Regi, & domino, intra tempus ab Albano præstinentem

tiendum, adhæserint liberi sint, & immunes à pœnis, in quas Antonii partes se etando incurrerant. Excipiebat tamen Priorem, & reliquos autores rebellionis, quæ Sanctarenæ, Lisybonæ, & Setubali excitata fuerat: item omnes eos, qui à Priore imperassent, vel impretratur essent munera, officia, beneficia, tanquam à rege: deniq; omnes illos, qui etiamnum operā illi suam nauarēt. Nolle enim se hos gratiæ, & veniæ huius participes facere. Quamquam autem vltimum hoc membrū non omnibus probaretur, tamen reliqua magno cum iudicio conscripta videbantur. Nam elucebat ex hac re non tantum bonus & cädidus Regis animus, verum etiam prudentia. Erat enim clementiæ veniam concedere: astutiæ vero militaris operam dare, vt Lusitani Priorem desererent. Veruntamen hoc scriptum, cuius diuersa exempla per totum regnum disseminabantur, parum vel Philippo profuit, vel nō cuit Antonio. neq; enim aut numerus eorum, qui regi fauerent, creuit, aut q'nsquam ideo Antonium deseruit. Soli Antonii intimi non nihil attoniti fuerunt, quia, ponderando verba Philippi, videbantur sibi venia exclusi, quippe qui munera, honores, beneficia ab illo accepissent. Perspiciebat itaq; delicta sua indies augeri, maxime exemplo mortis Iac. Menefii ob oculos versante. Multi in superiori scripto obseruarūt, præterquam quod lingua Lusitanica confectum esset. regem etiā solos regum Lusitanæ titulos usurpare, ceteris omnibus omissis: & cum soleret subscribere diplomatis hæc verba: Ego rex: iam tātum scripsisse, Rex ... (cum quinq; his punctis, quæ Lusitani vulnera appellant) p'ane ad imitationem regum Lusitanie. Itaq; nonnulli dictabant, illum iam etiam in rebus exigui momenti Lusitanum se gerere incipere. Albanus interim paruis itineribus via Oeirenſi ad arcem S. Iuliani proficiscebatur: & videbatur de industria moram interponere, ne Lusitanis delibrandi spacium decesset. Positis itaq; castris, tanto ab arce interuallo, vt à tormentorum ictu periculum nō esset, statim à præfidiariis per buccinatorem arcem sibi dedi postulauit. Verum cum hic buccinator esset idem ille, qui ex arce Cascaisensi sclopeticis petitus fuerat, veritus ne hic simile quiddam sibi eueneret, non fuit ausus arcī appropinquare, sed, signo eminus edito, nulloq; responso accepto, rediit ad Albanū, dixitq; præfidiarios deditonem recusare. Dispositis itaq; decem tormentis die Laurentii, arx concuti cœpit: sed eorum numerus deinde ad viginti quatuor excreuit. Non patebat aditus tremibus, propterea quod oræ maris propugnaculum immineret. Qua de causa naues Lusitanicæ, quæ erāt in fluminne, littori appropinquantes, tormentis maioribus, quæ serpentes appellat, & aliis Hispanos offendebant. Verum illi noctu tribus tormentis in loco idoneo collocatis, paucis iictibus naues Lusitanicas aduerso Tago, ad eam partem ripæ, quæ à Sancta Catharina nomen habet, se recipere adegerunt. Interim Antonius Alcantara in loco edito hærebat: ibi q; cum inde arx Sancti Iuliani nō nisi quinq; milliaribus distaret, ociosum se spectatorem præbuit, oppugnationis illius, à qua omnis ipsius fortuna dependere videbatur. In toto enim regno Lusitanæ nullum erat propugnaculum, præter hoc, q; maiorem aliquem impetum sustinere posset. Itaq; eo amissio, omnis spes prostrata iacebat. Verum cum illi mare præsidio, & commeatu arcem adiuuandi occasionem suppeditaret, confidebat eam aut omnino expugnari non posse, aut saltem tam diu hostem remoraturam, donec vel hyeme ingruente, vel missis à principe aliquo extero, commiseratione ipsius moto, auxiliis, ante expugnationem rebus suis inclinatis inueniret remedium aliquod, sine quo parum spei superesse videbat: idq; eo magis, q; ciues Lisybonenses, motos maximis damnis, quæ milites palantes vicino agro inferebant, intelligebat constituisse urbis ingressu se omnino arcere, nisi vel viasset hostem, vel cum eo træsegisset. Metuere enim illos, ne alioquin Albanus irritatus urbem non munitam militum præde permitteret. Erant autem, qui opinarentur Priorēm, in quo posset plus libido dominandi, quam amor religionis, aut villa res alia, rebus omnibus desperatis, operam daturum, vt urbs Lisybona, quæ instar totius regni est, auaritia & libidine Hispanorum exponeretur, q; cuperet Lusitanos (si sibi regno cedendum esset) ita ab exercitu Regis Hispaniæ tractari, vt nulla spes vel pacis, vel amicitiæ relinquatur, & si sibi aliquando occasio redeundi offerretur, vt populum (accidente ad hæreditarium in Hispanos odium indignatione, quam ex huiusmodi damnis homines solent cōcipere) ab Hispanis eo alieniorem, & sibi addictiorem inueniret. Qua de causa singulis diebus, quātum poterat, mutabat aliquid in magistratu Cameralium, & ad illud munus promouebat homines, quorum fides ipsi erat perspecta, & quos tum redditum in urbem si vsus veniret, sibi patefacturos, tum semper sibi obnoxios futuros esse confidebat. Veruntamen cum maxima ex parte, ii, qui magistratus Cameræ officio fungebantur, essent homines mechanici, in quibus plus metus, q; regis reuerentia potest, non nimium fiducię in illis collocabat. Porro Antonius eo tempore, quo Rex salutatus fuit, vtebatur opera nobilis cuiusdam Castellani, qui cubicularii supremi partes obtinebat. Hic cum bellum inter Lusitanos, & Hispanos

exardescere vidisset, & ab Antonio in patriam redeundi licentiam imperasset, in Hispaniam reuersus, regem Philippum adierat, & propter singularē familiaritatem, quę sibi cum Antonio intercedebat, se ad transactionem cum illo nomine regis instituendam, & vt sperabat, perficiendam obtulerat. Hic itaque, missus à rege in castra cum litteris ad Albanum, quibus ille iubebatur hominem ad colloquium cum Priore instituendum d̄mittere sub tempus quo Albanus Cascaisum cœpit, Lisybonam venerat, & prolixe cum Priore colloctus fuerat, multis verbis illum de potentia Regis edocens, & ad transigendum adhortans. Præbuit his sermonibus aures Antonius, & Iacobus Carcamus (hoc erat nobili isti nomen) tam felicitet hac in re laborauit, vt à Priore testimonium impetraret, & mādatum exponendi Regi Philippo illos, quibus internunciis v̄si essent, in causa fuisse, cur ipsi non esset gratificatus, vt cupiebat: se quantum per tempus liceret, illud re ipsa demonstrare paratum esse: & si Philippus mitteret legatum aliquē, ad tres regni ordines, se daturum operam, vt ipsi iuramentum fidelitatis præstarent, seq; publice illis ostensurum, laborasse se in defensione illorum suscipienda, quantum potuisset: verum quoniam ex Gallia, alijsq; provinciis auxilia nulla suppeditarentur, se diutius resistere regi non posse, & ideo suadere, vt cum ipso transigerent. Litteris autem ad Philippum exaratis subscripterat: Antonius rex: sed paulo post pœnitentia ductus, suasu Carcamī denuo illas descripsit, & subscriptis: Antonius. Carcamus, acceptis litteris & mandatis, videbatur sibi totius negotii summam & conclusionem in manu habere: sed cum ad Regem rediisset, remissus quidem fuit cum litteris, sed non in eam, quam putabat, sententiam, verum alio argumento ad Albanum scriptis, nimirum vt ad præsentem negotiorum statum cōfilia accommodaret: & rediit ad Albanum, cum ille castra ad arcem Sancti Iuliani haberet. Eluxit tum temporis magna pacis spes, sed mox euanuit. Etsi enim Albanus simularet, sibi hāc compositionem non improbari: tamen verisimile est, reuera eam illi displicuisse, q̄ fortasse existimaret, tantis iam progressibus factis, longe sibi gloriosius fore, armis vincere, quam pacisci. Itaq; Carcamum ad Priorem remisit, cum huiusmodi responso: Quod Prior constituisset submittere se R. M. id gratum sibi esse, verum non decere regis nomine mitti legatum ad ordines regni, eo q̄ non ab ipsis Antonius rex electus fuisse, sed à populo: & ad populum, si Antonio ita videatur, legatum missum iri: qui si deditioñem sponte faceret, illum eandem clementiam & humanitatem experturum. q̄ cetera oppida, deditioñe facta, experta essent. Hæc fuerunt data Carcamo in scriptis: sed suis verbis coram Antonio Albanus Carcamum exponere iussit: se fuisse addictissimum Ludoico, patri Prioris, seq; vt iam arma cōtra illum sumpsisset, sic eadem alias pro illo libentissime sumpturum contra quemuis, Rege domino suo excepto. Fouebat adhuc spem Carcamus negotii, quod in manibus habebat, perficiendi sed grauitas Hispanica hanc tanti momēti tractationem impediuit. Neq; enim Albano visum est Antonio deferre alium titulum, quam dominationis. Quare Antonius, qui ab excellētissimo titulo ad serenitatis gradum ascenderat, ignominia loco hoc habens ita excanduit, vt tum propter frigidum responsum, tum propter hanc causam Albanum à paciscendo alienum esse statueret, & responderet sine scripto, quandoquidem Albanus transactionem omnēm respueret, si sui sibi obediētiam exhibere, & eundem secum animum induere parati essent, in eo loco omnes aut victoriā reportatores, aut morituros esse. Hoc responso accepto, Albanus, siue quod pœniteret eū, quod eo modo scripsisset, siue quod vereretur, vt hæc agendi ratio regi probaretur, denuo Carcamum misit, qui Antonio indicaret, si vellet mittere aliquem siue mari siue terra, Albanum itidem paratum esse aliquem mittere: & hos duos medio inter duo castra loco de re tota posse transfigere. Verum Prior, qui Albano diffidebat, & ira & stuabat, nihil aliud respondit, quam Reges esse Reges, & Duces, Duces: victorias autem à Deo Opt. Max. concedi. Cum itaq; Albanus rem desperatam esse animaduferet, vt se purgaret, finxit Antonium sibi indicari curasse, cupere se cum illo de nocte in nauicula quadam colloqui: quod vt eo facilius vulgo credere: ut publice triremim, vt in ea pernoctaret, concendit: & postero die ex illa egressus indignationem quandam præ se ferebat, propterea quod Antonius ad colloquium non venisset: quæ fortasse omnia eo tendebant, vt sub hoc prætextu bellum, reiecta compositione, prosequi, & culpam omnem in Antonium conferre posset. Sed reuera nihil vñquam inter Antonium, & illum de villo colloquio actum fuit. Interim arx S. Iuliani tormentis crassioribus diuerberata, & initio controuersia inter architectos, & magistros tormentorum, de loco, in quo ea disponenda essent, nata fuerat. Quidam dicebant dirigenda esse tormenta contra partem arcis, munitam illam quidem, sed qua militi ascensus satis facilis futurus esse videbatur. Alii partem insūmiores concuti volebant, quantumuis illae ascensus esset paulo incommodior. Dicebant enim parte superiori murorum, deiecta, totum locum, in quo præsidarii acie instructa

instructa hostem expectabant, i^ctibus tormentorum obnoxium fore. Albanus itaq; vt has
 discrepantes sententias ad concordiam redigeret, ipse faciem loci cōtemplaturus accessit,
 & approbato Fratini, & Philippi Terzii consilio, murum infirmiorem, sed qua, ascēsus dif-
 ficilis erat, diuerberari iussit. Vnde factum est, vt, cum diuerberatio nondum integrum bi-
 dum durasset, nec adeo magna muri pars aperta fuisset, præsidarii animo fracti, quātum-
 uis satis spacii ad nouas munitiones instituendas, exercitum in vicinia, ac portum maris in
 potestate sua haberent, deditio[n]em facere constituerint. Præfectus arcis Tristanus Vazius
 Vega, cum aliquandiu dubitasset, dederetnō se, an vero pro viribus resisteret, tandem ad
 deditio[n]em magis, quam ad pugnam inelinauit: sed non inueniebat modum rem secreto
 tractandi, neq; cuiquam ex suis satis fidebat. Verum sors ipsi viam paulo post monstrauit,
 nam cum muliercula quedam, ex vicino oppido Oeiris oriunda, filiam & generum in arce
 haberet, fragore tormē orum perculsa flens ab Albano, supplexq; petiit, vt sibi potestatem
 faceret filiam & generum ex arce, quam tanta cum vehementia cōcutiebat, euocandi. Se-
 nix Albanus, qui huiusmodi occasione aucupabatur, hanc etiam nō neglexit, & dixit mu-
 lierculæ, posse eam sine omni metu eo se cōferre: iussitq; illa eunte, & redeunte, magistros
 tormentorum cessare. Fuit etiam mulierculæ iniunctum, vt indicaret præfectoro arcis, im-
 prudēter eum fecisse, q; Ducis postulata spreuisset: & moneret illū, ne sciens prudēs se iret
 perditum. Fecit muliercula, vt iussa erat, & ex arce vna cum genero & filia reuersa, Albano
 nomine Tristani Vazii indicauit, ipsum se defendere, quia nōdum ullum Ducis nuncium
 vidisset: imo si quēquam vidisset, se & auditum & humaniter complexurum hominem
 fuisse: & si Albanus sibi fidem daret, se ad eum in castra venturum. Remisit statim ad Tri-
 stanum Albanus mulierculam, quæ illi significaret, eum non tantum posse tuto in castra
 venire, sed etiam Albanum obsides ipsi daturum. Ceterum Tristanus fide ab Albano data
 contentus, in castra ad eum cum venisset, humaniter exceptus fuit. Excusauit se Tristanus
 de buccinatore non admisso. neq; enim vel secum, vel cum vlo ex præsidariis locutum:
 alioquin se ita, vt par erat, responsurum fuisse: ita vt parum abesset, quin buccinator in fur-
 cam ageretur. Hortabatur Albanus Tristatum multis verbis, vt arcem, quæ esset Regis
 Domini sui, sibi dederet, simulque periculum, in quo erat, ipsi ob oculos ponebat. Vnde,
 aliquandiu in utramque partem disputata, dixit Tristanus, si Albanus sibi promitteret
 nomine Regis Philippi ea beneficia, quæ Antonius iam ante sibi obtulisset, se ad deditio-
 nem paratum esse. Quod cum Albanus prolixè pollicitus esset, re tota transacta, Tristanus
 in arcem rediens, secum aliquot Centuriones, & milites Hispanos duxit, iisque arcem tra-
 didit, cuius præsidarii animo erant tam abiecto, vt sibi è grauissimo quodam carcere
 emitti viderentur. Et licet alii Tristatum ob hanc rem perfidiæ, alii tanquam hominem
 animi effeminati accusarent: tamen verum erat, quod ille dicebat, ab istis militibus inex-
 pertis arcem defendi non potuisse, & à gubernatoribus Philippum regem declaratum
 fuisse. Ali quanto ante deditio[n]em arcis Sancti Iuliani, Albanus à Petro Barba, præfectoro
 Capitis sicci, propugnaculum illud sibi dei postulauerat: quod cum ille initio recusasset,
 simulac postea intellexit arcem S. Iuliani deditio[n]em facere, & triremes ab Albano in flu-
 men accersiri, hostem expectare noluit, sed cum consensi Prioris propugnaculo deserto,
 & aliquot tormentis asportatis, Alcantaram ad exercitum configit. Hæ iacturæ augebant
 metum in Lisybonensibus, & præcipue in primariis, qui, ne præda militibus essent, veriti,
 indies magis magisque in partes Philippi inclinabant, præterquam quod etiam res Prioris
 in angustum redactas cernerent. Voluntaria vero deditio se amplissima priuilegia à R.
 M. impetraturos sperabant: & iā Albanum, de hoc negocio acturi, adiisse[n]t, nisi Priorem,
 qui in vicinia cum exercitu erat, meruissent. Inter a nuncius allatus fuit de quatuor nau-
 bus, quæ ex India in insulas Terceras appulissent. Erant onustæ mercibus preciosissimis,
 ad Lisybonenses spectantibus: & hanc ob causam, si à triremibus Albani captæ fuissent,
 magnum damnum & publice & priuatim acceptum fuisset. Itaque Lisybonenses denuo
 Antonium monuerunt de periculo, & veluti obsidione, qua cinctus erat, propter ostium
 Tagi ab Albano occupatum: & quam non conueniret, habito respectu ad exercitum nu-
 merosum Albani, & exiguae copias ipsius etiam occasione se offerente, prælia fortunam
 in tanta rerum omnium inæqualitate tentare. Suadebant subobscure, vt transigeret: quod
 ipsis hæc via ad bellum conficiendum expeditior, & naues postea tuto in portum appelle-
 re posse viderentur: præterquam etiam quod existimarent, si Albanus adeo vicinus victo-
 ria potiretur, difficulter urbem à militum rapinis liberari posse. Verum cum Antonius &
 propter exiguum rerum usum, iudicio parum valeret, & propter verba Albani iratus esset,
 ac malis consultoribus vteretur, non mouerunt illum hæ rationes, vt certi quid constitue-
 ret: imo postero die misit ad Camerales Comitē Vimiosum, Episcopum Guardensem, &

Emanuelem Portugallum, qui ciues Lisybonenses rogarent, ut se ad defensionem pararet, & maiorem militum numerum in castra mitterent. Conabantur hi illis addere animum, iam fingendo auxilia Gallica aduentare, iam vires Prioris ultra modum exaggerando, & hostium extenuando. Verum ut verba magistratus non mouebant Priorem: sic vicissim verba Prioris nullum in animo magistratus aculeum relinquebant. Itaque omnia suspensa hærebant, & vtraque pars suum consilium prosequebatur. Evidem verisimile est tum Antonium, tum nonnullos ex magistratu facile sub certis conditionibus cum Albano transigere potuisse: verum Antonius cogebatur obsecundare familiae Portugallorum, & in primis Episcopo: ciues vero quibusdam, qui nuper ad officia promoti fuerant, idque ad vitam, cum tamen antea tantum ad certum tempus illa conferri solerent: qui cum sibi maiorem quam par erat, auctoritatem arrogaret, nihil, nisi quod ipsis placeret, geri patiebantur. Veruntamen, cum nihilominus Antonius vereretur, ne Lisybonenses a se deficerent, & exitio suo causam preberent, cōfidens paucis, nullum aliud remedium excogitare potuit, quam ut & ad portas urbis, & ad naues disponeret multos monachos diuersorum ordinum, qui una cum militibus excubias agerent, & claves custodirent. Habebat autem monachis plus fidei, idque non iniuria, quam ducibus militum. nam in conuentibus, & consiliis regni ordinum, qui interdum congregati fuerant, in monachis maius odium in Hispanos, majorque pugnandi ardor, quam in secularibus se exerebat. Permanebat interea Albanus in iisdem ad Oeiras castris, quæ & opere, & natura munitissima erant. nam praeter tormentorum copiam, & vallum, situs loci erat asper, & salebrosus, equitatui iniquus, cui Lusitani potissimum confidebant: neque videbatur tam cito castra moturus esse. Cum enim putaret, quod & res erat, se in eo loco quodammodo totum regnum (& præcipue beneficio triremum) obsidere, sperabat tum Priorem, tum Lisybonenses breui ditionem facturos. Præterea progrederetur illi homini cauto, ac lento, & copias Lusitanicas in vicinia esse scienti, et non esse videbatur. Vt ebatur singulari arte in periclitandis omnibus iis, quæ sibi victoriæ incruentam parere posse iudicabat: & fere pollicitationib. ac largitionib. præfectos nauium Lusitanicarum, & turris Belemensis ita corruperat, ut parum abesset, quin ipsi naues, & turrim in manus traderent: id quod factum fuisset, nisi Antonius ipse eo profectus, omnibus fere veteribus præfectis ab officio remotis, & nouis in eorum locum substitutis, prodictionem anteuerisset. Veruntamen concepit suspicionem de omnibus: omnes ira & metu percussos, & fluxus fidei esse videbat, ut nesciret, cui fideret, nisi aut monachis, aut nautis ex infima hominum conditione. Et, ut illi, qui metuunt, se semper prodi putant, euenit, ut, cum ignis aceruum straminis, prope muros arcis Lisybonensis, in qua erat supplex regia, congestum corripiisset, statim vereretur, ne ignis ille hostibus signi loco esset, existimans eum excitatum a mercatoribus exteris, quos extra urbem contra hostem proficiisci detestantes ille custodiae arcis præfecerat. Adeo autem modum hic timor excessit, ut re non satis explorata, nec considerans mercatores illos maxima ex parte esse Belgas, omnium acerbissimos Hispanæ Regis hostes, sed & proprio & Emanuelis Soarezii, vnius ex nouis syndicis Cameræ, metu impulsus mercatores ex illo loco abire, & nondum satis hoc esse suspicans, omnes in vniuersum exteris urbe excedere iusserit, imo paulo post etiam edixerit, ut bonis exuerentur: sed hoc posterius executioni mandatum non fuit. Substituerunt ita hi duo exercitus, alter in regione alterius per ostendum, ita ut se non mouerent, & tantum leuia quædam prælia committerent. Ostenduo elapsi, Albanus Sancum Aulam cum equitibus centum quinquaginta, & paucis peditibus misit ad contemplandum regionis situm, & ad incundam rationem turris Belemensis oppugnandæ. Habuit ille obuios trecentos equites, & quingentos pedites Lusitanos, qui sine omni disciplina militari in illum irruere coeperunt. Verum cum Hispani exiissent tantum exploratum, nec a Lusitanis nimis acriter vrgerentur, post breve & tumultuarium prælium, nonnullis interfectis, in castra redierunt. Postero die plures ex castris egressi sunt, & ab una parte leui prælio commisso, ab altera tribus tormentis maioribus dispositis, (quæ noctu prope turrim Belemensem adduxerant) paucis istibus primum naues Lusitanicas Lisybonam abegerunt, & deinde præfidiarios turris ad ditionem compulerunt. Et ita classis Regis Philippi, liberum in portum Belemensem aditum nacta, statim in eum ingressa est.



Liber Septimus.

ARGUMENTVM.

In hoc libro continetur fuga Lusitanoru[m] prope Alcantaram: occupatio urbis Lisybonae: depradatio
suburbiorum: laudes, & reprehensiones Albani: morbus regis Catholici: profectio Sancii Aule in re-
gionem inter Dorium, & Minium sitam Antonii persequendi causa: occupatio urbis Aueri, & Portus:
fuga Antonii: occupatio Vianae: mors reginae Annae: iter Regis Eluas versus: propositum incolarum insu-
larum Tercerarum: conditiones à Papa oblate, ut bellum in Angliam transferretur.



I H I L inter duos istos exercitus, quod mutuas incursiones
impedire posset, interiectum erat, præter rupes torrentis Al-
cantarae: cumque Albanus Antonium, loci æquitate fretum,
in apertos campos non facile progressurum esse intelligeret,
existimans illum in castris adeo munitis inuadere è re non es-
se, cœpit cogitare de via & ratione, vel copias Antonii omni-
no dissipandi, vel saltem eum ex illo, in quo hærebat, loco di-
mouendi, Cupiebat enim hoc veluti freno liberare Lisybo-
nenses, quos propter huius exercitus vicinitatem ditionem
facere non audere intelligebat. Quoniam autem ipse, neque
exercitum Antonii, neq[ue] castra, nisi eminus, viderat, aliorum
relationi non omnino fidēdum ratus, voluit, antequam certi
aliquid statueret, suis oculis situm loci, & formam castrorum lustrare. Itaq[ue] die Bartholo-
mæi cum copiis acie instructa è castris contéplandi & speculandi tātum causa egressus est.
Dextra ripa Tagi, in qua hi duo exercitus confederant, est montosa, sed non aspera, & qua-
si in angulos rectos secatur à torrente Alcantara, nomen habente à paruo quodam pago,
qui situs est in angulo dextro eo loco, vbi Alcantara in Tagum se exonerat, & ibi torrens
ponte lapideo stratus est. Ripæ illius ambæ ab ostio miliare vsq[ue], & amplius præruptæ sunt,
30 & valde impeditæ: sed ulterius si progrediari, sunt humiliores: &, quamvis non omnino
planæ, ad castra tamen metāda satis commodæ. In sinistra ripa confederat exercitus Por-
tugallæ, fere in ipso triangulo, vbi rupes altissima est, & eam partem, quæ hostes respicie-
bat, vallo tumultuarii operis, & magno tormentorum maiorum numero munierat. Pro-
gressus itaq[ue] in dextram ripam Albanus, è regione & in conspectu Lusitanorum cum exer-
citu satis diu substitit, contemplans accurate loci situm, naturâ potius, quàm manu muni-
tum. Animaduertit autem Lusitanos, cū ipsum appropinquare vidissent, intra castra acie
instructa expectare, nec ullum signum eruptionis dare: tantum tormentorum iactibus ho-
stem petere. Itaque constituto eo, quod faciendum putabat, post leue prælium in castra
regrediens, ibi pernoctauit: & in sequentem diem hæc mandata dedit. Præterita media
40 noctis parte, iussit magno cum strepitu ad arma conclamari, & classicum cani, vt hostes è
sonno excitati, & attoniti aciem, vt hesterno die fecerant, instruerent. Iniunxit Francisco
de Alaua, præfecto tormentorum, vt ante lucem curaret vehi in colliculos qui castris An-
tonii imminebant, tormenta aliquot crassiora, cum omnibus rebus necessariis, vt inde acies
Lusitanorum, & locus, in quem ad pugnam ituri confluenter, & ex quo pons etiam defen-
dendus esset, impeti & defensoribus nudari posset. Iussit nauibus imponi mille sclopeta-
rios, quorum quingenti erant Itali, & quingenti Hispani, & mandauit Marchioni Sanctæ
Crucis, vt classe sua inuaderet classem hostilem, dato certo signo. Conuocatis omnibus
primariis duoribus, ostendit quantâ spes Antonium è castris vi eliciendi affulgeret: &
petuit, vt in illis, quæ mandasset, aut adhuc mandaturus esset, diligenter exequendis dicto
50 audientes se præberent. Rem esse facilem, si ordo à se præscriptus obseruaretur, & si illi so-
lita virtute niterentur: difficilem esse, si ordinis, & obedientiæ nulla ratio haberetur. Ex
numero earum rerum, quas R. M. sibi quàm diligentissime commendasset, esse salutem, &
incolumitatem urbis Lisybonæ: & hanc urbem tantæ Regiae Maiestati, curæ esse, vt mallet
ipse non vincere, quam vincendo eam militum prædæ exponere. Se itaq[ue] maiorem in mo-
dum ab illis flagitare, vt sibi promitterent fore, vt, si fortuna fauente, hostem profligarent,
non tantum urbem ipsi non deprædarentur, verum etiam omnibus, tale quid conantibus,
pro viribus obsisterent. Adfirmavit apud R. M. maiorem gratiam inituros, qui urbem de-
fendissent, quàm qui victoriz occasionem virtute sua præbuissent. Postremo cum empha-
si subiecit, si forte sortem adeo aduersam experiretur, vt precibus ipsius nullus locus relin-
quenda esset.

queretur; seorare Deum, ut primus sclopeti globus, quem hostes essent ei aculaturi, sibi vix finem adferret. Longe enim se hoc malle, quam facinoris, R. M. tum utilitati, tum voto adeo repugnantis, spectatorem esse. Cum haec dicta, & quae supra commemorauit, ita, ut Dux iussit, facta fuissent, paulo ante lucem, praesidio diuersarum nationum in castris reliquo, Albanus contra Lusi annos perrexit, agminibus ita, ut mox dicemus, dispositis: quantumuis nonnulli ex primariis ductoribus censerent, Antonii exercitum primum nocturnis impressionibus furtim, & stratagematibus tentandum, eo quod per exploratores intellectum erat, & fere omnes ita sentiebant, parua manu eum in fugam coniici posse. Distribuit Albanus exercitum in tria agmina: duo constabant ex peditibus, tertium ex equitibus: & in itinere faciendo unum agmen non sequebatur alterum: sed unum ad latus alterius, quoad eius fieri per regionem montosam poterat, progrediebatur. In medio agmine erat Albanus cum maiori parte peditatus Hispanici (cui aliquot Germani hastati adiuncti erant) diuisi in quatuor acies, nec æquata fronte euntes, nec ita, ut altera alteram sequeretur, sed sparsas, prout situs exigebat: & erant ad 6. millia. ad dextram posuit omnes Italos, & reliquos Germanos, & paucos Hispanos, distributes in tres acies, pari passu progradientes: his (quorum etiam erant sex millia) imperabat Prosper Columna. Ad sinistram locauit tertium agmen, & constabat ex equitatu, cui præerat Ferdinandus Albani filius. Primi erant equites sclopetarii, secundi equites more Africano armati, tertii equites leuis armaturæ, ultimi cataphracti, inter quos erat ipse Ferdinandus. In flumine Tago, (quem eo in loco tria millaria latum ad dextram habebant) erat Marchio Sanctæ Crucis cum classe sexaginta duarum triremium, & viginti quinque nauium maiorum: quæ cum non longius, quam quo maioris sclopeti globus pertingere potest, abessent, exercitui veluti alæ loco erant, ad imitationem equitatus, qui alterius lateris alam efficiebat. Antonius interim, quod hostes, quos pridie videt, nihil memorabile conatos esse meminisset, non moueri se passus est classico, & strepitu armorum, quem tota nocte exaudierat, quin crederet rem eadem, quam pridie, exitum habituram, & post leviusculas velitationes hostes, si ipse intra castra se continuisset, denuo se recepturos. Nichilominus tamen voluit aciem, ut die precedenti, instruere: sed non potuit: propterea quod milites ipsius incommodis castrisibus non assueti, & diurno labore, nocturnoq; strepitu defatigati, dicti audientes non essent. Multi etiam abierunt, qui cum in urbe pernoctare, & mane in castra reuerti consueissent, nondum tum redierant; qui dam etiam metu perculsi omnino aufugerant. Iniunxit itaque Antonius Episcopo Guardensi qui Lisbonæ regis quodammodo vices sustinebat, ut sine mora omnes incolas in castra extruderet. Episcopus tympanorum strepitu, sono campanarum, quæ tota nocte malleorum istibus fatigabantur, & lictoribus armatis, electis auellebat ciues, & opifices, qui vi urbe egredi cogebantur cum armis: & ipse eadem nocte cum exiguo illo, quem collegerat, numero in castra ad Antonium profectus est. Verum haec rigida diligentia omni fructu carebat. Illi enim qui vi extrudebantur, animo fracti, alio furtim profugiebant: ita ut exercitus Lusanorum nec numero, nec disciplina cresceret. Interea Albanus in dextera ripa è regione Prioris comparuit supra colles, ubi tormenta collo cari iusserat: cumque Lusitanos in castris hinc illinc dispersos esse cerneret, animaduertit se se felliisse spem illam, quam conceperat fore, ut ad arma tanto cum strepitu conclamando hostes ad aciem instruendam inuitarentur. Videbat itaq; se non posse facere quod constituerat, nimis aciem ab Antonio instructam ex eo loco tormentorum istibus ferire, & ordinibus vacillantibus, undiq; in hostem impetum facere, quem hac ratione facile fundi, fugariq; posse existimabat. Veruntamen mutato, pro re nata, consilio, cum sibi, manibus omnino non consertis, discedendum non putaret, quantum poterat, tormentis hosti incommodare conabatur; Priore etiam in idem incumbente. Iniunxit Albanus Prospero Columnæ, ut cum copiis suis, quæ erant in agmine dextro, adortus pontem, in ripam oppositam, quam longissime posset, progresseretur. Sancio Auila cum bis mille sclopetariis negotiū dedit, ut aliquanto superius, ubi ripæ torrentis minus impeditæ, & præruptæ sunt, quantum posset, in æquum locum hostem ad pugnam pelliceret, & à latere in illum usq; sub ipsum vallum impetum faceret. Ferdinandus filio iniunxit, ut per longiores paulo ambages profectus eò, ubi ripæ torrentis humiles sunt, & in altera ripam transiens in hostem iret. & vt, si ille (q; metuebatur) intra castra se contineret, ex omnib. partib. eodem momento eum inuaderet. Ipse Albanus cū reliquo peditatu in loco edito, & vnde vterq; exercitus cerni poterat, substitut, inde, si opus esset, laborantibus subsidio venturus. Ibi relictis nonnihil à tergo aciebus, in sella quadam confidens, spectabat successum pugnæ, & dabat signa, quæ se daturū edixerat. Prosper Columna prius ad pontē peruenit, quam Auila, & equitatus, torrente traepto, in opposita ripa hosti appropinquarent: siue quod illis magno circuitu iter faciendum fuisset, siue quod Itali, (vt

Alba-

Albanus dicebat,) reliquis gloriam præcepturi, nimium properassent. Non inuenit pōtem defensoribus nudatum: quia in eo loco Lusitani milites illos, qui aliquam virtutis opinionem habebant, locauerant: immo initio fortiter ibi, & diu pugnatum fuit. Etsi enim strenuos se gerebant Itali: tamen aliquandiu parum effecerunt. Cum enim locus angustus esset, & defenderetur à multis sclopetariis, qui è molendino vicino, ad quod propter aquam aditus nullus patebat, pugnabant: Italii iniquitas non mediocriter obstabat: ita vt, ponte iam fere in potestatem redacto, cum cæde nonnullorum, repellerentur. Verum Prosper aliquot milites aggerem angustum, qui aquæ continēdæ causa extractus erat (& per quem, quamuis ægre, ad molendinum perueniri poterat) conscedere iussit: qui cum paucis amissis, eo penetrassent, Lusitanos, qui erant in molendino, ad vnum omnes interfecerunt: atque ita defensoribus pontis hoc subsidio, quod à latere habebant, adempto, & Italii ex eodem molendino sclopeta in illos exonerantibus, Columna qui eodem momento totis viribus irruerat, ponte occupato, in oppositâ ripam evasit. Quam ad rem magno adiumento fuit Ludouicus Douara: qui cum Italos pede referre videret, pene Albano inuito, aliquot Germanos hastatos, à tribuno legionis impetratos, ipsis subsidio miserat. Eo in loco aliquandiu magnus hostium impetus sustinēdus fuit. Cum enim Lusitani ignoraret se etiam ex alia parte oppugnari, vniuersæ copiæ vna cum Antonio ad pontem contenderant: vbi à Prospero singulari cum virtute repulsi, & in fugam coniecliti fuere. Expectabat Albanus, quid effecturus esset Sancius Auila: nec dubitabat, si ille mandatorum memor esset, fore, ut vniuersus exercitus hostium profligaretur: sed verebatur ne homo iracudus, vbi vidisset Italos pugnæ initium facere, præ impatientia minori circuitu in hostem ferretur, quam ut eum à latere inuadere posset: metuebat scilicet ne à fronte cum Antonio cogredieretur, id quod periculosum ipsis videbatur. Ceterum cū Auilam ex præscripto suo agere videret, statim victoriā pro certa habere cœpit. Postq; itaq; Auila cum sclopetariis, & Ferdinandus cum equitatu hosti appropinquassent, fere neminem, qui resisteret, inuenerunt. Etsi enim Antonius, qui vix ad pontem peruererat, statim conuersis signis Auilæ, & Ferdinando obuiam iuisset: tamen Lusitani, vbi pontem captū intellexissent, metu correpti, effusi omnes urbem versus fugere cœperunt. Ibi Albanus signum dedit triremibus, quæ velis non vntentes, sed solis remis cum reliqua classe urbem versus nauigarunt, tormenta interim exonerantes in naues Lusitanicas, quæ aliquantum retrocedentes (quamvis fuga quaquauersus interclusa) vela quidem expanderūt: sed paulo post sine omni fere certamine in hostis potestatem concesserunt. Antonius, qui tanquam inexpertus, nunquam putasset fore, vt ab Albano in ipsis castris inuaderetur, cum eodem momēto à tormentis copias suas offendi, pōtem, quem inexpugnabile credebat, occupari, milites suos fugere, & equitatum hostis ad fugam sibi intercludendam properare videret, valde consternatus fuit. Nihilominus tamen cum Comite Vimiosio, Emanuele Portugallo, Iacobo Boteglio seniore, & Eduardo de Castro magna cum confusione, & nemine hosti resistente, inter promiscuam turbam & ipse ad ciuitatem contendit, & in ingressu suburbiorum vulnus in capite accepit, ab equite quodam: & si vel ipse exiguam moram interposuisse, vel si equitatus aliquanto magis gradu intendisset, captus fuisset à voluntariis quibusdam Italii, qui reliquum equitatū præcesserant. In hac festinatione transit per urbem cum reliquis exercitus in fugam acti: cuius pars (quanquam minor) cum ipso vnam portam ingressa, per alteram exiit: reliqui (& quidem maior pars) abiectis armis in ædes suas ad liberos, & vxores reuersi, se abscondebant. Illi vero, qui ex aliis Regni prouinciis oriundi erant, ad templa, metu trementes, confugiebant. Antonius in trāitu iussit aperiri carceres publicos: & ita inter reliquos captiuos, quorum erat numerus maximus, liberati etiam fuerunt ii, qui, quod Philippi partibus studebant, coniecti in vincula fuerant. Copiæ Albani, postquam creberrimis sclopetorū ictibus, & hastis multos ex misericordia istis fugientibus (qui quaterni interdum, interdum seni frustra resistere conabantur) interfecissent, tandem ad urbem peruererunt, præcedente reliquo omnes Ferdinandu Toletano, cuius auctoritate fere totus exercitus gubernabatur. Hic cum victoriā penes se esse videret, veritus ne milites ardore pugnæ incitati plus danni, q; ille vellet, inferrent: dedita opera illos detinuit, iubedo acclamari militibus illa verba, quibus vt sibi ab insidiis caueat, admonentur: & fingendo etiam fieri posse, vt numerus aliquis hostium adhuc integer superesset. Porro cum portis ad propinquasset, magistratus Cameralis, qui in hunc finem eo se contulerat, è mœnibus cum ipso collocutus est: & inter se brevibus egerunt, parum discrepantes. Cum enim Lusitani militem Hispanum certi cibus suis imminere, miserum suum regem saucium fugere, exercitum dissipatum esse considerantes, sibi ad extrema redacti viderentur: & Ferdinandus, quanquam victor: tamen de regis animo edoctus, urbem à militum rapina liberare summopere expeteret, facile ipsis

conuenit. Petebat Ferdinandus ditionem vrbis: Lusitani cupiebant scire, quibus conditionibus. Respondentibus autem nonnullis, conditiones arbitrio Albani permittendas, & Cameralibus se iisdem cōditionibus, quibus reliquæ vrbes se dedissent, ditionem facturos dicentibus, fuit tandem ipsis promissum fore, ut vita, & bona eorum in tuto essent: idq; fortasse, ne, mora longiori interposita, milites aliquid in perniciē vrbis tentarent. Atq; ita, cum nonnulli ex Cameralibus ē mœnibus descendissent, ab Hispanis in clunes equorum recepti & ad Albanum perducti fuerunt: qui ipsis honorifice exceptis, prolixe ea, quæ postulabant, concessit. Ibi milites inuito Albano signis relictis, promiscue in suburbia, quæ ipsa vrbe maiora, nobiliora, & pulchriora sunt, & magnitudine multas ciuitates mediocres superant, prædabundi irruperunt. Quamuis itaq; interior vrbis Lisybonæ pars salua, & illæsa permanserit: tamen suburbia cum agro subiecto spoliata fuerunt, & nonnullæ etiā domus urbanæ, tanq; ad dominos perduellionis reos spectantes, cesserunt præda militū, quibus obsisti non potuit, quia putabant sufficere, q; ab ipsa vrbe abstinerent. Et ita in præda asportanda triduum cōsumptum fuit. Multi ciues iacturam fecerunt rerum carissimatum, quas propter pestē, quæ in vrbe grassabatur, in villas & prædia vicina delatas, milites inuolarunt. Non vtebantur illi quidē magnis extorsionibus, sed tamen valde opima spolia obtinuerunt. Milites & nautæ, qui erant in triremibus, ingentia damna ciuibus intulerūt. Præterquam enim q; quidquid in Tagi ripa situm erat, & naues, quæ erāt in portu, multis mercibus onustas, deprædati sunt, etiam exercitu terrestri operam nauabant in abscondendis, & extra regnum auchendi spoliis, quantumuis ponderosis, & asportatu difficilibus: ita vt 20 milites onere se leuaturi, necesse non haberent ciuibus prædam vili precio vendere, vt plerunq; alias fieri consuevit. Telenia nimirum tam illud, vbi generatim pro omnibus rebus portoria soluuntur, quam telonium mercium Indicarum, (quod semper preciosissimis rebus repletum est) quantumuis extra muros sita sint, sarta tecta manserunt. nam propter diuitias, quas in iis esse constabat, Alfonsus Leua præfectus triremium Sicularum, misit certum numerum militum, qui illa custodirent, & defenderent. Virgines Vestales, quarū monasteria fere omnia extra vrbem sunt, illæsa parmanserunt, vt & ea, quæ apud illas à ciuib. deposita fuerant: Quæ vero Monachorum custodiæ commissa erant, magna ex parte militibus cesserunt, maxime vero in monasterio S. Rocchi, vbi habitat Iesuitæ. Cum enim eo ingressi essent primum aliquot milites Itali electi fuerāt ab Hispanis, qui cum à ducibus eo missi essent sub prætextu custodiendi monasterii. postea, amici cum essent, plus damni intulerunt, quam fortasse priores, tanquam hostes, intulissent. Cum enim Itali discessissent, Hispani rimantes secretissima quæque, omnia, quæ inueniebant, de nocte in tritemes & hospitiis sua asporbant, ita vt nihil ibi intactum maneret. Diuersitas nationum, quæ prædabantur, in causa erat, cur maior ratio haberetur & pudoris mulierum, & rerum sacrarum, quam alias factum fuisset. Hispani enim, alibi incontinentissimi, hīc se continentes gesserunt, ne forte suo exemplo Italos, & Germanos, in Hispania versantes ad peiora incitarent. Spolia maxima erant, & consistebant in supellestile, vtensilibus, aliisq; rebus pretiosis, quas illa vrbis in tam diuturna pace & quiete, commerciorum Indicorum beneficio, congesserat. Numerus cæsorum in prælio non fuit magnus, propterea quod Lusitani tam male se 40 defenderant. Veruntamen ex illis ad mille occupuerunt, & ex Albani militibus pauciores, quam centum: adeo hebetia sunt arma populi, quæ diurno otio rubiginem contraxerūt. Albanus, vrbe in ditionem accepta, (ad quam ipse etiam accesserat, vt, si opus esset, contra vim militum eam protegeret) cum aliquādiu in ædibus quibusdam suburbanis cōmoratus esset, regressus, vnde venerat, castra posuit in eodē loco, vbi illa Antonius habuerat: & Antonius, cum vulnus Sacabemi (q; oppidum Lisybona sex milliaribus distat) obligandum curasset, lente progressus est Sanctarenam cum exiguo comitatu: dubitante interim Albano, virum in vrbem latitaret, necne: q; Lusitani, vt ille tempus euadendi haberet, falsa de ipso referrent. Hæc victoria fuit maximi momenti. & maioris fuisset, si etiam ipse Prior in manus Albani venisset. Propterea enim q; ille euaserat, regni incolæ, qui alias ad quietem inclinassent, suspensi, & dubii hærebant, & existimabant Priorem, redintegrato exercitu, denuo aliquid tentaturum. Incurrebat in multorum reprehensionem Albanus, qui non adhibuisset maiorē hac in re diligentiam. Fuisse enim latā culpam, ceteris rebus tanta cum circumspectione d. spositis, negligere hanc, quæ esset tanti momenti. Quidam incurię eius hoc imputabant quidam etiam malitiae, praesertim quia Antonius tantum temporis intet Sacabemum, & Sanctarenam consumperat, vt illū assequi facile fuisse videretur. Hic fuit successus pugnæ ad Alcantarā. Interim naues, quæ ex India venerat relictis insulis Terceris cursum Portugallia versus dirigebant, rerū omniū, quæ successerat, ignare. Et quia, vt diximus, iā ante auditū erat, illas in insulas ad pulisse, lōge audiſſime, idq; in horas, expectabātur & quia

& quia merces, quibus onus erant, tribus millionibus auri estimabatur, multi vehementer animo angebantur, veri ne quid aduersi ipsi eueniret. Constabat enim & Dux Al-
banum naues armatas, quæ ipsas inuestigarent: & Priorem celoces misisse, quæ illas iube-
rent Penichiam nauigare, quod oppidum viginti milliaribus septentrionem versus Lisybo-
na distat. Itaq; alterutrum horum necessario cumentur videbatur, vt vel à nauibus regiis
caperentur, vel Antonii iussis obtemperarent. Et si vtrumvis horū factum esset, illas peri-
se iudicabant. nam si in manus Hispanorum inciderent, illas prædæ militū cessuras: sin Pe-
nichiam deuenirent, Priorem, illis oceupatis, bona priuatorum in usus belli conuersurum
putabant. Quidam etiam, qui ignorabant, quid Antonius indicari nauibus iussisset, suspi-
10 cabantur illas cursum in Galliam, aut Angliam directuras, & Antonium, quem vires suas
successu huius prælii metiri verisimile erat, eas subsecuturum. Verum fortuna, quæ semel
aspirare cœperat, ita constantem se hac in parte gessit, vt post biduum à prælio feliciter ad-
pellerent, cū tamen plane ignorarent, quis status rerū esset, & in neutros ex iis, qui obuiam
missi fuerant, incidissent. Sors itaq; adeo benigna regi Philippo fuit, vt saluæ, & incolumes
in portū Lisybonensem adpellerent: & ita ille consecutus est eam mercium partē, quæ ad
Coronam spectabat: & quanū ad reliquas, suas cuiq; tribui iussit. Interim omnium animi
Badagiozii suspensi erant, expectabantq; armisne, an vero transactione hæc controuersia
decideretur: & eo magis hac de re dubitabant, q; vtrinq; multæ magnæq; difficultates sese
offerrēt, quodq; Albanus non diu rem differre posse, sed necessario alterutram ex his dua-
bus viis adeo inter se pugnantib. electurus videretur. Verum 26. die Auguſti tempore ma-
tutino venit mercator Hispanus, qui nullas quidem ab Albano litteras habebat, sed tamen
prælii successum, & rerum statū indicauit. Hic mercator qui comitabatur exercitu Hispani-
cum, cum videret copias Prioris esse dissipatas, eodē momento flumen traeicit, & equos
celeres concendit ante illum, quem Albanus cū litteris mittebat: cumq; ad regē intromis-
sus esset, quæ viderat, exposuit: vnde ille ea lætitia perfusus est, quā quisq; facile animo suo
concipere potest. Nunciush c statim in tota aula percrebuit, cū incredibili omnium gau-
dio, & singulari laude Albani. ex eo, inquam, genere laudum, quas vis veritatis etiam ipsi
hostibus extorquere solet. Verum cum confirmatio huius nuncii tardior esset, q; pro loci
vicinitate, & rei magnitudine, veritas illius in dubium reuocari cœpit, tanta quidem cum
30 animorum perturbatione, vt hinc facile adpareret, non minus esse publicum desiderium,
q; lætitia, paulo ante percepta, fuisset. Verum gaudium redintegratum fuit aduentu Ferdinandi Toletani, nepotis Albani, quem ille miserat cum litteris, in quibus non tantum suc-
cessus pugnæ diligenter exponebatur, sed etiam rationes, quæ ipsum ad prælium committendū impulissent, vna cū mandatis, quæ inferioribus ducibus prescripserat: quæ omnia
passim magno cum applausu & Albani gloria, approbata fuērunt. Vulgo enim dicebatur
eum iam tandem ex hō minum animis exemisse opinionē, quæ de ipso olim concepta fuisset,
quasi omnia nimis caute, nimisq; lente administraret, & in expeditionib. à se susceptis,
castrorum opportunitate, & strategematis solis hostē sine periculo superare studeret, vitā
interim totis viribus prælium, nisi loci æquitas illud suaderet, ad imitationē Fabii Maximi
40 ex veteribus, & ex recētoribus Prospere Columnæ, cuius vestigiis se insistere gloriaretur,
Superior autē laus profuebat ex duabus rebus, quarum altera erat, quod Setubalo soluens,
ad Cacaisium flumen transiisset: altera, quod prope Alcantaram prælium commisisset. In
illa enim ipse solus ceteris ductoribus, in consilium adhibitis, contradixerat: & cum mari,
& cum hoste certauerat: in hac non dubitauerat etiam cum periculo inuadere Lusitanos
in ipsis castris, & cum urbem tam populosam à tergo haberent, idque dissidentibus non-
nullis ex primariis ductoribus. Commendabant vehementer, q; urbem Lisybonam à mi-
litum tapacitate liberasset, fungens simul officio viatoris, & protectoris: & maiorem illum
sibi hīc gloriam comparasse affirmabant, quam cum anno 1557. castra ex urbis Romæ vi-
cinia moueret: propterea quod ibi non (vt prope Lisybonam) ad ipsas urbis portas dimica-
uisset. Sed hos, & similes sermones dissipauit subitus, & tristis quidam casus, qui omnium
animos ita perculit, vt neminem de villa alia revelli loqui, vel cogitare permetteret. nam in-
ter medios de successibus adeo prosperis nuncios Rex incidit in morbum periculosissi-
mum, qui intra paucos dies ita inualuit, vt exigua spes vitæ superesset, & ab ipsis medicis fe-
re pro deplorato haberetur. Hæc res vī a in ore erat omnibus. Nam moriente rege moritu-
rus esse videbatur totius orbis Christiani defensor. Et si mors illius unquam alias mutatio-
nibus occasionem præbitura videretur, tum certe longe omnium maximas paritura exi-
stimabatur. Non solum enim Belgicum pacatum non erat, sed etiam Gallia ad res nouas
inclinare: Lusitania vero vacillare videbatur, ita vt facili momento in contrariam partem
impelli posset: & præterea reliquarum Hispaniæ prouinciarum status nec ipse satis firmus,
& stabilis multis esse videbatur. Varia erant iudicia, quid statuendum esset: sed omnia per-

turbatione, & metu plena. Albanus, cui meliores fere omnes ad stipulabantur, suadebat, vt, si Rex forte moreretur, Regina statim vna cum filio primogenito in Lusitaniam ingressa, recta Lisybonam contenderet. Putabat enim hac ratione beneficio exercitus, quem habebat, non tantum Lusitaniam ipsam in officio & quiete cotineri posse, verum etiam hac pacata, reliquas Hispaniaz prouincias non facile quidquam noui tentaturas. Interea ille operam dedit, stabiliendis rebus, & loco mouit Camerales, qui à Priore ad hoc officium promoti fuerant, restitutis pristinæ dignitatibus illis, qui prius eam obtinuerant: quibus ad se vocatis ostendit adesse tēpus, quo eos nomine ciuitatis Regiæ Maiestati fidelitatis iuramentum præstare oporteret, nomē illius per plateas publice solitis cum ceremoniis proclamando. Cum respondessent se esse paratos, petiissentq; sibi copiam, dies festos & pompas in publicæ lætitiaz signum instituendi, fieri, & simul priuilegia sua confirmari, subiecit Albanus, non esse iam opus solemnis istiusmodi pompis: sed illas reseruandas in aduentum filii primogeniti Regiæ Maiestatis, quem illa breui Lisybonam mittere constituisset, eum in finem, vt inter Lusitanos educaretur. Quod vero ad priuilegia attineret, illa esse pauca & tenuia: à R. vero M. longe ampliora illis concessum iri. Vndecimo itaq; Septembri iuramentum in diuersorio Albani præstitum fuit, & postero die post prandiu, magistratus Cameralis cum vexillo, & tympanis per plateas circumiens proclamauit nomen Regis Philippi more solito, sed voce minus acuta, & cum exiguo populi concursu: & cum in proclamationibus superiorum regum applausus, & risus exaudiri consueuisse, hic nihil exaudiebatur præter secretos gemitus, & tacitos questus: nonnulli tamen fletum, risum, lætitiam & tristitiam inter se, quodam adulandi studio ducti, commiscebant. Exercitus Albani vsq; ad decimum diem Septembri semper h̄esit in iisdem castris inter Lisybonam, & Alcantaram, in eo loco, vbi antea Lusitani considerant: & omnia ita erant incerta, vt quid consilium capiendum esset, non constaret: tantum nuncii de rebus Prioris expectabantur. Quo tempore, veluti comes belli, inuasit non tantum exercitum, sed etiam urbem ipsam contagiosus quidam catharrus, ita quidem malignus, vt non minus, quam ipsa pestis, in homines sequiret. Pauci fuerunt, qui cū hoc morbo non conflictarentur: & plurimi ex eo mortui sunt, & in primis milites: propterea, q; aduersus nouum hoc malum visitata remedia parum virium haberent. Antonius paulo post peruenit Sanctarenam: cuius loci magistratus (quamquam esset idem ille, à quo nuper tāto cum gaudio rex salutatus fuerat) noluit ipsum in oppidum intromittere: (tam facile animi hominum cum fortuna mutantur) sed cum promisisset Antonius, se mox discessurum, sub hac conditione receptus fuit. Vnde postero die Coimbriam versus iter instituit. Interea ipsi ciues Sanctaranenses miserunt, qui Albano nomine vniuersitatis iuramentum fidelitatis præstarent: cumq; idem à Coimbriensibus expectaretur, intellectum fuit Priorem esse Coimbræ, instituere in illis partibus munitio-nes, instaurare Montem maiorem, quem veterem adpellant, rescindere pontem, quo Dorius constratus erat. Et quamuis non esset periculum, ne tantas copias colligeret, quæ Albano metum aliquem creare possent: tamē ex hac re perspiciebatur, bellum nondum esse coniectum, nec tuto posse dimitti partem exercitus, quæ cum triremibus Italiciis com-mode abitura existimabatur. Itaq; cum parua mora interponeretur, præterit tempus, quo triremes mari illi se committere audent. Quia vero & regio sterilis est, & magna annona & caritas Lisybonæ nascebatur, missi fuerunt Germani Setubalum: & consilium captum de Italii Sanctarenam in hyberna deducendis. Veruntamen cum Sanctarenam nunciaretur, Priorem non contemnendas copias colligere, Albanus noluit milites illos tanto interuallo à se inuicem separare: sed Italii & Hispani, vt immunes essent à pluuiis, quæ ingruebant, hospitia assignauit in suburbis Lisybonensibus, ea nimirum urbis parte, quæ à militibus spoliata fuerat. Vexabat interim Prior vna cum suis incolas regionis inter Dorium & Minium inieritæ, dum homines vi ad arma capienda adigit. Et quia multi, de successu dubitantes metuebant, ne Prioris partes sequendo seipso in exitium præcipitarent, grauissimis pœnis in illos, qui recusarent, constitutis, miseros ad obedienciam compellebat: ita vt pars vitæ, pars bonis suis metuentes ipsi adhæserent: quin imo etiam nonnulli inueniebantur, qui naturali quodam erga eum amore impulsæ communem cum ipso fortunam experiri, & vitam etiam pro eo profundere non recusarent. Hac ratione coegit ad quatuor, aut 5000. hominum, quorum opera quodammodo frenabat ciuitatem Coimbriam, ne se regi Philippo dederet. His comitatus abiit Auerum, vbi cum oppidanis armata manu resisterent, maiori, quam antea vlo alio in loco, cum ardore dimicauit. Cum enim tormentis quæ habebat, muros concussisset, oppugnationem, sed sine disciplina militari, instituit. Quia autem parum efficiebat, nonnulli ex oppidanis, qui ipsi fauebant, partim verbis, partim vi ciues reliquos in muris defendendis occupatos ita impediuerunt, vt milites Prioris in oppidum irrumperent, nimium tardante subsidio

subſidio, q̄ Pantaleon Sada Portu adducebat. Prior multos ibi in carcerem coniecit, ſpo-
 liauit, occidit: & expilauit, ac deſtruxit obvia quæque. Ob hæc facinora, quæ illi hominum
 faci laude digna videbantur, Prioris milites rusticani tam altos ſibi ſpiritus ſumebant, vt,
 cum ligonibus, & ſudib. armati eſſent, iactitarent ſe recta Lifybonam ad regnum è manib.
 Hispanorum extorquendum profeſturos eſſe. Qua in arrogantia non mediocriter confir-
 mabantur ab Antonio, qui audita regis inualitudine, statim rumorē de morte illius in vul-
 gus ſparſerat: & vt facilius fides ſibi haberetur, vefteſ lugubres aſciuerat. Fiebat de h. ſ re-
 bus omnibus certior Albanus, & magis magisq; intelligebat, quanti momenti fuga Prioris
 fuifſet. Non deerant, qui reprehenderent Albanum, q̄ non statim copias contra Priorem
 10 mitteret. Ceterum Dux, qui ea, quæ maxiſi momenti erant, in tuto coll. canda eſſe iudi-
 caret, nolebat diuellere exercitum, quem habebat, donec intelligeret, quoniam regis mor-
 bus euaderet. Porro Rex, cum aliquid uitaſ fini proximus fuifſet, cum publ. ca omnium
 latitia melius habere coepit: &, crescentibus ind. es ſan. tatis mox recipienda signis, paula-
 tim priſtinam valetudinem recuperauit. Vnde euaneſcente illo metu, qui omnium animis
 inſederat, denuo victoria, & actiones Albani hominum ſermone iactari coepерunt. Cete-
 rum gloria, quam ſibi ille comparauerat, vt in omnibus rebus humanis accidit, nō fuit diu-
 turna, & raro tam manifestum instabilitatis vulgi, & virium inuidia exemplum conſpe-
 ctum fuifſe videtur, nā ſuperiores omnes laudes ſubito in obtrectationes, atq; adeo apertas
 20 calumnias abierunt: ita vt totidem argumenta ad virtutem Albani, & exercitus illius ele-
 uandam inuestigarentur, quo rationes ante biduum ad actiones eiusdem prædicandas al-
 legatae fuerant. Ducebant originem hæ calumniæ vel ab inferioribus bellī ducibus, vel ab
 aliis, exercitum comitantibus, qui, ſiue quod ab Albano in ratione belli gerendi d. ſentient,
 ſiue priuati commodi conſideratione moti, ſiue, vt aliis placet, hiſce delationib. in re-
 gis benevolentiā ſe inſinuare cupientes, ſcriperunt, prædas & rapinas fuifſe maximas, &
 permiffu Albani per integrum triduum duraffe. Dicebant hanc eſſe causam, cur Lufitani
 tam eſſent obſtinati, & tanto odio Hispanos proſequeren. ut: conabanturq; probare Alba-
 num, ſi voluifſet, auctoritatē ſua facile militibus obſiſtere potuſſe: ſed quia & in ipiuſ, &
 in liberos, cognatosq; (qui non tam de pugna, q̄ de præda ſolicii fuifſent) bonaſpoliorum
 pars redunḍaſſet, eum ad vim iniuſtam, & rapinas cōniuſſe, nec cuiusquam querelis mo-
 tum fuifſe, vt in auctores facinorum animaduerteret. Nomina acquisitionis, prælii, expu-
 gnationis oppidorum, & profligationis copiarū hostilium, hoc in loco vana eſſe, & impro-
 prie ab Albano uſurpari: propterea q̄ neminem inueniſſet, qui ipſi ſerio, & fortiter reſiſte-
 ret. Neque promiſcuam illam turbam Lufitanorum, qui ab Antonio vi coacti fuerant, nec
 populum ſimplicem, quem ſacerdotes in confeſſionibus, & pro concione decepterant, ex-
 ercitum appellari poſſe, nec illius profligationem victoriæ nomē mereri. Sane ita coeca eſt
 inuidia, vt quantumuis duo exercitus mutuo ſe crebris iſtib. tormentorum petiuiſſent: ab
 una parte pons, ab altera vallum oppugnatū, equitatus & peditatus Lufitanicus fuſſus, ho-
 ſtiſ in fugam coniectus, vexillum regium cum multis aliis captum fuifſet, deniq; mille am-
 plus milites occubuiſſent: tamen prælium nullū commiſſum fuifſe iſti ad firmare non ve-
 40 rerentur. Quidam, qui Albanum negligentiaſ accusabant, dictabat eum, cum conſtituiſſet hostem ē caſtris eiicere, ſtatim, oppugnatione pontis, & valli inchoata, à manu ſinistra
 alas equitum ulterius extendere debuifſe, vt nimirum eo facilius hostem exitu interclude-
 re, &, ſi fugere conaretur, capere poſſet. Quia vero equitatū in loco tam remoto detinuiſſet, vt fruſtra deinde Priorem aſsequi conaretur, hunc errorem in tam celebri duce nul-
 lam omnino excuſationem admittere. Alii dicebant, non eſſe veriſimile eum, ſi voluifſet,
 Priorem capere non potuſſe nam de equitatu in loco ad hanc rem accommodato locan-
 do, etiam duci quantumuis imperito in mētem venire potuſſe. Ceterum Albanum de in-
 dultria Priori ſpacium euadendi confeſſiſſe, propterea quod, illo elabente, bellum nō tam
 cito confeſſum iri probabile eſſet: id q̄ duces bellī expetere ſolerent, qui autoritatē pro-
 priam, & priuatum commodum publico bono antepoñūt. Addebat alii, Albani, ſi voluifſet, etiam Priorem, postquam victus effigerat, facile in potestate habere poſſuſe. Cum
 enim Prior ſatis lente progrederetur oportuſſe Albanum mittere equitatum, qui eum in-
 ſequeretur tanta cū celeritate, quantam Prioris conditio requirebat. Inter tot accuſatores
 paucierant, qui pro Albano loqui auderent: pauci amici illū excuſabant, dicendo tempus,
 locum, & ſtudiū rei ſummam in tuto collocandi interdum non permettere Imperatori, vt
 omnia ex animi ſentētia adminiſtret. Inſequi tū temporis Priorem, non fuifſe tutum. Nam
 eum Albanus damna, quæ à militib. certo imminebant, præuideret, & ſi multos ad Priore
 inſequendū mitteret, cotra voluntatē Regis prouinciam ab illis vastatā iri; ſin paucos, illos
 in periculo versaturos eſſe, coſideraret, viſum ipſi eſſe parumper expectare, donec victorię
 ardor in animis eorū nonnihil deferbuſſet, & tū certam exercitus parē ad perſequendum

Priorem mittere: cumq; de hac re cogitaret, interim superuenisse morbū Regis, cuius exitum quoad non perspexisset, copias in varias partes distrahi ēre nō iudicasse. Quantum ad castra Prioris, equitatu cingenda, attineret, præterquam q; equites pauciores essent, quam qui ad hanc rem requirentur, etiam si hoc facere potuisset, tamen tale quid non decuisse ducem prudentem, ne hostis extimido redderetur audax, propterea q; sibi vel pugnandi, vel in hostium manus incidendi necessitatem imponi videret. Quantum ad deprædationem suburbiorum, in non exigua felicitatis parte ponendum, q; vrbs Lisybona tam ampla suburbia, & à muris nuda habuisset. Alioqui enim non nisi difficilime milites contineri potuisse, ne in ipsam urbem irrumperent. Imo, vt illa sarta tecta conseruaretur, opus fuisse re aliqua, in quam feruorem desiderii, quo tenebantur, euomerent. Et sicut difficile fuisse liberare à rapinis illorū urbem: ita nullo modo defendi potuisse suburbia, in quorum cōspectu prælium commissum fuisse. Ridebant eos, qui dicebant partem prædæ ad Albanum rediisse, eo q; hoc omnium maxime ab ipsis ingenio alienum esse videretur. Ostendebat, etiam si ad Lusitanos macula liberandos, & placandos, non conduceret prædicari victoriā, tanquam gloriosam, sed potius nominari patū honorificam, vt pote quæ ex exiguo hominum pauperum, seditionorum, monachorum, apostatarum, & seruorum fugitiuorū numero reportata fuisse: tamen eā difficulter celari, negari enim non posse, Antonium habuisse magnas copias, in castris loci natura munitis: & inter ceteros illi adfuisse multos ex nobilitate, eosq; vt odio Regis Philippi, ita ipsis amore flagrantes, quæ res facile illorum imperiatim compensaret. Non esse verisimile exercitus, in quibus hæc concurrunt, tam facile cedere, aut in fugam se coniicere, nisi res ipsis sit cum duce virtute, & iudicio præstanti, qui partim vi, partim arte illos vincat, atq; dissipet. Adducebant multas rationes, cur non esset credibile Albanum consilium regi suo adeo damnosum cœpisse, vt bellū ducendo eo diutius potiretur imperio. Etsi enim in antiquis rebus publicis ciues nobiles militatū abeundi, & imperatorum munere fungendi cupidi essent, vt nimirum ita Senatus imperio aliquando sese veluti subtraherent: tamen longe aliam esse rationem in hodiernis principum imperiis, vbi melior est conditio eorum, qui nūquam à regum latere discedūt, quam eorum, qui ab illis remoti sunt. Addebat, cōsiderandam esse xtatem, fidem & experientiam Ducis Albani, eamq; in sententiam multis tum veteribus, tum recentibus exemplis adductis, concludebant verisimile esse, illum, nulla priuatæ suæ dignitatis, siue utilitatis ratione habita, regi operam fidelem, pro viribus nauasse. Quamuis autem hoc pacto nonnulli Albanum excusarent: tamen ex hominum animis sinistræ suspiciones penitus euelli non poterant. Tam facile fors mutatū in hac mundi tragœdia, vt ille imperator, qui præcedenti septimana, triumpho & gloria insignis fuerat, lecto adfixus, & apud regem in crimen vocatus, animi mœtre cōficeretur; vt exercitus propemodum dissiparetur, fame & multis incommidis laborans, peste infectus, & propter rapinas ac facinora (quorum quædam vera, quædam ficta erant) infamis: ita vt milites illi mœsti, adficti, irati essent, & sola insolentia excepta, in reliquis victi potius, q; victores esse viderentur. Præcipui etiam ductores vultu facile prodebāt, se de omni laborū suorum remuneratione desperare. Itaq; illi, qui sedes in Lusitania collocare, & partem bonorū confiscatorum à rege præmii loco impetrare constituerant, spe sua frustrati fuerunt. Rex enim contrarium omnino apud animū proposuerat: nimirum molestiarum, quas Lusitani ipsi exhibuerant, memoriā deponere, & non tantum inobedientib. veniam concedere, sed etiā beneficiis affectos benigne, instar filiorum, habere. Existimabatur vulgo fore, vt rex, de fuga Prioris, & de vrbe Lisybona in potestate redacta certior factus, statim eo properaret, & beneficiis, ac largitionib. animos Lusitanorum sibi conciliando, mitigaret indignationē, quam ipsis rapinæ & iniuriæ militū commouerant. Veruntamen licet iam deliberaasset de itinere Eluas instituendo, & regnū tanquam Rex Lusitanę ingredi cuperet: tamen consilium mutauit, propter pestem, quæ in variis regni locis grassabatur. Interea operā dedit, vt in potestate haberet omnia reliqua loca non Lusitanæ tatum, sed etiam ab ipsa dependentia. In Africam inde vsq; ab illo tempore quo exercitus ad fines Lusitanæ peruererat, miserat, qui ad deditiōnem illa loca adhortarentur: sed cum eodē tempore Antonius & ipse ad præfectos scripsisset, & res eius adhuc satis bono loco essent: incolæ illorum oppidorū, de imperio Philippi accipiendo nihil dū certi constituerant. Itaq; victoria obtenta, denuo eo aliquos è ministris suis miserat. Cum enim illæ arees & oppida, vt pote Hispaniæ adeo vicina, essent maximū momenti, verebatur ne Antonius, si diutius in fide erga illum manerent, perniciosum aliquod de iis consilium caperet. Promislo itaq; præfectis præmio obtinuit, vt ipsum pro domino agnoscerent, ita tamen, vt alii aliis essent obstinationes: & ita nulla omnino re mutata, iisdem præfectis, & iisdem præfidiis illa loca custodienda permisit. Insulæ Terceræ sollicitū Albanum habebant, quod existimaret, magni referre, vt in potestate Regis essent. Itaque feruente etiamnum victoriæ

Victoriae fama, de legatis nomine regis, & vrbis Lisybonæ eo mittendis cogitabat. Verum cum Badagiozii à consiliariis Regis res in deliberationem vocata, & bene per pensa fuisset, decretum fuit præstare, totum hoc negocium à solis Lusitanis, nullo Hispano interueniente, expediti. Qua de causa Rex Lisybonam ad Eduardum Castelblacum scripsit, ut re cum Albano communicata, ipse tanq; Lusitanus, aliquem in insulas mitteret: sed Eduardus nihil certi hac in re constituit. nā cū nuper supremus quæstor factus esset, animaduertit Eduardum Borgesium, quem Albanus huic legationi destinat, obstrictum esse ad reddendas rationes certæ pecuniaæ summæ, quæ ad coronam spectabat. Itaq; non existimauit è re esse vel illum ablegare, vel alium in eius locu substituere. Albanus interim certior factus regem conualuisse, relicta cura insularum ei, cui commissa erat, noluit longiores nectere moras, in parte exercitus contra Priorem mittenda. Et quamvis anni tempus esset satis incommodeum, tamen 22. die Septembris eo ablegauit Sancium Auilam cum quatuor millibus peditum, & quadringentis equitibus, qui statim Coimbram versus iter facere cœpit: cumq; paulo post intelligeretur, multos milites in itinere mori, multos in Hispaniam aufugere, & propter pluuias immoderatas cum maxima difficultate Auilam quatuor tormenta maiora secum vehere, Albanus illi adhuc mille quingentos pedites, duce Iacobo Cordubensi, subsidio misit: & parari iussit naues, quibus aliquot tormenta maiora in illas partes mari deueherentur. Auela cum copiis suis prima castra habuit Loures: inde mouit Turres veteres, vbi fracto plaustro, vnū ex tormentis relinquere coactus fuit. Ex eo loco recta Coimbram cōtendit, transiens per Gibarotā, vbi vidit trophya memorabilis illius victorie, quam Lusitani in eo loco ex Castellanis olim reportarūt. Inde duas turmas equitū misit Coimbram, quæ antequam equitatum conspexisset, deditioinem facere noluerat: sed veniente equitatu, statim cum clauibus ciues exierūt: & Emanuel Sosa Pacœcus, generalis exercitus Commissarius, in vrbem, iuramentum fidelitatis nomine regis recepturus, introiit. Prior cum hac de re certior factus esset Aueri, noluit ibi expectare Sanciū Auilam: ambigens, virum nauis consensa, regno exceedere deberet, nec ne. Verum cum accepisset litteras à quibusdam ciuibus Portus, qui promittebant se illum recepturos, si, quantis maximis posset, copiis comitatus veniret, iter instituit versus illam ciuitatem, de qua, quia hactenus nullā fere mentionem fecimus, cum tamē sit vna ex primariis, re paulo altius repetita, quis ipsius statutus in hisce tumultibus fuerit, ostendemus. Ciues Portenses, qui inter Lusitanos prudenter habentur, eo tempore, quo nunciatum erat, regem Hispaniaæ bellum parare, & quo Gubernatores imperabant, miserant in aulam, qui arma, & cetera ad bellum necessaria pterent, vt si opus esset, sese contra vim iniustam tueri possent. Ceterum cum ipsorum legati Almerinum peruenissent, intellexerunt gubernatores Serubalum discessisse, & Priorem regē esse salutatum. Itaq; mandata, quæ ipsi à superioribus ad gubernatores data fuerant, iniussu eorundem nouo regi exposuerunt: à quo etiam arma & reliqua, quæ petierāt, impetrarunt: cumq; hæc secū Portum deportarent, nata est discordia inter ciues: quorum alii, Antonii studiosi, factum legatorum adprobabant: alii seueriores, q; cum ad Gubernatores missi essent. Priori mandata exposuissent, illos pœna dignos esse dicebant. Itaq; altera pars arma, & reliqua accipere volebat, iisq; vti, si opus esset, q; diceret non esse illa responda, si vel ab hoste venirent: altera autem omnino recusabat, quod iudicaret hoc pacto Antonium agnisci pro rege, & suspicionē moueri Regi Catholico: quorum neutrū commitendum, nec alterutri parti fauendū, sed rei exitum expectandum esse iudicabant. Verum cum maior pars eo inclinaret, ne arma acciperentur, de consilio Pantaleonis Sadæ, Ferdinandi Nunezii Barretti, & Ioannis Roderici Sadæ (quorū maxima erat in tota ciuitate auctoritas) legati tormenta, & ceteras res ad ea pertinetes depositarunt in arce Feriæ, nō procul à ciuitate, quæ hoc pacto tormētis nudata remanebat. Verū vbi Albanus prope Cascaiuum militē exposuisset, ante prælium Alcantaranum regi iuramentū fidelitatis per legatos præstiterant. Prior porro, cum in eas partes peruenisset, occupārat hæc tormēta, & illorum beneficio muris Aueri diuerberatis, Portum profectus erat. Etsi autē nonnulli ex ciuibus atrocia conuitia in eum euomuissent, ita vt verisimile esset, eū nec paclla, nec transactiones villas admisserūt: tamen cum maior pars illum recipiendū iudicaret, summa cum lætitia intromissus, & sub pallio, vt vocāt, exceptus fuit magno populi cōcursu. Pantaleon autē Sadæ & socii, præuiso populi animo, nec remedio vlo adhibito, q; dicerent sibi non obediri, existimatunt se ibi tuto cōmorari non posse, & ita cōscensa nauis primū in Galiciam, & deinde Lisybonā se contulerunt. Substitit ibi Prior per decē dies, & domus quorundā ciuium, sibi inimicorū, prædæ exposuit: magnā saccari copiam mercatorib. vi extortā, in Gallias misit: à ciuibus 100. millia ducatorum sibi mutuo dari petiit: cumq; intelligeret Auilā cum copiis adpropinquare: Coimbram, Montem maiore, & aliquot alia oppida illi claves obtulisse:

misi Episcopum Guardensem Vianam, & ad Pontem Limæ, ut maiores copias, ad hostem fluminis traiectu prohibendum, colligeret. Interim Albanus Lifybonæ cum magna molestia, & animi anxietate viuebat. Videbat enim Lusitanos longe arrogantiores, quam vñquam antea, ab Hispanis dissidere, & se à rege nullam licentiam habere in contumaces animaduertendi, ita, vt par erat, & vt alibi facere consueuerat: Priorē adhuc cum copiis circu-
uagari: in vrbe quotidie multas rixas inter Lusitanos & Castellanos nasci, & has duas nationes mutuo odio ita flagrare, vt facile maior aliquis tumultus inde oriri posse videtur. Quantumuis autem Hispanis expresse iniunctum esset: vt patienter iniurias ferrent: tamen non erat hoc in ipsorum potestate. Cum enim hoc Albani mandatum Lusitani ex metu proficisci putarent, indies magis magisque insolecentes conuitia spargebant, & Hispanos ad pugnam mira cum petulantia prouocabant. Albanus itaque, vt his incommodis aliquod remedium adferret, iussit muniri aliquo modo arcē, quæ in uno è collibus ciuitatis sita est, antiquissimi operis: & in eam maximam partem militū collegit, vna cum tormentis, commeatu & reliquis instrumentis bellicis: & ita militibus remotis à portis vrbis, ad quas excubabant, & vbi in odium vulgi incurrebant, & rebus suis in tuto collocaatis, paulatim iracundiam Lusitanorum mitigauit. Sancius Auila interim appropinquauerat Auero, vbi extra muros obuiam illi progressi sunt primarii ciues, qui præ gaudio lachrymas nō tenebant: sed ante omnes gestiebant complures, qui hactenus in carcere detentii, & in vita periculo fuerant, propterea quod se Antonio opposuissent. Exacto à magistratu fidelitatis iuramento, cum intelligeret Priorem Portum profectū, eum insecurus est. Erat enim audiissimus manus cū illo cōserendi, præsertim cum iam venisset Iacobus de Corduba cum militibus, nuper ab Albano subsidio missis: ex quibus tamen multi vel mortui erāt, vel aufugerant, ita vt ad quingentos redigerentur. Habuit castra in diuersis locis, & agricultoris studiosè pepercit: cumq; peruenisset Risanam Sanctæ Mariæ, quæ quindecim miliari-
bus distat à sinistra ripa Dorii (in dextra autē sita est ciuitas Portus) cogitare cœpit de ratio-
ne fluminis traiiciēdi, quod ad hostem vincendum hoc omnium maximū impedimentum esse existimaret. Sciebat flumen esse rapidissimū, ferri inter montes aspermos, nec usquā vado transīri: Adducebat ille naues aliquot plaustris impositas, quas in flumē demitteret.
& quanquam essent paucæ, tamen beneficio illarum ripam peruestigari, & alias reperi possesse sperabat. Verum naues longitudine itineris, & carrorū concussione, ita quassatæ fue-
rant, vt fatiscerent, & fere inutiles viderentur. Itaque motis castris ad monasteriū Grisum, quod aliquanto propius est fluminī, Auila alias naues quæri iussit, sed nullæ inuenitæ
fuerunt. nam præterquā quod Prior edicto vetuerat, ne quæ naus ex dextra ripa solueret,
etiam tres, aut quatuor lembi armati, per flumen huc illuc circumuagabantur transitus
impediendi gratia. Itaque Auila maiori quam ante, cum diligentia misit, qui in omnibus locis, tum vicinis, tum etiam nonnihil remotis, quotquot inuenirent, captas sibi ad-
ducerent. Et sane voti compos factus fuit. Etsi enim nullæ inueniebantur in locis vrbis vi-
cinis: tamen in superiore fluminis parte, quo Lusitani Hispanos penetraturos nō putabant,
complures inuentæ, & adductæ fuerunt. Ad has accesserunt illæ, quæ venerunt Massarel-
lis, oppido in sinistra ripa sito: cuius incolæ Priori irati, propterea quod ipsorum, tan-
quam inobedientium, ædes cōburi iuoserat, cum mulieribus, ac liberis in nauiculas imposi-
tis, ad castra Hispanorū confugerant. Adiumento etiam fuit, quod cū Antonius Serranus,
vnum ex illis ductoribus, quos Auila naues conquisitum emiserat, fere ad ostium fluminis
usque progressus, nullam inueniret, forte vna, quæ ad ripam adpellere non audebat, è lon-
ginquo conspecta, & militib. quos habebat, in insidiis collocatis, & omnib. vestibus de in-
dustria detractis, se ab Hispanis spoliatum finxit. Cum enim nautas, explorator quidam
Lusitanus, (quem prope se abscondiderat, ita, vt ab illis conspicere non posset) inclama-
set: illi ad ripam appulerunt: & Serranus in eam ingressus displosit parvulum sclopum,
quod abdiderat, & ita non rātum nautas perterrefecit, verum militibus in insidiis colloca-
tis signum prorumpendi dedit: cumque hi aduolaserint, Serranus subito in potestatem suā
redegit nauiculam, & illius beneficio adhuc duas aut tres, satis paruas, quæ erant in vicina:
atque sic in vniuersum erant triginta quinque, quibus bona pars exercitus flumen traiicere
posse videbatur. At debat desiderio quā primū traiiciēdi Auila, seq; nō incōmode id facere
posse existimabat sed omnib. reliquis ductoribus hoc consilium temerarium esse videba-
tur. neque enim flumen villo in loco nauibus transīri posse credebatur, nisi prope Petram
Salsam, vbi erat traiectus solitus, sed quem hostis munitum præsidio firmauerat. In reliquis
enim partibus ripæ asperitas transitum impedibat. Vnde fiebat, vt hostis decipi nō posset,
licet fingeret, vt fieri solet, se in uno loco traiecturos, & postea in alio traiicerent. Dicebant
nauiculas esse paucas, & nautis non optime instructas. Et quāmuis fortasse bonam parrein-
peditum

peditum capere possent: tamen in iis non esse locum equitatu*i* qui necessario in citeriori
 ripa relinquendus esset, id quod tamen è re non futurum videbatur. Præterea in ripa ulte-
 riore, non tantum eam partem, ad quam traiiciposset, tormentis & vallo munitam esse, sed
 etiam magnam peditum, & equitum multitudinem ibi conspicere. Qua de causa transitum
 fluminis non sine manifesto periculo tentari posse, & consultius, videri, adhibere diligen-
 tiam in commeatu conquirendo, & non nimium in traiiciendo flumine properare, pro-
 pterea quod Regis pluris interesset, rei summam in tuto collocari, quam festinari. Satis in-
 telligebat hæc incommoda Sancius Auila, sed duæ res erant, quæ ipsum ad transendum
 adagebant. Prior erat penuria commeatus, quæ in horas crescebat. Altera, quod intellige-
 ret, Eduardum Lem sium, Martinum Lopezium Azeuedum, & Antonium Susam Cou-
 tignum, qui Prioris partibus studebant, cum copiis, quas collegerant, illi subsidio venire
 constituisse: id quod impeditre cupiebat: & adhæc omnia accedente Lusitanorum con-
 temptu, qui ex superioribus conflictibus natus erat, omnino sibi traiiciendum iudicabat.
 Quamobrem exercitum in ripam fluminis duxit: cumq; eo in loco à Lusitanis propugna-
 culum quoddam prope oppidum Gaiam extructum videret, existimauit se necesse habi-
 turum illud oppugnare, & non nihil temporis ibi consumptum: sed minus opinione sua
 negotii sustinuit. Cum enim Perrum de Sotomaiori cum aliquot equitibus ad situm pro-
 pugnaculi contemplandum misisset, presidarii, sclopetis semel in equites displosis, & pro-
 pugnaculo deserto, in ciuitatem se receperunt: & ita in citeriori ripa omnibus obstaculis
 20 submotis, nihil reliquum erat, nisi vt Auila de ratione aliqua quam minimo cum incom-
 modo traiiciendi cogitationem susciperet. Perlustrauit itaque totam ripam superiorem, si
 forte in aliquem alium traiectum incideret: cumque omnia aspera, immo, prærupta de-
 prehenderet, nullum locum vel mediocriter commodum inuenit, nisi Auintesii, ad duo à
 castris milliaria: vbi (quamuis difficuler) ab utraque parte, & nauiculæ concendi, & in ri-
 pameuadi poterat. Cum itaque eo in loco traiicere constitueret, in castra reuersus consil-
 lium suum detexit, & quia nonnulli hæc improbant, conuocatis omnibus, in hanc sen-
 tentiam locutus est. Miramini fortasse, quod ego crastino die cum toto exercitu hoc flu-
 men traiicere constituerim, propterea quod res difficultate & periculo non caritura vide-
 tur. Puto enim an ai tempus incommode, ripæ asperitatem, hostium armatorū in oppo-
 sita parte multitudinem, & munitiones vos mouere posse, vt de victoria dubitetis: præser-
 tim cum ab illis numero longe superemur. Verum enim uero quandoquidē vbi minor est,
 metus, ibi etiā minus periculi est, liber mihi demonstrare, nullū hīc periculū metuendum,
 sed potius institutum meum cum certissima & gloriæ & utilitatis spe esse coniunctum. Su-
 periores dubitandi rationes omnes (si forte vobis oculos versantur) sunt vanæ. Tempus
 enim nocere nobis non potest, cum vnda fluminis sit tranquilla: ripæ satis nobis loci ad
 transendum relinquant: & munitiones hostium tam infirmæ sint, quam haec tenus omnis
 eorum defensio imbecilla fuit. Estote memores, vos cum triremibus Setubalo soluentes,
 in ripam expositos fuisse ad Cascaisium, vbi iidem isti hostes sub celeberrimo totius Lusi-
 tanæ due castra commodissimo loco posuerant: & tamen illos non solum exscensionem
 40 militum non prohibuisse, sed etiam vix cōspectum nostrum tulisse. Scitis enim illos, nobis
 pene non visis, tūtpiter præcipuum totius regni locū deseruisse. Recordamini, cū tota Lu-
 sitania cū pseudorege suo Alcantaræ castra in loco natura, tormentis, aliisq; rebus munitissi-
 mo haberet, nos in conspectu Lusitanorum arcē S. Iuliani tormentis maioribus conquaſſa-
 tum in potestate redigisse, cum interim illi non tantum arcē subsidio nō venire, sed ne qui-
 dem ad velitandum prædire auderent. His autem rebus gestis, cum deinde recta ad exer-
 citum Lusitanorum contendessimus, simulatq; in cōspectum illorum venimus, testes vos
 omnes estis, milites Lusitanos de nulla re magis quam de fuga sollicitos fuſſe. Existimatne
 igitur, obsecro, partē illius exercitus maxime imbecillam, & timidā, quæ in ulteriore
 huius fluminis ripā se recepit, plus negotii exhibiturā, quam vniuersæ copiæ exhibuerint?
 50 Duo sunt, quæ nobis in hac expeditione, tanquam scopum, proponere debemus. Alterum
 est utilitas Regis: alterum honor, & gloria nostra: & sane fortuna, vt vtrumq; eo facilis cō-
 sequamur, manifesto nobis aspirare videtur. Si enim hostes consedissent in loco tali, vt in-
 ter ipsos, & nos nihil obstaculi interiectum esset: existimaretn sane nec admodum præclare
 nos de rege merituros, nec adeo magnam gloriam consecuturos esse, si illos vinceremus.
 Nam quid vel utilitatis, vel laudis expectari potest ex debellatione reliquarum exercitus
 illius, quæ integrum & vallo, fossaq; cinctum tam paruo negocio fudimus, fugauimusque?
 equidem nihil. Verum fortuna nobis, vt dixi, ita indulget, vt Antonius, hoc flumine, & hac
 ripa veluti scuto quodam contra nos se protegere, & hic nos expectare constituerit: & op-
 pio cōmunis sit, cum ex hoc loco R. M. in iusta regni possessione turbare posse; nimirum,

vt nos, si illum profligamus, eo maiora præmia consequamur, quo difficilius videtur négocium: quod tamen non maiori cum difficultate coniunctum fore puto, quam superiora omnia, quæ in hoc regno feliciter confecta fuerunt, dummodo vos sitis adhuc iidem illi, qui ante paucos dies eratis. Nolim tamen vos existimare me soli vestræ virtuti huiusmodi victorias acceptas ferre. Credo enim bonitati causæ quam R. M. & iniquitati eius, quam Antonius fouet, tutius illas tribui posse. Quis est, qui ignoret regnum hoc ad regem nostrum iure spectare? Quod est tribunal in vniuerso mundo, quod non sponte sua pro rege sententiam tulerit? Quis autem contra est, quem fugiat, quam tyrannice Antonius nomen regium sibi arrogauerit, & quam parum iuris in hoc regnum vere possit prætendere? quis ignorat eum esse nothum, & tantæ dignitatis incapacem? De his apud omnes constat. Quia de causa Deus iustissimus per nostram manum castigare vult illum, qui pœnam meruit: nec hos, qui iniustum causam fouent, quidquam iuuat vallum, flumina, munitiones. Conscientia enim maculata non tantum animi vigorem debilitat, sed etiam vires omnes eneruat. Iustitia regis, & virtuti nostræ non solum hostes tam imbecilles resistere non possunt: verum etiam illæ superarent longe maiores difficultates, quam sint hæc, de quibus agimus: id quod vos & haec tenus experti estis, & cunctino die, Deo iuuante, experiemini. Hæc oratio, & ducis auctoritas, quæ apud militem magna erat, effecit, vt consilium ipsius ab omnibus approbaretur. Itaque Sancius Auila in noctem, & diem sequentem hæc constituit. In ripa vrbi opposita iussit collocari tormenta maiora, quæ habebat, idque in loco, quoad eius fieri poterat, commodo, ad ripæ contraria partem illam, vbi traiectus erat, defensoribus nudandam, & hostem offendendum. Relicto castris præsidio ex Germanis & Hispanis, decreuit cum tertia parte exercitus, nauium, & equitum de nocte redire ad traiectum, quem inuenierat: & milite, beneficio nauium in oppositam ripam exposito, hostes à latere adorari. Iussit reliquam partem exercitus, ductu Roderici Sapatae, residuas naues ad Petram sal-sam concendere, & singulas naues quantum possent numerum equorum per capistra alligatorum, & natantium, una traducere: & fingere se cupere traiicere, vt hostis huius rei metu occupatus detineretur: simulq; interdixit, ne plane in alteram ripam traiicerent, nisi cum à reliqua exercitus parte, quam ille ad traiectum superiorem ducturus erat, in Lusitanos impetum fieri viderent. Hæc omnia dexterime ita facta fuerunt. Lusitani enim rei bellicæ imperiti, strategemati adeo peruulgato nesciuerunt occurrere. Sancius itaq; Auila, cum ad vltiorem ripam appulisset, hostem tam patum pugnacem offendit, vt quamuis eo aliquot signa peditum contendissent: paruo tamen negocio in ripam euaderet, ita quidem, vt quia nauiculae non omnes milites simul capere potuerant, primi, qui in terram descenderant, antequam ceteri venirent, prælio cum Lusitanis inito, & decem aut duodecim occisis, reliquos omnes fugarent. Non putabat Prior Hispanos tam citè traiecturos: sed cum intellexisset, quo pacto hoc assenti essent, & quam male à suis pugnatum fuisset, re nondum satis diuulgata, primarios ciues, quos conuocari iusserat, in hanc sententiam allocutus est. In more positum est tyrannis, vt cum ius sibi deficere animaduertūt, sub alio prætextu ad vim se conuertant: & hanc in illius locū substituant, quo eo facilius voti compotes fieri possint. Econtra iusti & clementes Reges non tantum iustitia se subiiciunt: sed etiam ad subditorum voluntatem studiose se accommodant. Ego, qui ab eo tempore, quo Rex Sebastianus sine liberis decessit, semper paratissimus fui, primus omnium agnoscere imperium illius, cui per iudicium sententiam regnum adiudicatum fuisset, quieui; donec, Philippo de iure suo desperante, & bellum parante, vobis me regem, & defensorem nominare visum fuit. Suscepi hoc onus non tam (ita Deus Optimus Maximus libertatem nostram nobis conseruet) cupiditate regnandi, quam q; neminem viderem, qui vobis sincero cù amore præesse posset. Qualem ego me gesserim, quid acciderit, vos scitis: scitis me vos in omnibus rebus non tam subditorum, quam sociorum loco habuisse. Sane temporis angustia non permisit: vt nobis de rebus ad bellum gerendum necessariis prospiceremus. Nam simulac rex salutatus fui, hostis, qui omnia parata habebat, qui iam varias insidias nobis struxerat, qui multo ante de re tota, & deliberauerat & statuerat, arma iugulis nostris intentauit. Itaq; res necessariae, quæ conquiri cœperant, & auxilia à principibus Christianis promissa, in tempore præsto non fuerunt: vnde hi infelices nostri successus promanarunt. Semel pene inermes cum hoste congressi sumus. Si vobis animus sit denuo prælia fortunam tentare, facite, vt lubet: Sed ego id consultum non puto. Cum enim haec tenus me in periculum aliquoties coniecerim, & hoc meo pectori, tanquam scuto vos quoad eius fieri potuit, protexerim: non puto rationi consentaneum esse (nisi forte vos id suadeatis) vt denuo vos, & meipsum dubio incerti prælia euentui exponam: in quo quantumvis superiores essemus, tamen, quod cupimus, non consequemur, neque statim hostem regno eiicere

eicere possemus. Sin vero succumberemus, amittere ego spē omnem, q̄ concepi, vos intra
 breue tēporis spatiū à iugo certicibus vestris imminēti, liberādi. Sit mihi testis Deus Opt.
 Max. me quidquid feci, quidquid sum facturus, fecisse & facturū esse vestra tantum causa,
 & vt conseruetur æqualitas iustitiae, cui iatn vis infertur ab omnium acerrimo totius Lusi-
 tanie hoste. Scio vos mihi fidem habere: sed si quis forte de veritate verborum meorū du-
 bitat, ille velim cogitet, me quidem, si vestre vtilitati meam prētulisse, potuisse frui quie-
 te, diuitiis abūdere, cum rege Philippo transfigere, qui me toties pollicitationibus immen-
 sis tentauit; vos autem hoc pacto in seruitutem redactos mancipiis similes futuros fuisse:
 vt accidit omnibus populis, qui regēm eiusdem nationis non habent. Sed absit, vt vn-
 quam priuata mea anteponam commoda vel vestræ, vel publicæ huius regni vtilitati, cu-
 ius incolæ tanto maiores meos amore sunt prosecuti. Ego fortasse ad tempus cessurus sum
 viiniustæ, qua iam opprimor: sed nunquam vel de regno, vel de iure meo decedam: imo
 nouis armis, nouis viribus collectis, spero me actionem meam ita redintegraturum, vt bre-
 ui in lētitiam conuertam mōrem illum, quem in vultu vestro agnoscere mihi videor.
 Illa arma, illi apparatus bellici, illi milites, qui iam prēsto non fuerunt, alias prēsto e-
 runt. Et, si humānum est calamitosorum hominum cōsideratione adfici, spero fore, vt
 mei, qui tam initiste opprimor, misericordia, non tantum humaniores, sed etiam feroci-
 simæ quæque totius mundi nationes moueantur. Certo scio vos amorem, quo semper &
 me, & maiores meos prosecuti estis, infelici rerum successu imminui nullo modo passu-
 ros: & ego tali viatico instrūctus sum, vt, quantumvis aliquandiu forte à vobis abfuturus
 sim, tamen breui me ad vos redditum, measque vires cum vestris ad vtilitatem & glo-
 riā vestram, & ad hostium interitum & dedecū, coniuncturum esse confidam. Hac
 oratio auditorum animos ita adfecit, vt multi lachrymas non tenerent: nec quisquam
 vel verbum respondere posset. Itaque Prior, conuentu dimisso, paulo post cum intimis
 amicis pene clam abiit, paucis de discessu suo admonitis: & profectus ad monasterium
 Aroucæ, inde itineribus obliquis per Vairam, & Barcellos Vianam se contulit. Sancius
 Auila interea, tracieatis omnibus copiis, & Lusitanis è ripa opposita depulsis, recta ad vr-
 bēm contendit. Porro ciues, consilii à Priore capti ignari, & multos milites adesse viden-
 tes, conabantur resistere, & quantum poterant, globis tormentorum Hispanos aduen-
 tantes propellebant. Auila cum loco, in quo tormenta Lusitanorum collocata erant, ad-
 propinquasset, eodem momento etiam Rodericus Sapata, qui nemine prohibente mili-
 tem exposuerat, superuenit. Ceterum Lusitani ita erant de fuga solliciti, vt ne vñus qui-
 den hostem expectaret. Sancius aliquandiu fugientes insecurus est, & equitatum misit,
 qui illos vltierius prosequeretur. Verum pluia, & dueticulorum varietas in causa fuit,
 vt & Lusitani eo commodius elabi possent, & Hispani, paucis cæsis, se recipieren. Per-
 suaserant sibi victores Priorem mansisse in ciuitate, quippe quæ hostis impetum expe-
 ctatura videretur, & densam globorum grandinem eiacularetur. Verum interim dum
 Sancius omnia peruestigat, partim vt videret, vllæne hostium reliquiæ superessent, par-
 tim vt locum ad oppugnandam ciuitatem commodum deligeret, ciues intellecta Prio-
 ris fuga, sententiam mutarunt. Vnde in mōnibus in signum pacis vexillum candidum
 erectum fuit: certum & victoriæ, & fugæ Prioris indicium. Itaque Auila, equitatū in
 duas partes diuisum insequi Priorem iussit diuersis itineribus, vt eo difficilius elabi posset:
 & deinde magistratus ex vrbe egressus, iuramentum fidelitatis prēstitit, & portas aperi-
 re voluit; sed iussit illas claudi Sancius, ne forte milites, prædæ audi, irrumperent: & non
 obstante hoc illius mandato, parum absuit, quin ciuitas in damnum ineurreret. Cum
 enim adhuc ibi essent quidam ex exercitu Prioris, ingredientibus per vnam portam non-
 nullis è primariis Hispanis, ciues per alteram portam emittere incipiebant milites Lusita-
 nos: quod tamen celare non potuerunt milites quosdam Hispanos, qui extra vrbum e-
 rant. Hi itaque per eandem portam ingressi (ita tamen, vt Lusitanos exitu non prohi-
 berent) cœperunt spoliare aliquot ædes vicinas, & ita facile tota ciuitas prædæ militum
 cœlisset, nisi, priusquam alia vexilla peditum superuenirent, Sancius tumultu excitatus,
 cum inferioribus præfectis accurrens, eorum conatui sua auctoritate obstatisset. Prior
 Vianam ingressus, cum animaduerteret se in regno resistere hosti non posse, huius con-
 sensu, in Galliam nauigatè constituerat: & quanquam illa iam parata esset, tamen pro-
 pter ventum contrarium adhuc ibi hærebant. Interim pars equitatus, qui eum Vianæ esse
 intellexerat, eo peruenit: cūque contra hunc ciues arma pararent, præfectus equitum
 dixit, nisi deditio facerent, fore vt exercitui vicino, & intra biduum, aut triduum
 adfuturo, prædæ essent. Ciues hoc sermone perterriti, deditio salua vita, & facultati-
 bus, fecerunt. Porro equitatu ad vrbum aduentante, Prior, se in periculo, & cum amicis

dubie fidei versari, & ab exercitu nudū esse, animo reputans, decreuit potius cum mari & ventis, quā cum hoste certare: Et ideo cum episcopo, & reliquis asseclis suis nauē concen-
dit, sperans interim dū ciues hosti resisterent, & antequam Hispani illum eo in loco esse in-
telligerent, fore, vt aura, quantumuis lenis, se paulisper à littore in altū propelleret. Verum
cum fortuna, (vt cū vulgo loquar) ipsum premendo nondū exsaturata esset, non tantū ma-
ris cōmotio, & ventus contrarius magis magisq; creuit, sed etiam durauit tam diu, vt Hispani in vrbem admissi, & Antonium in illa nauē esse certiores facti, sese ad eum inseguen-
dum pararent, & pene pro iam capto haberēt. Ceterum Prior de re tota admonitus, & pe-
riculi, in quo erat, magnitudinem considerans, inter eos, qui aderant, monetā argenteam
(cuius non magnā summam habebat) distribuit, & nautæ habitu ascito, assumptisq; rebus
10 pretiosissimis, cum Comite Vimioso, Episcopo & reliquis intimis, in scaphā ingressus non
sine presentissimo vitę periculo ad pulit ad ripā Minii fluuii, ciuitati oppositam. Quod cum
animaduertissent Hispani, conati sunt, statim ē vestigio illum insequi: sed quia Minius in
eo loco vado non transitur, antequā illi naues concenderent, Antonius elapsus est, ami-
corum, & nonnullarum rerum carissimarum iactura facta, sed salua bona parte lapidū pre-
tiosorum, quos vestibus insuerat. Sane inuenta postea fuerunt in Hispaniis aliquot frusta
10 pretiosissimarum illarū phalerarum, quarum mentionē fecimus, apud militem quendam
Hispanum, qui se illa, fugiente Priore, cuidam ipsius mancipio abstulisse dicebat. Verun-
tamen Rex hominē suspectum habens, quasi Antonium à se captum, lytro illo accepto, di-
misisset, eum satis diu in carcere detineri iussit. Videbatur fortuna Antonium fugientē ad-
iuuare, fortasse ad maiore istius Regni afflictionē. Nam eo ipso momento, quo ex nauicu-
la in terrā egrediebatur, venit in eandē ripam pars equitatus, qui ipsum īuestigabat, quiq;
facile illū capere poterat, si cū tam prope esse existimasset. Verum cum hi equites in op-
posita ripa reliquam partem equitatus naues concendere, fluminis traiiciendi causa, vi-
derent, nec propter distantiam satis dignoscere possent, sociiētē essent, an hostes, & quem
in finem traiicere constituisserint, dubii & incerti, quid agerent, hæserunt, & interim Prior
in latebras alias se abdidit. Et quamuis paulo post ex vexillis socios adpropinquātes co-
gnoscerent, tamen antequam hi, qui in sinistra ripa erant, inteligerent, quid molirentur il-
li, qui ex altera veniebant, tantum temporis īsumptum est, vt omnis rei benē gerendæ
occasio elaboretur. Interea Rex incepérat conualescere ex pericolosissimo suo morbo:
quo durante, cōperat etiam laborare Regina Anna ex febri putrida, ex qua intra paucos
dies mortua est cum incredibili dolore Regis, propterea quod moribus ipsius omnino re-
sponderet, & singulari bonitate prædicta esset. Recuperatis pristinis viribus cum antea no-
liisset in Lusitania ingredi, nisi tota pacata esset, & iam Priorem viētum latibula querere
videret, contulit se Eluas, primam Lusitanīæ ciuitatem, in qua à Lusitanis summa cum læ-
titia exceptus fuit. nam in illa, & aliis ciuitatibus, Castellæ vicinis, nō sunt ita Hispani exos,
vt in reliquis. Ibi sustulit portoria, quæ soluebantur tam in Castella, quam in Lusitania pro
mercibus, quæ hinc inde exportabātur, & importabantur: & quotannis ad centum quin-
quaginta millium ducatorum summā ascendere putabantur. Constituit prēmium 80. mil-
liū ducatorum illi, qui occidisset Priorem, tanquam per duellionis reum, & publicæ pacis
perturbatorem. Indixit conuentum omnium ordinum regni ad X V. diem Aprilis To-
marum, quo se conferre constituerat. Et erat communis opinio, & summa expectatio fo-
re, vt eo in loco omnibus Lusitanis qui in Regiam Maiestatē deliquerant, venia daretur: vt
illi, qui officium fecerant, præmiis adficerentur, deniq; vt omnes in vniuersum multa be-
neficia consequerentur, & ciuitatibus regni, quidquid peterent, concederetur. Non re-
stabat in continenti villa ciuitas aut oppidum, quin regi Hispaniæ iuramentum fidelitatis
præstariisset. Postquam enim Prior Viana aufugisset, omnia ab Hispanis in potestate redi-
cta fuerunt: arces & oppida Africana, & insula Madera parebant: ex partibus vero
remotioribus propter temporis breuitatem nondum quidquam certi haberi potuerat.
Supererant septem insulæ Terceræ, quæ nondum Regem pro domino agnouerant: im-
mo, fama erat reliquas omnes, præter insulam S. Michaelis, ipsius imperium recusare. Et
quanquam non magni momenti esse viderentur, & fere nullo in pretio haberentur: ta-
men propter hanc contumaciam aliquo in numero esse cōperunt. Porro cum septem
sint, tamen fere omnes paruæ sunt, & incultæ. Insula S. Michaelis, centum miliaribus,
quam reliquæ, Hispaniæ propior, est omnium optima, & habet Episcopum, cui etiam
inspeccio reliquarum insularum competit. Præcipuum eius oppidum Punta Delgata vo-
catur. Quæ post illam reliquis melior est, appellatur nomine generali Tercera. Hæc est
fertilis: & natura ceteris munitior. Angra est oppidum eius maximum, à quo Episcopus,
cuius mentionem feci, denominatur. Reliquæ, nimirum insula S. Matiæ, Faialis, Pici,

Gotui,

Corui, & Florum, sunt minores, & quædam plane desolatae, quædam paucos habitatores habent. Incolæ harum omnium sunt homines superstitionis, & vani: cumque, nescio quibus somniis fascinati essent; iam inde à tempore prælii Africani nunquam sibi persuaderi passi fuerant regem Sebastianum in eo occubuisse: & quamuis hæc opinio aliquando in toto regno inualuisse: tamen hic diutius quam alibi, durauerat, & quantumuis de mutationibus rerum, quæ in imperium Regis Henrici, & gubernatorum inciderant, certiores facti essent, tamen nihilominus sperabant fore, ut Sebastianus ex improviso compareret. Ceterum Antonio rege salutato, videbantur quodammodo errore suum agnouisse. Cum enim ille statim in omnes has insulas cum litteris ad magistratus ministros suos mississet, qui possessionem earum ipsius nomine occuparent, prompte imperium Prioris reperunt, & ad iuramentum fidelitatis præstandum miserunt Stephanum Sylueram, & Melchiorem monachum Franciscanum: qui cum Lisbonam appulissent, non potuerunt ad Priorem peruenire, quod ille iam prope Alcantaram victus Portum versus fugisset. Verum illi, qui victoriam Hispanorum parvi faciebant, Priorem secuti in ciuitatem Portus omnium Insularum nomine ipsi iuramentum præstiterunt: & deinde mense Novembri anni octagesimi in Insulam Terceram reuersi, retulerunt, quid effecissent. Addebat autem ANTONIVM quidem prope Alcantaram prælio superatum fuisse: sed illum ex regione, inter Dorium & Minium sita, triginta millibus militum collectis, ad vindictam de Hispanis sumendam redire: & licet postea de integra PHILIPPI victoria, & Antonii fuga certiores facti fuissent, tamen in sententia perseuerarunt, in qua magis magisque confirmati fuere, propterea quod ministri PHILIPPI neminem eo misissent. Econtra ANTONIVS, & Comes Vimiosius per litteras & per nuntios diligentissime illos, ut in fide permanerent, hortati fuerant: cumque Comes eo ablegasset ANTONIVM SCALINVM Gallum cum litteris, quibus gratias ipsis pro tam constanti benevolentia nomine Prioris, agebat, populi illi lætitia ita exultarunt, ut Scalinum Angræ cum solemnis processione exciperent: coque sub pallio in templum Misericordiae deducto, concionem habuit Melchior Monachus, & consilia illorum voluntati diuinæ consentanea esse dixit.

Missam celebravit Blasius Camellus monachus, qui in oratione clara voce precatus est pro duobus regibus simul, nimirum pro Sebastiano & Antonio: & vulgo, quod ipsum interrogabat de rebus Sebastiani, respondit, se illi exhibitum Sebastianum die quarto Augusti. Incolæ insulae Sancti Michaelis, apud quos non erant seditionis homines, quillos instigarent, ut siebat in Tercera, & qui erant natura aliquanto quietis amantes, ad uante Episcopo qui regi Philippo addictus erat, nihil admiserunt eorum, in quibus ceteri peccabant, sed semper Regi Philippo obedientissimi fuerunt. Cum autem Rex de his omnibus certior factus esset, voluit experiri, num qua ratione sine armis populi illi rebelles ad obedientiam perduci, & error à ministris commisus, licet pene sero, emendari posset. Vi enim illas occupare videbatur difficile, ppter ea qd Tercera natura munita & aspergitim scopolis circumdata esset, quodque mare illud tempestibus ita agitaretur, ut non nisi spatio duorum, aut trium mensium tutam stationem ibi naues haberent. Putabatur hec res esse longe maioris momenti, qd hactenus existimatuerat, non propter bonitatem ipsius loci, sed propter situm. Nam in illas insulas necessitate pene ineuitabili adpellere coguntur naues, quæ ex mundo nouo, & Indiis tam Orientalibus quam Occidentalibus veniunt: & si Gallieas occupassent, maximo Hispaniæ damno adfecturi videbantur. Quia de causa Rex eo misit Ambrosium Aguiarium cum litteris, & delictorum veniam si incolæ, Antonio deserto, Regiae Majestatis partes sequerentur. Hic cum in viciniam Angræ peruenisset, & litteras per quendam in oppidum misisset, insulares consilio contiocato, deliberare coepérunt, quid agendum esset. Et quia iam ante populi illi multum sibi licenter, & magnos spiritus supererant, mirabiles sententiae dictæ fuerunt. Diuites enim, qui ad priuata commoda respiciebant, libenter Regini imperium receperissent. Cum enim omnes ipsorum redditus consistenterent in frumento, quod in Lusitania solent vendere, videbant se nusquam alibi illud posse distrahere. Verum cum pauci essent, nec aperi, quid sentirent, proferre auderent, ambiguæ loquebantur. Pauperes, qui, quo minus frumenti ex insula exportaretur, eo vilioti pretio illud se comparatueros animaduerterent, nec de commerciis cum Lusitanis vel tantillum solici essent, pettinacissime Antonio adhærebant. Multi præ iracundia fere in rabiem acti dicebant, Ambrosium Aguiarium esse admittendum in oppidum, in carcерem coniiciendum, & tanquam tyranni legatum punietum: alii sine responso dimittendum censebant. Nonnulli optimatum, qui sibi in venie concessione non comprehensi esse videbantur, magno regi impedimento fuerunt. Cum enim

de venia impetranda penitus desperarent, obstabant, quæ minus plebs etiam cum pro domino agnosceret: imo ut potius ita Philippum offenderet, ut omnis spes reconciliationis deleretur: & in ea re tam sedulo laborabant, ut dimisso Ambrofio Aguiario, qui in insulam Sancti Michaelis, vbi gubernatoris munere functurus erat, nauigauit, curarent celebrandam missam, in qua totus populus iurauit se pro Antonio vitam profunde re semper paratum fore. Confirmabant autem insulares in sententia vani quidam rumuscui, qui sparsi fuerant. Etsi enim Prior adhuc in Lusitania latitaret, Galli & Angli, qui in insulam adpellebant, ut eo magis animos, & benevolentiam incolarum sibi conciliarent, dicebant Antonium in Anglia, & Gallia honorificentissime exceptum, ingentem exercitum conscribere. Porro cum gens illa ita affecta esset, ut ipsi quiduis fere persuaderi posset, ex fæce plebis prodiit faber ferrarius, qui magna turba cōmitatus vatēm se profitebatur, & decimo die Martii Regem S E B A S T I A N U M in insulam certo venturum, prædicebat. Cum autem dies ille cum incredibili populi expectatione illuxisset, in alto animaduersa fuit nauis satis magna, cuius conspectus ita vulgi animos commouit, ut, fabro alta voce, regem in ea esse, clamante, promiscue omnes ad littus properantes expectarent, dum S E B A S T I A N U S adpelleret. Quamvis autem nauis a lium cursum teneret, nec insulæ vlo modo appropinquasset, tamen populus vanam illam opinionem non depositus: imo fuerunt, qui dicerent ē nauis tres homines in nauiculam descendisse, & in monasterium Sancti F R A N C I S C I ingressos esse. Adfirmabant autem tres illos esse regem Sebastianum, Christophorum Tauoram, & Xariffum. Cuius mendacii falsitas, quamvis facile detegi potuisset, tamen Deus propter peccata huius gentis illud non permisit: imo cum ex vno dubio in aliud decurrent, quasi fato quodam fieri videbatur, ut incerti, & suspensi hærerent. Monachi enim Franciscani (quos tamen veritatis amantiores esse decebat) animaduertentes populum putare regem esse in illorū monasterio, illū in errore confirmarunt, & rem ita se habere professi sunt. Ut autem hoc eo facilius hominibus persuaderent, hinc magnum silentium simulantes, illinc innuentes se habere hospites eximiæ dignitatis, petebant commodato (secreto quidem, sed ita tamen ut facile res emanaret,) lectos ē serico, vasa argentea, & alia ad supellecilem regiam spectantia. Curabant etiam confici vestimenta, portas maiori, quam pro more, cura cludebant, & pro concione dicebant, se illis non vnum, sed duos Reges indigenas exhibitos. & erant, qui quod in missis pro Sebastiano, & Antonio preces concipi audirent, existimarent non Sebastianum, sed Antonium esse in monasterio. Neque enim de ipsius discessu Viana, quidquam certi allatum fuerat. Transtulerat ad se fere totius insulæ imperium Cyprianus Figueredus, ex domesticis Comitis Vimiosii, qui iudicis officio fungebatur. Hic, cum Hispanis aduersaretur, & cum monachis consentiret, consilia monachorum adiuuabat, & totos dies in monasterio consumendo, stolidum vulgus in opinione, quam de prælentia regis conceperat, non mediocriter confirmabat. In rebus ad religionem spectantibus non valde constantes se insulares gerebant. Cum enim propter nimiam licentiam insolentes fierent nonnulli concionatores, & sibi plus auctoritatis, quam par erat, arrogarent, promittebāt absolutionē, & multa alia, quæ non erant in ipsorū potestate, subobscure innuentes, se de ecclesia noua, suo arbitratu instituenda, cogitare. Quia vero Iesuitæ vel conatibus ipsorū se opponebāt, vel saltē ab ipsis dissentiebant, ianuis omnib. & portis monasterii calce & lateribus obturatis, veluti carceri cuidā inclusi fuerant. Porro, quamvis hæ insulæ non omnes Regem pro domino agnoscerent, nec nisi tractu temporis subigi possent: tamen, quodāmodo bellum confectū & Philippus copias satis numerosas, nec vllum hostem, in quæ illas conuerteret, habere videbatur. Et quia iam iter ingressi erāt milites Hispani, qui in Belgico stipendia fecerāt, & ex Italia in Lusitaniam cōtendebant, vna cū nonnullis aliis, qui nuper conscripti fuerant, rumor erat, regē exiguo aliquo numero addito, ingentē exercitū cogere nullo negocio posse: & hac de causa Papā, in munere sibi cōmiso vigilante, denuo vrgere, ut expeditio susciperetur in Angliam, quæ sedi Romanæ non parebat: & Regi Philip. polliceri, si ille classem instruere, & ad occupandum Angliam mittere vellet, se expeditionem adiuturum thesauris Ecclesiæ, & Cruciatam, contributionem eorum, qui alioquin essent immunes, & subsidia concessurum, gratiamque ipsi facturum millionis auri, quem Rex sedi Romanæ deberet ratione redditum, quos sub nomine depositi perceperat ex Archiepiscopatu Toletano, interim dum Archiepiscopus ab officio suspensus esset. Sed Rex, qui in tam recēti possessione Lusitanæ incolas nondū satis pacatos cerneret, existimabat sibi prius res huius regni cōponendas & stabiliendas esse, quam ad nouam expeditionem animum adipicaret. Veruntamen eum Papa eum stimulare non desisteret, diceretque iustum exercitum in illis partibus cogendo, non tantum

rantum Lusitaniam, sed etiam Hispaniam vniuersam, & Galliam in officio contineti posse, credibile est illum bonam partem illarum copiarum, si minus in Angliam, saltem in Hiberniam missurum fuisse, si ministri Pontificii, vel certi aliquid hac in re statuere ausi, vel Iberioribus mandatis instructi fuissent. Cum itaque nec incommoda, quibus milites obnoxii erant, nec sumptuum magnitudo moram paterentur: & Roma tanto interuallo distaret, nihil communis consensu conclusum fuit: & Rex, Italis dimissis, & militibus, qui initinere erant, eō vnde venerant, regredi iussis, reliquum exercitum hinc inde in praesidiis collocauit.

Liber Octauus.

ARGUMENTVM.

In hoc libro continentur querela militum: quomodo Rex Philippus iniuserit Catharinam Duciissam Bragancia: iter regis Tomarum: Venia generalis: Conuentus, in quo regi, & Primogenito illius Iacobo iuramentum praestitum fuit: Postulata oratione: Regis ingressus in urbem Lisenbonam: insuffit successus militum Petri Baldesii in Insula Tercera: Antonii abitus e Lusitania, & aduentus in Galliam: Adpulsus Lupi Figueiroe in Insulas Terceras, & redditus eius, omni fructu carens: apparatus Insularium: status rerum in Gallia, & Belgico: beneficia a rege potentibus collata: varie sententiae de iisdem conferendis: expeditio contra insulas suscepta: apparatus bellica regis Philippi, & Gallorum: classis tam Gallica, quam Lusitanica & navigatio in insulas Terceras.

DN medio horum bellorum inter curas & cogitationes de perturbato Regni statu, & de periculis imminentibus, venit Lisenbonam Franciscus Villafagna, Doctor Iuris, & auditor consilii regii Castellæ (hoc autem supremum regni Hispaniæ tribunale est) & attulit Albano litteras, quibus illi iniungebatur, ut Villafagnam in rebus, quæ ipsi mandatae erant, exequendis adiuuaret. Cum autem mandata statim exposuisset, quæ nihil quod maioris momenti esset, continebant, sed tantum, ut vna cum reliquis ministris interesset computationi rationum exercitus, & mandatis de solutione subscriberet, visum fuit hoc munus minotis ponderis esse quam vt ad illud exequendum vir tantus mitteretur. Vnde nota est suspicio sub simplici hoc praetextu latere maius aliquid: & vulgo existimari cœptum, eum venisse ad inquisitionem instituendam in exercitum, & ipsum Albanum: quod quidem inuisitatum, & monstri simile erat. Quamvis autem Albanum facilius hoc artificium, quam reliquos, subodoratum fuisse verisimile sit: tamen simulauit se nihil horum intelligere, & humanissime habuit hunc Doctorem, eumque etiam ad deliberationes de bello, aliisque rebus grauissimis, (quæ tamen ad ipsius officium non pertinebant) adhibebat. Reliqui ductores & milites Hispani, qui non tam bene dissimulare didicerant, liberius de hoc negotio loquebantur, & aliquanto impatientius, quam Albanus. Dicebant hanc esse nouam, & hactenus incognitam iudicii formam. Nam necessario rem fore, aut duci cum exercitu, aut exercitu cum hostibus: nec se videre, quinam inter se litigaturi essent. neque enim milites vel posse, vel debere accusare ducem: neque hostes contra exercitum victorem audiri fas esse. Et si forte res tam stupenda eueniret, credibile esse, fore etiam, vt hostes declararentur subditi fideles, & rebellis exercitus, qui Regnum in Regis potestatem redegisset. Quærebant, qua in re peccasset Albanus? Vtrum peccasset vt gubernator, an vero, vt Dux belli? Ut gubernatorem cum non peccasse dicebant, propterea quod nihil, etiam in rebus minimi momenti, inciso rege, statuisset, præterquam quod etiam non nisi paulo amplius duobus mensibus gubernatoris munere functus esset. Si vero peccasset, vt Dux belli, quærebant, quid legibus negotii esset cum armis, & stylo militari cum ciuili? Etsi autem talia milites dictarent: tamen non valde eos culpa, quæ Duci imputabatur; mouebat, quod putarent, quidquid esset, dignitatem, & innocentiam facile illum ab omni periculo vindicaturam. Propria autem mala, & incommoda illos præcipue mouebant. Amittebant enim spem præmiorum; quæ pro laboribus præteritis se consecuturos putaran. quandoquidem ex hac ultima expeditione, in qua regi tam strenuam & fidelem operam nauassent, sibi penas potius, quam testinicatione, expectandas esse intelligeret. Existimabant Regem non considerasse;

quod ipsi acquisiuisserent regnum spatio quinquaginta dierū , prorsus eo modo (vt ipsissimis verbis vtar) quo regnū celorum adquititur : nimur comedendo pātem , & bibendo aquā , & à rebus alienis abstinentio : & hoc dicebant , quia solo buccellato vixerant , nec vi- lius loci , muris cincti , præda ipsis concessa fuerat . Ferebant ægerimē se obnoxios esse calumniis aulicorum otiosorum , & baccalaureorum (ita enim milites Hispani in contemptū legū , & iustitiæ vocant etiā præcipuos Doctores Consilii Regii) qui Badagozii subsisten- tes in maximo æstu vina glacie refrigerata bibissent , nasoq; suspendissent eos , qui in belli- cis periculis versabantur . Commemorabant quantum miseriarum in mari , ex Italia in Hi- spaniam nauigantes , experti essent : cum quanta fame in Hispaniis , cum quantis caloribus in Extrematura , cum quam violenta peste in Lusitania conflictati fuissent : denique seue- ram Albani disciplinam , & furcæ supplicium , omni minimo delicto constitutum , inculca- bant . Addebat regem , ne impunita (vt ita dicent) maneret altera victoria , prope Portum obtenta , mississe alium Doctorem ad inquirendū in actiones Sancii Aulæ , & copia- rum , quas ille habebat , & quæ regi integrā regni possessionem acquisuerant . Sane ve- rum erat , missum eo fuisse Franciscum Tedaldum , auditorem tribunalis iustitiæ in Galicia : qui magna severitate inquirebat in omnia peccata vel Aulæ vel militū , Aiebant satis con- stare quanto interuallo in aula regis littet : armis anteponerentur , propterea quod illi , qui togati huic expeditioni interfuerint , militibus fructum suorum laborum , & profusi san- guinis præmia præripuerint . Regem enim huiusmodi hominum desiderio cumulatissi- me satisfecisse , reliquis neglectis . Ad hoc probandum sigillatim enumerabant munera & officia , quæ Duci Oſtinensi , & ceteris legatis collata fuerant . Cum enim certum sit , proceres Hispaniæ ad nullam aliam dignitatem maiori cum diligentia aspirare , quam ad Vicariatum regni Neapolitanī , ad quem illi per multos gradus ascendere student : regem hunc Ducis Oſtinensi referuasse . Reliquos vero Hispaniæ Barones , & nobiles hoc unum in votis habere , vt fiant cubicularii Regis : & hunc locū Regem Christoph. Moro vna cum aliis totius Lusitanie fructuissimis officiis assignasse . Quod ad togatos , qui consiliū regi membra sunt , dicebant hos ad nihil aliud aspirare posse , quā vt cooptentur in consiliū Ca- mere , q; est tribunal , constans ex tribus aut quatuor doctoribus delectis , qui vna cum rege de venia delictorum concedenda , & de aliis rebus (quas illi gratias appellant) deliberant . Et hoc officium , cui præterat Rodericus Vasquevus , attribuisse Regem Ludoico Molinæo , quem alii cuidam antiquiori prætulisset . Hæc & alia , etiam inconsideratoria , milites li- centia quadam militari effutiebant . Et licet fortasse à veritate non multum aberrarent : tamen homines , qui affectibus hac in parte nihil tribuebant , illos superiora omnia im- merito exaggerasse , & rem mali exempli esse iudicabant . Neque enim mirum videri debere , si Rex , cui consideranda essent multa , quæ hominibus priuatis ne quidem in mentem venirent , præbūisset aures crebris querelis , quæ ad ipsum de militibus defere- bantur , & quomodo res se haberet , indagare voluisset . Neque credibile esse Villafagnam , & Tedaldum habuisse potestatē de huiusmodi rebus sententiam profundiandi , sed tan- tum veritatem inuestigandi . Et quod Villafagnia mandata arcana accepisset , signum fui- se prudentiæ & modestiæ regis : nimur , vt hoc remedium esset quām lenissimum , & ne quā Albano & inferioribus ducibus nota inureretur . Neque esse , quod milites puta- rent , vel sibi licere regnum illud pedibus conculcare , & devastare , sicut rebelles Belgici prouincias , & ditioinem Regis alicuius iniunsci , vel propriæ Lusitanis conuenire no- men odiosum rebellium ; & perfidorum , quantumvis fortasse non male subditi inquieti , commoti , & à nouo iugo suscipiendo non nihil alieni votari possent . Hæc missitationes aliquandiu durauerunt . Ceterum cum commissarii nec punirent , nec in iudicium vo- tarent quenquam , paulatim indignatio militum fuit mitigata . Cui rei adiumento etiam fuit , partim Villafagnæ prudentia , partim , quod inquisitione instituta , querelas ad re- gem delatas nullo fundamento nisi reipsa animaduertēret . Appropinquabat interim dies , in quem Rex conuentum procuratorum indixerat : sed pritis quam Tomarum (qui lo- tus comitiis destitutus erat) proficeretur , voluit inuisere Catharinam , vxorem Du- cis Braganciæ , quæ hanc ob causam Villauizosa Villaboinum excurrerat , quo Rex b- mnibus Hispaniæ proceribus comitatus , cum se contulisset , & cum illa fere medium dici partem familiarissime colloquendo triuisset , Tomarum discessit . Neque vero eo in loco statim promiscue tot , & tanta beneficia contulit , vt expectationi Lusitanorum satis- faceret . Cum enim (vt supra attigimus) consilium Lusitanæ ex hominibus præcipue dignitatis constituisset , in illud omnia negotia resiciebat , nemine omnino ex Hispanis Lusitanicis rebus sese ingerente : & ita eueniebat , vt fere nemini vel in danda audientia , vel in negotiis expediendis satisficeret . nam nec Rex multum properabat , & ministri tum

numero, tum pondere libellorum supplicum obruebantur: nec propter difficultates, & intricatas consequentias responsa dare, & certi aliquid statuere poterant: & ita negotiorum expediendorum spes in solo temporis progressu sita erat. Vnde dicebant Lusitani, Regem quidem literis, verbis, & habitu benignitatem magnam, & benevolentiam erga Lusitanos, & insignem liberalitatem praese ferre: sed tamen re ipsa (sive hoc ipius, sive ministrorum vitio eueniret) nondum quenquam vello beneficio adfeciisse. Duci Bragançia, qui amplissima quæque sibi pollicebatur, tum temporis nihil omnino datum fuit, propterea quod in petitionibus suis modum omnem excessisset: Tantum confirmata ipsi est Conestabilis Lusitanæ dignitas: & creatus fuit eques Aurei velleris, & à rege in usitato honore (nam illum quoties Missæ intereriset, in templo prope se post peripetasna consistere volebat) affectus, nihil tamen obtinuit, quod vel diuitias, vel potentiam illius augere posset. Antequam deliberationes vllæ ab ordinibus instituerentur, regi solita cum ceremonia iuramentum præstitum fuit, & paulo post etiam filio primogenito, idq; in monasterio monachorum ordinis Christi (qui ordo tantum in hoc regno inuenitur) vbi ille diuersabatur, eodem modo, quo tempore Henrici Regis factum fuerat, aliquanto maiori tamè cum pompa (propterea quod hoc fieret in publico ordinum conuentu) quamquam cum minori applausu hominum, qui non tanto amore Regem quanto Henricum, prosequebatur. Veruntamen fuit spectaculum satis magnificum propter concursum nobilium, & propter maiestatem Regis, & propter vestem auro intertextam, qua Henricus, utpote Cardinalis, non fuerat indutus. Ibi publicauit eam, quæ tanto cum desiderio expectabatur, omnium delictorum veniam, quæ quamvis generalis vocaretur: tamen Lusitani eam iudicabant restrictam, captiosam, & conditionalem. Ignoscebat Rex generaliter omnibus illis, qui ipsum Prioris partes sequendo, offendissent: sed speciatim excipiebat multos, & nominatim quinquaginta duos, quorum præcipui erant Prior, Comes Vimiosius, & Episcopus Guardensis: non ignoscebat cuiquam ex monachis: declarabat inhabiles, & incapaces omnes eos, qui Priori operam natassent, & ab illo vlos honores, commoda, officia, & munera accepissent, ita vt nunquam imposterum ad vllum officium, à rege conferti solitum, admitterentur, nec ijs, quæ prius ipsis collata fuissent, defungi possent. Itaque vulgo dicebatur, veniæ concessionem nemini prodeste, nisi illis, qui vel leuiter peccassent, vel nihil, quod ipsis eripi posset, haberent. Hæc res valde irritauit animos Lusitanorum, quod se frustratos viderent maxima spe, quam conceperant, fore vt beneficio huius condonationis ab omni pena liberarentur: neq; tamen, vt quidquam hac in parte emendaretur, vllis clamoribus obtinere potuerunt: imo paulo post per Edictum fuerunt citati illi, quibus venia concessa non fuerat, vt, causa cognita, quamprimum sententia in eos ferretur. Interea conuenerunt procuratores Regni, & 19. die Aprilis primus actus comitiorum institutus fuit. Habuit orationē in præsentia Regis Episcopus Leiranus, nomine Antonius Pignerus, & initio ostendit, Spiritum sanctum solere adesse huiusmodi conuentibus, & ex ijs multum vtilitatis ad subditos redundare, & morem regum superiorū, quem in conuentibus indicendis obseruassent, sequi iam Philippum, ipsorum vestigiis insistentem, & cupere ab ordinibus pro sua prudentia, fide & amore de rebus, ad communem totius regni vtilitatē pertinentibus, edoceri. Amplificabat condonationē delictorum, eamq; vocabat fructum clementiæ regiæ, & fundamentū esse dicebat, cui spes maiorum beneficiorum inniteretur. Postremo prædicauit magnitudinem amoris erga subditos & benignitatem regis promittens fore, vt benefacta, honores, & præmia, crescerent, vna cum fide, & obedientia quam subditi deinceps ipsi præstituri essent. Ad hæc breuiter responsum fuit à Damiano Aguiario Doctore, & uno ex procuratoribus Lisybonensibus. Agebat regi gratias nomine vrbis, & incolarum totius regni, tum propter delictorum condonationem, tum propter ordinū regni conuocationē, & omnes R. M. debitā obedientiā exhibere paratos esse dicebat. Petierunt deinde in vniuersum omnes & singuli procuratores ea, quæ videbantur: & concessa fuerunt à rege multa, vt, ordo equestris, redditus ad vitam, officia, item pecunia numerata: octo aut decem ex inferiori nobilitate ad dignitatem, & gradum superioris cuesti fuerunt: & similia: idque more potius Hispaniæ quam Lusitaniæ, in qua procuratoribus haec tenus nihil concedi consueuerat. Regno generatim plus aliquanto largitus est. Concessit enim omnia fere illa, quæ supra à Duce Ossunensi (sub hac conditione, si regni incolæ sponte sua regis imperium reciperent) gubernatoribus promissa fuisset diximus: exceptis illis capitibus, quæ ad præsidia, ad nauigationes Americanas, & occidentales, & æquale cum Castellanis in castella ius pertinebant. Dicebat enim Rex, antequam tale quid concederet, prius agendum esse cum ordinibus Castellæ, utpote de quantum præiudicio hac in parte quæstio esset:

Exhibitum fuit regi à procuratoribus prolixus catalogus eorum, quæ petebant, & quæ in regni gubernatione obseruanda iudicabant. Præcipua capita erant, ut vxorem Lusitanam duceret: ut filium primogenitum, in Lusitaniam missum, ibidem educari curaret: ut regnum Lusitanæ semper separatum maneret à reliquo Hispaniæ regnis, peculiaremque monetam retineret, vna cum multis aliis rebus quæ ad portoria omnia imminuenda, præsidia auocanda, iudicia constituenda, & similia pertinebant: ex quibus tunc temporis nihil concessum fuit, nisi pauca quædam minoris momenti, & ad reliqua omnia in margine responsiones, dubiæ spem facientes, notatæ fuerunt. Nobiles, qui, quia maxima ex parte contra regem arma non cœperant, preclare se de ipso meritos esse putabant, delegerunt ex suo ordine triginta, qui à rege nomine nobilitatis multa peterent: inter cetera, ut nobilibus concederetur iurisdictionis in subditos: ut doctores, qui magistratus præfuerint, solius nobilitatis censuræ obnoxii essent: ne rex quenquam nobilem crearet, nisi ob merita eximia: & ne ista nobilitas transiret ad hæredes, nisi hoc diserte expressum esset: officia regni præcipua, quælibet sunt Capitancorum maiorum, trium Provisorum Armamentarii, dominus Indicæ Telonii, solis Nobilibus conferrentur, & alia huiusmodi, quorum nihil omnino illi obtinuerunt. Multi denegationem harum petitionum, & quod Rex in aliis multis rebus minus ipsis satisfaceret, non imputabant neque naturæ Regis, neque petitionum iniquitati: sed maxima ex parte conquerebantur de illis Lusitanis, qui gratia & auctoritate apud regem pollentes, rerum summam administrabant.

Fuerunt eo tempore complures, qui auctores essent Academiæ Coimbriensis existi-²⁰ pandæ: & multas rationes politicas hoc studere, dicerent. neq; enim tutum esse in regno, recens occupato, permettere congregationem trium aut quatuor millium iuuenum, qui pene omnino iurisdictioni regiæ exempti essent: imo posse eam appellari seminarium tumultuum, & militiam quandam Antonianam, procluem ad partes cuiuslibet alterius rebellis Lusitani amplectendas. Ex huius autem incommodi temotione promanaturam magnam utilitatem. Fore enim, ut Lusitani in Academias Hispaniæ profecti, & feruiderem atque partem ibi consumerent, & contracta cum Hispanis familiaritate, in Lusitaniam regi fideliores, & ad togatae militiae, & iustitiae munera aptiores, reueterentur.

Addebat Iurisconsultos Coimbrienses verbis & scriptis obstinatissime ius Regis impugnasse: imprimis autem eo tempore, quo Rex Henricus in partem Ducissæ Bragançæ inclinasset: & nonnullos, adfectibus nimis indulgentes, in publicis lectionibus detor-³⁰ sisse contra Philippum non tantum leges imperiales, sed etiam sacros Canones, interpre- tando illos præpostere, & sibi ipsis contradicendo, & hanc ob causam illos pœna esse dignissimos. Etsi autem hæc opinio satis fundamenti habere, & à multis Lusitanis approba- ri videbatur: tamen Rex siue innata clementia, siue bœnitatis caritate, & potentiaz fiducia impulsus, aut saltem amore, qui ipsis à natura erga Lusitanos insitus erat, motus, aut quæcunque tamdem causa esset, non tantum sibi illam scholam consertiandam, sed etiam in fi- dem & tutelam recipiendam duxit: & priuilegia, ac immunitates, quibus gaudebat, con- firmauit. & non tantum benigne in gratiam recepit doctores, qui contra ipsum legerant, & scriperant: verum etiam heroicæ quadam animi bonitate præstina loca & stipendia illis 40 conseruauit, & si quæ ampliora vacarent, ad illa eos promouit. Interim Pontifex cum vi- deret Antonium Lusitaniam defendere nō posse, nec nullum transactioni locum relictum, legato reuocato, præ se tulit magnam voluptatem ex felicibus Philippi successibus se per- cipere, nihilque aliud se spectasse, nisi vt belli incommoda evitarentur. Cum ergo filio noua beneficia, aut saltem spem certam à Rege impetrasset, consensit in gratiam illius, vt de causis rebellium Ecclesiasticorum, & de bonorum eorumdem confiscazione, exclusa omni adpellatione, iudicaret Georgius Dataidius, Episcopus olim Viseuensis, & Pontificis Ca-⁵⁰ pellanus maior. Itaque Prior, (qui fato quodam capitalibus sententiis obnoxius erat) & Episcopus Guardensis, & reliqui, denuo per edicta citati fuerunt, vt per sententiam iudi- cialem bonis Ecclesiasticis, quæ in Lusitania possidebant, priuatentur. Ceterum de Prio- re nihil omnino intelligebatur: Et non obstante summa pecunia, quæ capiti ipsius im- posita fuerat, & labore ac industria Hispanorum, qui nihil reliqui ad ipsum comprehenden- dum faciebant, indies minus de ipso resciri poterat. Cum enim habitum hominis vili assumpsisset, incognitus interdum transibat per medios illos, qui ipsum quærebant. Intel- lectum erat Comitem Vimiosum terrestri itinere in Galliam penetrasse, & vt Gallos ad bellum regi Philippo inferendum permoueret, illis populi Lusitanæ auxilia, & promptitudinem prædicare. Quæ de causa, & quia, ubi Prior esset, incertum erat, Rex totum pe- ne exercitum per arces, & oppida dispergierat. Et quamuis Italiam dimisis, maiorem pat- tem triremum in Italiam misisset, tamen fama erat, eum paulo post eius consilii penituis- fe, quod

se, quod ipsi Regnum indies minus pacatum videretur: & quod existimaret Gallos breui temporis spatio colligere posse satis magnum numerum nauium armatarum, & ad illud mare accommodatorum, quam sint triremes: quarum quatuor prope littus regni Algarbii non sine sanguine cooperant nauim cuiusdam pitatae Galli, equitis Melitensis, quae diu fortissime restiterat. Hæc præsidia militum, Asperitas ministrorum, in beneficiis, & præmiis concedendis tenacitas, & opinio, quasi Prior esset adhuc in Regno, incendebant animos Lusitanorum, qui nonnunquam inter se duram, ut ipsis videbatur, suam sortem deplorabant. Dicebant se sero agnoscere errorem suum, quod non concordibus animis, & communis consensu vel strenue se defendissent, vel tolerabilibus conditionibus deditio[n]em fecissent: quanquam maior pars existimaret, si omnes vires coniunxissent, resisti Hispanis potuisse. Ägre etiam ferebant ministros Hispanos interdum se rebus, ad iustitiae administrationem pertinentibus immiscere conari. Nihil faciebat ad indignationem Lusitanorum minuendam, quod dicebatur Regem nullam aliam ob causam IOANNI ANDREÆ DORIÆ, principi Melitano, dedisse negotium deducendi in Hispaniam Imperatricem, sororem suam, ab illo ex Germania euocatam, quam vt illi gubernatione Lusitanie commissa, ipse in Hispaniam reueteretur. Et quod verisimile esset illam, tanquam feminam, maiori fortasse cum comitate, & clementia imperaturam, quam superiores Lusitanie reges facere consueissent. Etsi enim hæc ita à quibusdam dicebantur, tamen maior pars existimabat Regem non discessurum, donec vilo præsidio militum in Lusitania opus foret: quos amandaturum eum non esset credibile, antequam certo sciret nihil amplius esse à Priore periculi. De Priore porro variaz erant opiniones. Quidam enim existimabant eum occisum, & spoliatum fuisse ab Hispanis, quos probabile erat mortem ipsius celare, ne rationem reddere cogerentur lapidum pretiosorum, quos ille secum ferebat. Alii dicebant eum scripsisse in Galliam, & Angliam, vnde validam classem expectaret, &c, vbi illa adpulisset, eum rursus in lucem proditurum. Complures etiam suspicabantur eum decreuisse latitare in regno, donec PHILIPPVS, qui non diu victurus videbatur, (quantumvis inter vtriusque ætatem non multum interest) moreretur: & eo tempore comparentem (vti etiam post HERICU[m] mortem fecerat) denuo regni possessionem apprehensurum, maxime regnis Hispanie in pupillorum manibus versantibus. Etsi autem non deerant, qui putarent eum regno excessisse: tamen maior pars iudicabat, eum adhuc in Lusitania esse, & quam posset, secretissime abitum parare, verentem ne aliquando in hostium manus incideret. & ita res habebat: id quod intellectum fuit, vbi in portu Lisbonensi nonnulli ipsius amici capti fuissent, qui, cōmeatu iam parato, de naui Priori prospicere conabantur. Hi questionibus subiecti confessi sunt, illū adhuc esse in Regno: & inter illos erat Petrus Alpoeus, Iuris Doctor, qui deinde cū propter hoc, tum propter alia læsa maiestatis crimina Lisbonæ capite truncatus fuit. Interea finis comitatum instabat, & Rex Lisbonam proficisci cupiebat: verum, quia pompa & arcus triumphales, quibus Lisbonenses ipsum excipere constituerant, nondum parati erant, contulit se Almadam (oppidum è regione Lisbonæ in sinistra Tagi ripa situm) ut interea apparatus perficiendum tempus ciues haberent. Cum autem hoc tempore intelligeretur, incolas insularum Terceratum, nulla habita ratione litterarum, quas Ambrosius Agustianus attulerat, in pristino se se defendendi instituto perseverare, Rex eo misit Petru Baldesium cum quatuor nauibus, & sexcētis peditibus Hispanis, & aliquot tormentis maioribus: eiq[ue] iniunxit, ut possessione Insulae S. Michaelis, quæ parebat, stabilita, nauibus ex India venientibus præsidio esset, neq[ue] tamen quidquam contra reliquas insulas tentaret, nisi prius maiores copiaz submissæ fuissent. Viuebant Almadæ aulici incommodius, nec omnes ministros, quorum opera Rex ad expedienda negotia opus habebat, locus capiebat. Rex vero, Lisbonam ingrediendi auidissimus, noluit expectare ultra diem Sancti PETRI, quo flumen triremibus traiecit, & Lisbonæ ad pontem ligneum, in hunc finem extructum adpulit, ita ut deesset tempus ad perficiendos arcus triumphales, & statuas, quæ in honorem eius parabantur: quamuis etiam inertiz, & imperitiae fabrorum magna ex parte hæc culpa imputari posset: & nihilominus tamen apparatus satis sumptuosus erat. Ad pontem obuium habuit magistratum Cameræ: ex quo ordine unus, nempe Hector Pina, Doctor, nomine totius ciuitatis perorauit, exaggerans lætitiam, quam tota vrbis ex ipsius introitu perciperet: dixitque, vt Lisbona esset vrbitum totius mundi maxima, ita etiam DEI Optimi Maximi beneficio, illi ex voto eius magnum Monarcham, dominum obtigisse. Excusabat populum, ostendens eum; si non maturius regis imperium agnouisset, non tam malitia, quam errore peccasse: & si penes ipsum fuisse regem

suo arbitratu eligere; nullum alium nisi Philippum electurum fuisse: ac, facta mentione mortis Ferdinandi Pinæ, addidit hanc vrbem omnium principem sanguinem suum pro ipso profundere cœpisse, propterea quod Ferdinandus, cum iussu A N T O N I I percutetur, esset ex numero Cameralium. Excusauit etiam pompa, & arcuum triumphalium tenuitatem, quam incommodis belli, direptionibus militum & pesti bona ex parte acceptam ferendam dicebat, iniecta etiam mentione, iacturæ Africanæ. Postremo subiunxit, omnes sibi de Regiæ Maiestatis benignitate polliceri, fore, ut non tam illud regnum Hispaniæ, quam reliqua Hispaniæ regna Lusitanæ adiuncta merito dici possent. Postea Rex, equo concesso, sub vmbella aurata profectus est ad templū Cathedrale, per plateas magnifice adornatas, & cum ingenti concursu populi, qui Regis cōspectu delectari videbatur: & precibus ibi conceptis, eadem cum pompa, & tota nobilitate pede comitatus ad palatium regium se contulit. Habuerat hoc regnum intra biennium pene quinquages: id quod nusquam alibi, aut saltem rarissime euenisce credibile est. Et D E V S Opt. Max. tam breui temporis spatio ad castigandum hunc populum admiranda varietate usus erat. Omnes enim hi reges suos subditos misere adfixerunt: S E B A S T I A N U S temeritate sua, H E N R I C U S consilii, & iudicij inopia, gubernatores timiditate, & commodorum priuatorum studio: A N T O N I U S tyrannide: P H I L I P P U S armis. Verum tum temporis, cum regno pene vniuerso pacato, P H I L I P P U S in hanc vrbem, regum sedem, ingredetur, spes erat fore, ut mœror, & tumultus præteriti in quietem & latitudinem conuerterentur. Ceterum, cum paribus incommodis afficiantur populi, siue à tyrannis opprimantur, siue ipsi in indignum summam rerum transferant; in posterius hoc malum inciderunt Lusitani, dum malunt regem habere A N T O N I U M, tam parum potenterem vnam cum omnibus reliquis infortuniis, quæ ab ipso proficiscebantur; quam P H I L I P P U M potentissimum, impatientissime ferentes ipsius tarditatem in distribuendis titulis, Commendis, & redditibus regiis: vnde etiam siebat, vt desperarent de beneficiis illis ex aula Hispanica obtainendis, quæ ex Lusitanica percipere consueuerant: quantumuis Rex Francisco Sadæ, olim gubernatori, contulisset titulum Comitis Matosignosii, Ferdinando Moronhæ titulum Comitis Lignaresii, quo & ipsius pater gauisus fuerat: Christophotum vero Morum (vt supra dictum est) vnum ex supremis quæstoribus creasset, & Petrum Alcalam, abrogata regis Henrici sententia in pristinum locum restituisset. Qua in relict Rex promptus esset, & constituisset cumulatius, quam vñquam nullus regum Lusitanæ vnicuique satisfacere; tamen cum ex instituto nouo ista distributio ad supremum consilium Lusitanæ pertineret, & in illo, vt dixi, discrepantes sententiae, & variæ vel ad odium, vel ad amorem inclinationes essent; nihil certi concludebatur; & copia etiam libellorum supplicum dilationes pariebat. Omnes enim quo iure, quaque iniuria sui rationem haberi petebant, ita vt vniuersum regnum ad cupiditatem eorum expletandam sufficere non videretur: id quod cum à multis non satis perpenderebatur, dictabant Regem holle dandi initium facere, nisi ante & insulas, & Priorem in potestate haberet. Ceterum cum Rex animaduerteret has difficultates, & dilationes nasci ex multitudine consiliariorum, commodissimum factu iudicauit (regum superiorum more) negotium satisfaciendi postulatis eorum, qui præmia petebant; demandare duobus solis: nimis Antonio Pignero, Episcopo Leirano, & Christophoro Moro: fortassis quod putaret, eos minorem quam ceteros ministros, priuatorum affectum in rationem habituros: Episcopum quidem, quod propter senectutem, & inuætudinem morti vicinus (quanquam iudicio integro) esset; & cognatis destitueretur: Morum vero, propterea quæ se promotus, & in Hispaniis educatus esset, & præterea tum virtutis, tum pietatis amans haberetur. Ruebat indies in peius res Insularū Tercerarū, quarum cōmercium interdictū fuerat: & nuncii adferebantur, de peruvacia Insulariū magis magisq; crescente, ita quidē, vt extitorum auxilio implorato, Philippo imperium omnino repellere animum inducerent. Audiebatur venisse eo Petrum Baldesium, & litteras ac pollicitationes, quas nomine Regis ad insulares pertulerat, ab illis non tantum repudiatis, sed & derisas fuisse. Qua de causa Rex insulas ante finem æstatis expugnare cupiens, & rem non adeo difficultem, propterea quod exercitu destituerentur, iudicās, instruebat classem, & militem quem eo mitteret, ducē Lupo Figueira: qui paulo post soluit cum mandato Insulas, ad uante Baldesio, in potestatem redigendi. Interea Baldesius circumibat insulas, expectans naues Indicas, & nautæ illius saepe die & nocte in littus, vuas matutas surrepturi, descendebant: cumque ad scopulum, in quo Lusitani, exiguo vallo extructo, tria aut quatuor tormenta ex ferro fabrefacta collocauerant, aliquoties accessissent, sepe cū Lusitanis collocuti erant, ita ut alter ab altero sibi non metueret. Baldesius itaq; audita Lusitanorū incuria, & ab insularibus

bus nonnullis certior factus non paucos supereret, qui regi Philippo fauerent: s^epius cogitarat de exponendo milite, cum quo illi, qui PHILIPPO addicti erant, & in montibus esse dicebantur, sese coniungentes, iunctis viribus oppidum Angram oppugnarent, aut saltem ita pedem in insula figerent, ne tam facile inde expelli possent. Verum cum hoc consilium propter paucitatem suorum militum periculoseum, & regis mandatis contrarium esse satis perspiceret, non audebat rem aggredi. Sane cum postea intellexisset Lupum Figueroam cum maioribus copiis Lisybona venturum, cui tanquam superiori, sibi parendum esset: certo statuit Figueroam, vbi in insulas appulisset, vel vi, vel per pata eas in potestatem redacturum, sibique præzepturum eam gloriam, ad quam magnopere adspirabat. Qua de causa (tantum potest laudis cupiditas) non satis vires suas pendens, neglecto etiam regis mandato, animum induxit properare, & temere tentare, nunquid sibi successurum esset consilium, de quo sepius cogitarat: quam ad rem etiam incitamento ipsi fuerunt nonnulli insulares imperiti, quorum prompta quidem erat voluntas, sed vires exiguae. Die itaque Diui Iacobi prima luce Baldesius milites fere omnes nauiculis impositos exposuit in eo loco, in quem nautæ itare consueuerant inter Angram & Praiam: (domus Salgæ vocatur:) cumque ibi paucos, aut neminem resistentem offendissent, in insulam sine negotio descenderunt, Lusitanis qui tormentorum custodiaz præfecti erant, fuga sibi consulentibus. Hispani, tormentis occupatis, incepérunt parvulum quoddam vallum extruere, vt eo firmius pedem figere possent, & colligere eos, qui Regis Philippi partibus studebant: sed tempore exclusi fuere. Rumore enim de Hispanorum aduentu Angram perlato, classici loco campanæ magno cum strepitu pulsatæ furent, ita vt viritim audacissimi quique ad velitandum excurrerent. Quamuis autem hi non multum efficierent, sed potius in oppidum, siue metu correpti, siue saucti regredierentur: tamen impedimento Hispanis fuerunt, quo minus munitiones institutas perficerent. Et licet Hispani in eo loco ab ortu solis usque ad tempus pomeridianum substitissent: tamen nemo ex Lusitanis sese illis adiunxit. Nonnulli quidem PHILIPPO studebant, sed timebant, nec alii aliis fidebant, perterfacti præsertim exemplo IOANNIS BETANCORII, primarii ciuis Angrensis. Hic cum partes PHILIPPI sectaretur, cum centum amplius ciubus conspirationem inierat, & certo die cum sociis armatus pro plateas discurrere, & Philippi nomen proclamare cōstituerat, existimans se pro sua auctoritate, populo contra Cyprianum Figueredum concitato, regis nomine paruo negotio Insulae imperium occupaturum. Verum cum non satis examinasset iudicium, virtutem, & constantiam eorum, quos socios sibi adsciuerait (qua^m omnia necessario in hominibus rem tanti momenti ad effectum perducturis, requiruntur) spe sua, & consilii exitu, quem sibi promiserat, frustratus fuit. Cum enim multis amicis, & coniuratis comitatus, & armatus hora præstituta in forum prodūisset, regisque nomen ingeminaret, nemo se illi adiunxit: immo à plebe circundatus, male mulctatus, conuictiis proficissus, & captus fuit, non sine furcæ periculo: qua de causa ceteros vestigia terrebant. Interēt numerus Lusitanorum, quos gubernator in hostem ducturus erat, fere ad duo millia excreuerat: cumque de ratione Hispanos adoriendi deliberaretur, facile intelligebant se numero quidem vincere Hispanos, sed rursus ab illis peritia, & armorum genere superari. Monachus quidam Augustinianus (immiscebant se bello monachi non minus in hac insula, quam in reliquis Lusitanæ partibus) consilium hoc dedit, vt ante ordines militum præmitterentur satis multi boues, & stimulis, quantum fieri posset, in citati, in Hispanorum aciem impellerentur. Secutus est Gubernator hoc consilium ex quo & salus Lusitanorum, & hostium interitus dependebat. Cum à bobus ingens puluis excitatus fuisset, Lusitani ab Hispanis conspici non poterant, & boues sclopotorum ictus excipientes, ordines Hispanorum perturbabant. Hispani, qui velitando cum oppidanis globos, & puluerem tormentarium insumpsissent, tanta hominum multitudine irruente, ad littus, & naues se recipere conati sunt: sed sero, nam Lusitani, qui armento boum, veluti valli loco obiecto, sine ullo damno appropinquarunt, cum boues continuo stimularent, tanto illi impetu in Hispanos inuesti fuerunt, vt acie disiecta, cedere cogerentur: & eodem momento Lusitani eos paucis sclopeticis, sed multis hastis inuaserunt: quibus aliquandiu quidem, sed tamen infelici cum successu restiterunt. Cum enim Lusitanorum esset ingens numerus, facile repulerunt Hispanos, qui semper respicientes ad nauiculas se ad mare recipiebant: quod cum esset paulo commotius, quam cum excenderent, nauiculae littori appropinquare non poterant, & nautæ etiam sclopotorum ictus, quibus à Lusitanis impetebantur, reformidabant. Milites itaq^{ue}, vt hostium manus effugerent, in aqua ad gulæ usq^{ue} irruerant, & tamen vix poterat nauiculas assequi, persolueri-

tes peccas suæ temeritatis. Nam cum hostes eos, armis abiectis, fugere viderent, omnes promiscue interficere coeperunt, nemini omnino parcentes: eosq; non tantum vsq; in aquam persequerantur: sed etiā, quos mare semimortuos reiecerat, penitus interficiebant, nec supplicū lachrymis, aut precibus mouebantur: imo facti plane inexorabiles, etiā pueris, & famulis vitā eripiebant, ita vt ex Hispanis plures quadringentis; ex Lusitanis pauciores triginta, nonnullis tamen vulneratis, desiderarentur. Indulserunt hac in re Lusitani odio potius quam alii rei vlli. Nam præterquā quod vitā non nisi vni & alteri (qui se Lusitanos esse profitebantur) condonarunt, in usitata rabies illius multitudinis eluxit etiā ex eo, quod nondū exsaturati hac victoria, & aduersus paucos illos, qui euaserant ira ardentes, beluina quadam cum feritate ad dilanianda corpora occisorum se conuerterunt. Nam illis in frusta concisis, aliis caput, aliis aliud membrum, trophæi instar, portabat, & per plateas cädauera cum incredibili ignominia trahebant. Postero die omnes pueri, mulierculæ, & monachi (exceptis Iesuitis) ex oppido se effuderunt, & ad strepitum instrumentorum musicorum, & tubarum choreas ducētes, stragem hostium contemplati sunt, se seq; oblectatunt pungendo & consciēndo corpora exanimata: ita vt nonnulli adfirment fuisse, qui corda è cädaueribus euulsa dentibus contererent. Gubernator armis cæsorum carris impositis, vexilla hostiū humi trahens, cum triumpho & magno totius populi applausu in oppidum ingressus est. Baldesius, (qui haec tenus maiora periti nautæ specimina ediderat, quam hic exercitati ducis belli) perspiciens ex infelici hoc successu rem longe maiori cum prudenter aggrediendam, nesciuit (vt vnum infortunium plura plerunq; comitari solent) dolore fortassis iudicium illius offuscante, auxilio venire militibus suis: cum tamen id facile fuisse, si cum nauibus littori appropinquans tormenta displosisset in hos Lusitanos, qui primi omnium sua crudelitate effecerunt, vt bellum istud cruentum adpellari posset. Hæc infelix pugna multum regi Philippo obfuit. Nam insulares indies crudeliores, & contumaciores fiebant, quod nullam veniæ, aut pacificandi cum rege spem sibi reliqtam videbant. Itaque Philippus, qui sperarāt, illos tandem ad sanam mentem reddituros, propter hunc infelicem successum omnem spem abiecit, præsertim, quod interim dum Prior in Lusitania quæritur, litteræ ex Belgico allatæ erant, quæ significabant eum in illis locis ad pulisse, & primum in Angliam, deinde in Galliam, auxilii petendi causa profecturum: nec incredibile erat, eum voti compotem fore. Qua de causa in Lusitanialōca maritima muniebantur, & in primis arx Sancti Iuliani. Et quantumvis hæc tempestas procul adhuc abesse videretur, tamen metus erat eo maior, quod Rex à milite parum paratus, & regni subditis non nimis acceptus esset. Itaque periculum esse videbatur, ne, si Prior denudo fortunam tentare animum induceret, Lusitani ad primum vexillorum illius conspectum tumultuantur. Non enim illo freno coercebantur, propterea quod Itali dimissi: Germanorum & Hispanorum multi mortui erant, multi spoliis ditati, aufugerant, ita vt in vniuersum non excederent quatuor aut quinque millia: ex quibus cum Lupo Figueiroa ad insulas Terceras abierant circiter mille. Etsi autem mandarat Rex, vt cum illo irent mille quingenti: tamen Germani inuiti eo proficiscebantur: cumque naues, postquam semel soluisserent, à ventis contrariis, etiam mense Iulio saeuentibus, sæpius in portum reiicerentur, semper aliqui è nauibus descendebant, nec reuertebantur, ita vt classis vires valde imminuerentur. Reliqui variis locis, intra Dorium, ac Minium sitis, & alibi, in præsidio collocati erant: nec Lisbonæ ultra mille remanserant, qui numerus in tam vasta vrbe valde exiguis videbatur. Hic ANTONIUS discessus dignus fuit admiratio-ne, & sane in hac re aut felicissimus, aut natura solertissimus fuisse videtur. Cum enim in Africa in infortunato illo prælio à Mauris captus fuisset, primus ex tot captiuis libertatem recuperatuit, cum tamen propter dignitatem illius verisimile esset, fore, vt omnium ultimus euaderet.

Verum tam egregie se abscondere, tam dextre, quis esset, dissimulate nōrat, vt incognitus dimitteretur. Postea etiam inde usque ab illo tempore, quo discessit Viana, nimirum mense Octobri anni octuagesimi, usque ad mensem Iunium anni octuagesimi primi, semper in Lusitania tam secreto latuit, vt fere nunquam detegeretur: id quod tanto magis mirandum est, quanto maiorem Rex diligentiam in ipso inuestigando adhibebat. Omnes iudices, omnes Centuriones, omnes milites huic vni rei diligentissime inuigilabant: qui quamuis interdum scirent, ubi esset, & veluti vestigia ipsius insequerentur, tamen nunquam hominem prehendere potuerunt. Hieronymus Mendoza, adiutus ab Emanueli Portugallo (cui tuto fidere Antonius posse videbatur) de compositione cum illo agere cupiebat. Et nonnulli quidem ex amicis Prioris modo Alanquetii, modo Vidigueiræ comparuerunt, ita vt se in colloquium cum illo venturum speraret: sed

Ptof

Prior ipse nunquam se detexit. Enim uero diligentiae horum obstat neglentia in puniendis illis, qui priorem receptabant, ita ut complures, impunitate hac iniuitati, hospitalitatis officia ipsi præstarent. Ministri Ducis Albani parum absuit quin illū sub finem Quadragesimæ comprehendenderent Lisybonæ. & adhibebat tot exploratores Albanus, & tot Prioris amicos corruperat, ut certam omnino spem de eo in potestatem redigendo conciperet.

Verum cum negotium maiori, quam ante, cum industria vrgendum esset, de pristino ardore remisit. Cum enim intellexisset Regem multum tribuere technis Mendozæ, qui ambiguis verbis innuebat in septimana Sancta Priorem supplicem Regi futurum, rebatur, ne illum à proposito dimoueret. Evidem Mendoza frustra laborauit. Nam Antonius (ut accidit illis omnibus, qui metuunt) nulli fidebat, nec quidquam faciebat eorum, quæ se facturum promiserat, nec se conferebat vñquam in eum locum, quo se irum dixerat, ita ut non tantum Mendoza rem non perduceret ad exitum, quem policebat, sed etiam paulo post omnem rei perficiendæ spem abiiceret. Sane manifesto adparebat, amorem illius populi erga Priorem multum posse. Etsi enim vulgo homines maiores fortunæ, quam fidei rationem habent, tamen in his ærumnis, præsertim tanta capitæ Prioris pecuniæ summa imposta, nemo inuentus est inter tot, quibus necessario fidere ille cogebatur, qui spe præmiorum illum prodere animum induceret: quamvis nonnulli, ut suam ipsorum vitam conseruarent, hoc agerent; inter quos fuit Eduardus de Castro. Itaque Prior tuto peruagatus est omnes portus maris, & commoratus est Lisybonæ, ubi erat Rex ipse; cumque ibi nauem condescendere nequisset, quod capti aliquor ex ministris illius fuissent, abiit Setubalum, & naui Belgica sexcentis coronatis, opera cuiusdam mulieris, & monachi Franciscani, conducta, eaq; vna cum decem spectatæ fidei amicis, & ministris noctu consensa, Caletum nauigauit. Qua de causa non male dici potest, Deum nōdum ferulam suam ab ista natione tum temporis amouisse: sed voluisse vt hoc homine loco flagelli. Nam propter incolarum in eum studium necesse erat præsidia variis locis impone-re, idq; cum ingenti subditorum molestia, & detimento. Interea venerat annus octuagesimus primus, quo expectabantur naues ex India, Brasilia, S. Thoma, Capite viridi, & reliquis terris nouis. Videbantur tardare, & magna cum anxietate, & ardenter cum desiderio, quam vñquam aliæ vllæ, expectabantur. Alii verebantur, ut veniret: alii certo venturas adfirmabant. Multi etiam arbitrabantur, eas sponte sua in Insulas Terceras appulsuras, & inde cursum in Angliâ directuras: & si sponte hoc non facerent, sed tamen non prius admonitæ in Insulas adpellerent, fore, ut ab Insularibus vi caperentur. Erat tantum harum nauium desiderium, non tam propter diuitias, quas aduehebant, quam quod putabantur certi aliquid allaturæ de illarum nationum animo, & obedientia erga Regem Philippum: quæ res in dubium à multis vocabatur. Illi, qui putabant naues saluas & incolumes Lisybonam venturas, dicebant, Indiam, & reliquas prouincias non posse per se sine Hispaniæ auxilio subsistere: & necessario accepturas imperium illius, qui in Lusitania rerum potiretur. Ab insulis vero Terceris nihil esse periculi. Etsi enim Insulares nonnulla alia nauigia vel capta, vel casu eo delata diripuisserent: tamen iam classem Hispanicam maris imperium obtinere, eamq; naues recta Lisybonam deducturā, nec passura: ut in insulas adpellerent. Illi, qui dicebant non esse verisimile naues venturas, aiebant, naues Lisybona soluisse anno octuagesimo, post mortem Regis Henrici, gubernatoribus imperium obtainentibus. Et quia Ludoicus Dataidius, Comes Toghianus, Indiæ Prorex, esse interregnum, & bellum imminere sciret, credibile esse illum voluisse expectare rei euentum, antequam alterutri parti se submitteret, siue ut deinde ab illo, qui Regnum obtinueret, eo maiorem gratiæ, imperium eius accipiendo, initret, siue quod speraret, rebus omnibus perturbatis, facile fieri posse, ut sibi etiam prouincia aliqua in manu remaneret: Et, si his non obstantibus, tamen naues mittere constituisset, saltem hoc probabile esse, eum classi præfetum sibi addictum, & secum consentientem, præposuisse, idque cum mandato, ut illi pareret, in cuius partes ipse magis inclinaret. Porro difficile esse iudicatu, vtrum ex duabus ille regno potiri mallet, præsertim quia supremus præfectus cl. assis, qui cum ea ex Lusitania soluerat, Emanuel Melius, Priori addictissimus fuerat, eiusque iei specimen ediderat: & verisimile esse, si ille cum eadem classe rediret, & intelligeret Priorem esse in Anglia (id quod in Insulis rescire facile erat) illum eò cursum directurum: & si minus naues Indiæ ad hoc iter accommodatae viderentur, in Insulas descensurum, & con-sensis aliis nauibus, arbitratu suo cum spelucri, & prædæ, quod liberet, nauigaturum. Quamvis autem verum esset Indiam se sibi ipsi non sufficere, tamen illi ex Anglia & Gallia cumulatius, & æque commode, atque ex Lusitania, de rebus necessariis prospici posse. Verum

quoniam in huiusmodi sermonibus de rebus, quæ ab alterius arbitrio pendent, non possunt exacte considerari omnes, qui contingere queunt rerum euentus (hoc enim diuinum quiddam est) negotium hoc exitum fortitum est, plane à superioribus hominum iudiciis, & cogitationibus ditierum. Comes enim Toghianus, Indiæ Prorex, qui per easdem naues acceperat litteras à Rege Philippo, quibus eum de iure & animo suo edocebat, adiecit magnis pollicitationibus, fidem iis propter alias litteras, à gubernatoribus ad se scriptas, adhibuerat, easque similibus litteris, ab Antonio missis, antepponens Regi Philippo obedientiam exhibere constituerat: ita ut naues, quæ iam Insulis Terceris adpropinquabant, recto cursu nauigarent in Lusitaniam, nec inciderent in classem Regis. Baldesius enim propter infelicem prælii, cum insularibus commissi, euentum, animo fractus, nō constiterat in loco tali, qui ad eas excipiendas accommodatus esset. Porro cum naues Indicæ spatio vnius diei inter insulas commoratae essent, obuium habuerunt nauigium quoddam Gallicum, quod ex Tercera veniebat, & illi, qui in eo nauigabant, petierunt à præfectis nauium, ut Angram adpellerent: cumq; Lusitani illos interrogarent de statu Regni, vt intellicherent quid consilii capiendum esset: nechi, vtpote nautæ imperiti, vel persuadere, vel simulare, vel verum dicere noscent, sed alii aliis contradicerent: Lusitani nihil certi ex illis expiscari potuerunt. Hic enim dicebat Regem Philippum habere Regnum in potestate: ille Ph. lippum tantum obtinere magnam partem, & Antonium cum ingenti exercitu eum è Regno eiicere conari. Haec de causa natum est inter classiarios dissidium. Quidam enim, & in primis hi, qui magnam iacturam facere non poterant, cupiebant adpellere in insulas: alii suadebant differendum esse, donec certiores fierent de regni statu: alii recta Lisybonam eundum, & illi, qui Rex esset, parendum. Summus præfetus, conuocatis in cubiculum suum Lusitanis, & Gallis quibusdam, deliberabat: sed nautæ, sinistri nescio quid suspicantes, magno strepitu excitato, cœperunt cursum dirigere Lisybonam versus, vbi habebant mulieres, & liberos, quantumvis nonnulli oblucentur. Evidem cum tanti Prioris interesset, has naues in potestate habere, videtur debuisse plus diligentia in hac re ponere, quam vulgo eum fecisse putabant, sed reuera fecit id quod potuit. Scriptis enim ad præfectum classis litteras, quas illi, in insulas adpellenti, reddi iussit: & quibus illum rogabat, magnis pollicitationibus additis, vt in Insulis subsistens, classem Indicam non Regi Philippo, sed sibi traderet. Sed nimia diligentia gubernatoris (vt persæpe fit) ipsi nocuit. Cum enim ille litteras per nauigium quoddam obuiam nauibus Indicis misisset, euénit, vt nauigium illud non occurreret nauibus, quæ cursum Lusitaniam versus tenentes in medio itinere inciderunt in classem armatam Lupi Figueroæ: qui cum negligentiam admiraretur Baldesii, quem se vidisse negabant, aqua dulci, aliisq; rebus illas instruxit. Deinde adpulerunt Lisybonam cum magna Regis voluptate, quamuis tam diu in itinere fuissent, vt iam fere pro certo habere tur, illas nauigasse in Angliam & mercatores iam inciperent, quintæ partis iactura facta, de mercibus, quibus onustæ erant inter se pacisci. Clasis autem præfetus humanissime à Rege acceptus fuit. Interim adpulit ad Insulas Terceras Lupus Figueroa, vbi certior factus est de infelici Baldesii prælio: cumq; omnia insulæ loca, quo aditus erat, siue opere, siue natura munita hostem victorē esse, tempus nauigationi aptum (quod hic citius, quam alibi mare tempestatibus agitari solet) præteriisse videret, prudenter æstimauit, nihil sibi tentandum, sed necessario in Lusitaniam redeundum. Prius tamen postulauit ab Angræ oppidi incolis, vt Regis imperium agnoscerent, cuius nomine veniam, beneficia & præmia magna illis pollicebatur. Verum illi, qui non clementia Regis, sed meritis suis promissorum certitudinem metirentur, arroganter responderunt, indicaret tantum, quam in partem descendere vellet: Se enim aditum ipsi patefacere paratos esse. Itaque Figueroa rediit in Lusitaniam vna cum Baldesio, quem Rex statim in vincula coniici iussit, sed tamen paulo post liberatus fuit, cum ostendisset mandata, quæ acceperat, esse ambigua, nec in illis sibi prælio interdici. Hic classis reditus in Lusitaniam animu[m] addidit Insularibus. Cum enim opinarentur Figueroam maiores copias habere, quam reuera habebat, eumque in terram militem exponere non audere viderent, putabant vires suas esse formidabil'es. Dederunt in Galliam litteras ad Priorem, quibus eum de harum rerum successu certiore faciebant. Rescriptis ille humanissime, & cum gratiarum actione, ac tormenta maiora, sclopeta, puluerem tormentarium, & similia, ad bellum pertinentia, misit, præmittens se breui etiam militem illis subministraturum. Iubebat omnia bona eorum, qui Regi Philippo parerent, si quæ in eorum manus inciderent, confiscata, ad se in Galliam mitti. Quamobrem illi omnes merces, quas in quatuor, aut quinque nauibus, ex India occidentali redeuntibus cœperant, ipsi miserunt. Quoniam autem multi

corum

corum iudicabant hunc rerum statum diu durare non posse; & aliquando ē Lusitaniam classem tam potentem venturam, cui resistere nequirent: miserunt in Galliam Antonium Alvarezum, & alium quendam, munere publico fungentem, sed tamen hominem mechanicum, qui inquirerent in actiones, consilia, & vires Prioris, & quid de ipsis sperari posset. Hi reuersi, postquam equites à Priorē creati fuissent, alter S. Iacobi, alter Auisi: rogatu Prioris retulerūt, illum habere classem validam, quæ prima quaque occasione in Lusitaniam nauigatura esset, quamvis ita res non haberet: & attulerunt Gubernatori litteras, quibus & ipsius equitem Prior crebat, addito mille dicatorum redditu annuo: id quod nonnullos alios commouit, vt & ipsi in Galliam ad Priorem proficiscerentur. Ex Gallia & 10 Anglia venerant in insulas pauci aliquot milites cum nauibus, quæ ex iis locis soluerant: Sed tamen ad trecentorum numerum non adscendebant. Insulares aliquoties de illis remittendis eò, vnde venerant, cogitarunt, præsertim ingruente hyeme, reuocaturi eos postea sub initium astatis. Sed vulgus noltuit hoc permittere, & dixit, quoniam à Rege eò missi fuissent, se se velle eos alere. Interea Iesuitæ monasterio suo inclusi viuebant, & illis bis in septimana cibis subministrabatur. Verum cum ægre ferrent, se immerito veluti in carcere detineri, die quodam, ianuis templi apertis, & sacramento in medio collocato, experiri voluerunt, num pristinam libertatem recuperare possent. IIi, qui iuri dicendo præerant, statim in monasterium ingressi quæsuerunt, quid hoc rei esset? Responderunt Iesuitæ, si delicta ipsis hoc mererentur, se petere, vt supplicium à se sumeretur: Sin vero tantum 20 suspecti essent, vt sibi facultas in Lusitaniam abeundi concederetur. Decretum tandem fuit (habitibus quibusdam sermonibus contra decorum) vt denuo Iesuitæ omnibus ianuis obturatis, monasterio includerentur. Et quidam, qui dixerat, iustitiae conueniens esse, vt Iesuitæ, tanquam Hispanis addicti, vna cum monasterio comburerentur, paulo post errorem suum agnouit. nam cum vix inde digressus esset, cœpit ægrotare periculosisime, & factum est singulari Dei prouidentia, ut cognosceret se in morbum hunc propter impietatem verborum, quæ protulerat, incidisse. Exercebant Iesuitas reliquorum ordinum monachi, qui cum ab illis dispreparent, & ad rem bellicam animum adplicarent, non poterat a quo animo ferre Iesuitas Hispanorum partes amplecti, nec libertate oblata frui velle. Vicarium, qui nomine Episcopi habitantis in Insula S. Michaelis, iurisdictioni Ecclesiasticæ 30 præcerat, in carcerem coniecerunt, vt pote à se dissentientem, & alium suo arbitratu elegerunt. Hæc omnia Regi Philippo displicebant, & ideo cogitabat de Insulis sequente astate adorendi. quamvis vereretur, vt per occupationes & negotiorum multitudinem sibi liceret, præsertim nouis suspicionibus etiam superuenientibus. Audiebat enim Turcam instruere nouam classem in perniciem Christianorum: Constantinopoli Algierum venisse Luccialium piratam nobilem, & classis Turcicæ præfectum cum septuaginta triremibus. Et quamvis reuera ob nullum aliū firmem, quam ut rebus Africæ prospiceret, venisset (veritus ne Rex Philippus, recenti Lusitanæ occupatione, & bello contra Persas, cui Turca implicitus erat, incitatus, in eam prouinciam aliquid tentaret) tamen hæc res Regem non mediocriter sollicitum habebat. Cum enim Philippus egisset cum Xariffo de 40 commutatione Laraccæ cum Mazagone, nec res propter Maurorum in promittendo fal-lacias confecta fuisset, metuebat, ne Turca de hoc instituto certior factus, misisset Luccialium ad permutationem impedieret, & ad Laraccon munitionibus & præsidio Turco-sitmandam. Quoniam itaque ille locus Hispaniæ tam vicinus erat, & portum ad trimes recipientas commodum habebat, videbatur inde facile magnum Hispaniæ periculum creari posse.

Enim uero Luccalius, paulo post, re infecta Constantinopolim, impulsu & artibus 45 mulorum suorum, reuocatus fuit. Res etiam Belgicæ Regis curas augebant. Etsi enim Princeps Aurora maiorem partem illius prouinciarum iampridem occupasset, tamen Rex bonam spem fouebat, præsertim propter acquisitionem Lusitanæ fore, vt tandem illæ nationes ad sanam mentem, & sub imperium suum redirent. Veruntamen labefactabat non-nihil hanc spem Franciscus Valesius, Dux Alanconius, frater Regis Galliæ, Henrici III. qui cum exercitu in Belgicum ingressus, opem tulerat rebellibus Regis, qui erant Cameraci, & Principem Patiensensem, exercitus Hispanici Imperatorem, obsidionem soluere coegerat. Quamvis autem, hac ciuitate in fidem accepta, in Galliam Alanconius reuersus esset: tamen regnum illud satis turbulentum esse, & ad res nouas spectare videbatur præsertim incitante Gallos Antonio Prior Cratensi, qui cum eo ex Anglia venisset à Regina matre humanissime acceptus, & à tota aula in hospitio suo salutatus fuerat. Spargebatur etiam alia fama, quæ ingratissima erat, nempe Ducem Alanconium celebraturum nuptias cum Elisabetta Regina Angliæ: & quoniam ille aliquoties in Angliam præfectus erat, matrimonio-

nium quidem secreto contractum fuisse, sed quia *Regina* sedem Romanam non agnoscet, cui *Alanconius* se parere profitebatur (ita enim necesse erat, ne sibi aditū ad coronam Galliæ præcluderet) res de industria celari putabatur. Conquestus erat Hispanus apud Gallum de Priore, sibi rebelle, in regnum recepto: de auxilio Cameracensibus subministrato: & multis verbis odiosas reddere studuerat nuptias Anglicanas, quas impedire totis viribus conabatur, easque propter diuersitatem religionis nullo modo adprobandas esse dicebat. Respondit, vt fama est, Gallus ad superiora capita per legatum suum: Quantum ad matrimonium, se pro virili illud disfluasisse: sed ducem ad illud vna cum tota nobilitate Galica inclinare, nec se illorum animos in manu sua habere. Priorem fuisse receptum à *Regina* matre, quæ, quia se *Reginam Lusitanæ* esse crederet, illi, tanquam vasallo suo, hospitium denegare noluisset. Contradixisse etiam se fratri, & laborasse, ne Cameracensibus opem ferret: sed admonitiones suas apud illum nullum locum inuenisse. Hoc respondsum confirmabat Regem Philippum in opinione, quam conceperat, nimurum ea, quæ nomine *Alanconii* agerentur, esse impedimenta, quæ sibi ab ipso Rege Galliæ fratri nomen prætendente, obiicerentur. Neque enim ipsi fieri posse videbatur, vt Rege inuitio, *Alanconius* tantam auctoritatem, & potentiam in Gallia obtineret. Etsi autem hæc res pro incredibili merito habebatur, tamen iamdudum is erat Galliæ status, vt non adeo mirum hoc videri deberet. Cum enim Rex *Henricus*, & etiam *Carolus* frater magnis difficultatibus, & periculosis bello cum subditis, diuersam religionem amplectentibus impliciti fuissent, omnia erant in eo regno perturbata: & licet tum non nihil res pacatae videbantur, tamen animi superioribus certaminibus adhuc incensi, facili momento ad arma denuo capienda impelli posse putabantur. Quoniam vero Gallia, Anglia, & Belgicum regibus Lusitanicis ex parte se immiscuerunt, vt sequentia eò facilius intelligatur, liceat, quæ, mihi, re paulo altius repetita, breuiter de illis prouinciis differere. Viuebat in Gallia Catharina Medicea regina, & mater Regis, cui propter aetatem, & virtutem Gallia vniuersa obtemperabat. Hæc se Regi Catholico tum ob diuersas alias causas succensere non dissimulabat, tum potissimum ob hanc, quod Lusitaniam vi occupando, iudicio se subiicere noluisset. Dicebat se plus iuris in eam habere, quam Philippum. Vnde verisimile erat illum, hac indignatione impulsam, operam dacuram, vt bellum Philippo in Lusitania inferretur. Adstipulabatur illi Dux *Alanconius* filius, non minori, quam mater, *Philippi* odio inflamatus.

Origo odii hæc erat, quod ille alterutrius ex *Philippi* filiabus (ex sorore *Alanconii* suscepis) nuptias ambiens, dotis loco ditionem aliquam, dignitati suæ conuenientem, petiisset. *Alanconio* addicta erat omnis Galliæ nobilitas, quam ille, quocunque libuisse, vel Rege inuito, ducere poterat. Causa hæc erat, quod *Alanconius*, natu minimus *Henrici secundi*, filius, propter duos fratres, *Carolum* & *Henricum*, natu maiores, exiguum Coronæ vñquam obtainendæ spem habebat: cumque animo magno, & inquieto esset, aures præbuerat omnibus iis, qui vel Regi infesti, vel rerum nouarum audi (quorum semper in Gallia copia est) publicam orbis Christiani tranquillitatem perturbare conabatur: & cum his saepè consilia de noua aliqua prouincia, extra Galliam occupanda, contulerat. Istis suis conatibus aliquandiu credidit, (persuasus ab illis, quos secum habebat) fratrem utrumque aduersari, quippe qui nollent eum vires, & potentiam suam augere. Vnde siebat, vt ea, quæ ipsi ab hominibus prudentibus bono animo suggerebantur, sinistre interpretaretur, quasi & odissent illum, & cuperent tenebras offundere gloriæ, ad quam vehementissime aspirabat. Aucta fuit hæc suspicio non mediocriter, cum *Henricus* frater in regnum Poloniæ vocaretur, nec *Alanconio* statim omnia munera & dignitates, quas ille obtinuerat, conferrentur. Assecræ enim illius ex his, & similibus rebus captarunt occasionem eum in suspicione & odio fratrum confirmandi, quasi ferre non possent illum ad maiora aspirare: & tantum effecerunt, vt quantumvis postea *Henricus* propter mortem *Caroli noni*, relieta Polonia, Coronam Galliæ adeptus esset, tamen *Alanconius* in pristina suspicione persistens, maiorem, quam vñquam antea, nobilium numerū in comitatu suo haberet. Quia vero nonnulli considerabant, *Henricum* tenui valetudine esse, & liberis carere, & ideo *Alanconium* aliquando ad imperium peruenire posse: non erat mirum, eum, inscio, imo inuito Rege, multa fecisse, quanquam ex nonnullis indiciis satis appareret, illis bene inters conuenire.

Cum autem vires illius cum viribus *Reginæ* matris coniunctæ magnæ, & merito regi Catholico formidabiles essent, etiam ad illas auxilia Anglicæ accessura videbantur. Fama enim erat, *Elsabetham*, Regis *Philippi* potentiam metuentem, & de animo Pontificis erga se ex recentibus Hiberniæ motibus satis edoctam, cupere sibi aduersus pericula imminentia

minentia prospicere, & hanc ob causam cum Regina matre, & filio natu minori in perniciem Philippi fœdus iniisse. Et sane paulo post hanc opinionem exitus ipse comprobauit. Alanconius enim transactione cum principe Auraico (cuius opera omnia ista administrabantur) confecta, denuo in Angliam reuersus, inde Antuerpiam nauigauit: & in Belgico (conciliato ipsi iam ante industria eiusdem Auraici incolarum fauore) passim magno cum gaudio & pompa exceptus, & 19. Febr. die anno 82. Dux Brabantia, interueniente iuramento, electus fuit: quæ quidem res ingentem toti Europæ admirationem commouit. Videbatur mirum, principem Auraicum, qui pene absolutus erat dominus earum prouinciarum, quas tanto tempore propugnauerat, potuisse animo suo imperare, ut periculis fere omnibus superatis, dignitate sua se abdicaret, & imperium transferret in exterum, ita ut inde nulla neque utilitas, nec gloria ad ipsum rediret. Et licet videri posset idem praestitisse Matthiae Archiduci Austriæ (quem tamen postea in Germaniam remisit) tamen non erat verisimile, cum existimare se eadem facilitate Alanconium quandoque alegaturum. Nam non tantum Alanconius veniebat cum exercitu, sed etiam potentia ipsius, & Gallia vicinitas, & Reginæ Anglia benevolentia ipsi tanto ad pedem in Belgico figendum adiumento futura esse videbantur, ut periculum non esset, ne facile inde expelleretur. Non deerant, qui excusarent principem Auraicum, adducta hac ratione, quod Belgæ iam essent defatigati, & diuturni belli sumptibus ita exhausti, ut sibi ab illis Auraicus non multum auxilii polliceri posset. Illum itaque coactum fuisse, ad sciscere patronum aliquem, à quo 20 defenderetur contra Regem Philippum, qui occupata Lusitania maiorem Belgas oppugnandi occasionem nactus esset: & cum necessitas ipsa ad auxilium alienum implorandum ipsum adegit, nullibi maius & certius, quam apud Alanconium, inueniri potuisse, præsertim cum hoc pacto veluti indissolubili nodo prouincia Belgica cum Gallia, & Anglia connecterentur: præterquam quod etiam Auraicus ad principalem suum scopum eadem opera perueniret, qui in harum ditionum possessione, penitus Regi Hispaniæ extorquenda, consisteret.

Quinimo nonnulli tantum Auraici sagacitatib[us] tribuebant, ut non dubitarent adfirmare eum, si vellet suo tempore etiam Alanconium expellere posse. Reprehendebant Alanconium multi, propterea quod bona aliena sine omni causa occuparet: alii excusabant illum, 30 leges imperandi suo arbitratu constituentes. Dicebant enim priuilegia Belgici esse talia, ut si Rex Hispaniæ illa violarer, nouum dominum incolæ suo arbitratu eligere possent: & quia Rex priuilegia huiusmodi violaseret, eos alium principem creasse. Non substitut autem effectus illius confœderationis, sed, ut Rex à bello contra Belgas auocaretur, pentente Antonio auxilia contra illum, in Gallia magna clas[is] instruebatur. Quidam dicebant illam in Lusitaniam nauigaturam, sp[ecie] tumultuum, quos incolæ contra Hispanos excitaturi putabantur. Alii existimabant eam subsidio ituram Insulis Terceris, quibus Philippus minabatur: nonnulli etiam arbitrabantur, illam non instruiri in alium finem, nisi ut interciperet naues, quæ è mundo notio auro & aromatibus onustæ, redirent. Accidit hoc tempore in Belgico quiddam stupendum, & inusitatum. nam cum Princeps Auraicus 40 Antuerpiæ viueret quietus, & felicior, quam unquam antea, domi sua à prandio surgens, & familiaribus, ac domesticis stipatus accepit vulnus ex ictu sclopeti, quod in eum Ioannes Scauriguus, iuuensis Biscainus, zelo quodam Christiano incitatus, exoneravit, ita, ut globus per partem maxillæ dextræ subiectam, ingressus ab altero latere paulo supra sinistram egredieretur.

Et quantumuis haberetur pro mortuo, tamen conualuit, & sicarius statim à satelliti bus occisus est, ac omnes, qui huius consilii consci[er]ti erant, suppicio affecti fuere. Interim dum hæc geruntur in Gallia, & Belgico, Rex, qui adhuc in Lusitania commorabatur, studebat gratificari Lusitanis: qui cum diu, & importune præmia petiuerint, tandem fere omnium ratio habita fuit, & aliis ordo equestris, aliis redditus annui, aliis officia collata fuerunt, 50 idque cum magna indignatione Hispanorum, qui hoc regnum titulo optimo Philippi esse dictabant, utpote quod hereditatis, emtionis, & belli iure possideret. Hæc distributione à duobus deputatis magna cum liberalitate facta est. neque tamen multum Regi præfuit, nec propter eam villam apud Lusitanos gratiam iniit. Cum enim Lusitanorum duo genera essent remuneranda, quorum prius erat eorum, quibus sub imperio Henrici, & gubernatorum à missis Philippi pecunia, & dignitates promissæ fuerant, ut illius partes amplecterentur: alterum eorum, qui sponte sua se fideles, sp[ecie]s pollicitationibus, & obedientes præstiterant: non potuerat tam exacta in præmiis distribuendis ratio obseruari, quin alterutri parti minus satisficeret: imo, talis error hic admissus fuit, ut & alii, bene meriti, negligenter, & alii liberaliter remunerati, insolecerent. Nam non tantum hac in re ministri

Regis per imperitiam peccarant, sed etiam (ut multo facilius est promittere, quam dare) polliciti erant liberalissime tam illis, qui aliquid poterant, quam illis, qui nec dignitate, nec auctoritate possebant. Cupiebat Rex omnibus his promissis stare: Sed quantumuis eos, qui præ ceteris singularis fidei specimen ediderant, etiam præ ceteris ornatos beneficiis vellet: tamen illud facere non potuit, quia tam immoderatis petitionibus totius Regni redditus non sufficerent. Quia de causa (ut sepe in aulis euenire solet) dignis non fuerunt debita præmia tributa, habito respectu eorum, quæ nihil merentibus tribuebantur. Et hac de causa amor subditorum erga Regem ne quidem tantillum creuit. nam fidissimi qui que ægre ferebant, illiberalius secum actum, quam cum illis, qui, nisi pignore accepto, Regi suam operam dicare noluerant: præsertim cum nonnulli istorum nodum effectum dedissent illud, cuius causa præmio adsciebantur. Quosdam enim sufficere iudicasse, si neutrari parti adhærerent: quosdam, qui Antonium sectati essent, excusare sese, quod dicerent, se vi coactos hoc fecisse. Illi etiam, qui minus prompte Regis partes amplexi erant (quippe qui non satis constanti animo ipsi adhærerent) putabant se prudenter in hoc negotio versatos, & minimam quamque rem, quam gessissent, magni momenti esse, sibi persuadebant, Regemque satis perspicere, quantopere ipsorum opera indigeret: & hac de causa reliquos præ se contemnentes, magnos spiritus sibi sumebant. Haec fuerunt in genere causa, cur non adeo magnam gratiam iniret Rex distributione illa omnium, quæ unquam in Lusitaniam factæ fuissent, liberalissima. Cæterum Lusitanorum ii sunt mores, ut difficilime illos hac in parte satisfieri possit. Cum enim sint inuidi, maiorem ex prosperitate alterius, quam ex propriis incommodis molestiam percipiunt. Porro homines plebeii, qui nulla præmia expectare poterant, & multum pecuniae ex artibus mechanicis propter incredibilem aulicorum concursum corradebant, iniquo animo ferebant, Hispanos ipsis esse superiores, & more vulgi, rerum nouarum cupiditate tenebantur. Quod cum Rex consideraret, animo angebatur, quoniam videbat se frustrari spe, quam de Regno penitus pacando conceperat. Impetrauerat ille (ut supra dixi) ut soror ipsius Maria, vidua Maximiliani secundi Imperatoris quæ erat in Germania, veniret in Hispaniam vna cum Margarita filia.

Et quanquam de hoc Imperatricis aduentu varii essent hominum sermones: quidam enim dicebant eam commoraturam Madridicum filiabus Regis: alii eam in Lusitaniam prefecturam, ac Regem illam gubernationi Regni prefecturum, ut ipse ad Contentus Arragonenses profici sci posset: tamen tandem Lilybonam illa venit. Cæterum siue rumores de classe Gallica crescerent, ita ut ea de causa Rex discedendum sibi non putaret, siue quod contra decorum videretur, ut illa, quæ fuerat Imperatrix, præficere tur exiguo regno: neque Rex discessit: neque illa gubernare cœpit. Verum quidem est Regem, cum constituisse gubernationi Regni præficere Albertum Archiducem Austriae, filium Imperatricis, cœpisse illum ad rerum administrationem adhibere. Nam die quodam, conuocato consilio regio, indicauit se in multorum regnum curis, quæ sibi incumbarent, grauatum, cupere parte oneris illius leuari: & ea de causa, quoniam Cardinalem aptum iudicaret ad gubernationem Lusitanæ, se illi rem totam committere velle, ut deinceps Consilium, ipso præside, de negotiis occurrentibus deliberaret. Intervim apud Insulares, & incolas Angræ oppidi, rerum status erat perturbatissimus. Coniecto enim in carcerem Ioanne Betancorio, ianuis monasterii Jesuitarum obturatis, multis nauibus captis & pecunia à multis ciuibus, Regi Philippo secreto studentibus, extorta, inter eos dissidia nata fuerunt. Multis enim Cyprianus Figueredus, gubernator, non amplius eo, quo ante, cum feruore officium suum facere videbatur. Vnde (ut accidit illis, qui cum imperio sunt) omnes seditiosi illi inuidere cœperunt, ita ut ex minima qua re, quæ ab ipso fieret, occasionem eum calumniandi arriperent, & perfidie insimulandi, quantumuis reuera per illum solum staret, quo minus ista Insula Philippi imperio se submitteret.

Cum itaque Figueredus, ingruente hyeme, aliquot natus, quæ ibi detentæ fuerant, dimittere, & Jesuitas etiam pristinæ libertati restituere vellet, opposuerunt sese illi omnes actionum ipsius obseruatores, & præ ceteris monachi, vt pote qui hic, quamvis alibi, seditiosiores, impensis etiam sibi metuebant, & diligentius ceteris vigilabat: ita ut ille, qui veluti insulæ dominus fuerat, populo in ipsum insurgente, facile animaduerteret, sibi non amplius licere, quæ prius licuissent. Quatumuis autem obtineret hoc, ut natus dimittebentur, tamen non potuit Jesuitas liberare. nam erat ita in fatis, ut maiori cum suo incommmodo inconstantiam populi experiretur, & principum dissidentiam: Cum enim ad Antonium in Galliam de statu insulæ, & de auctoritate, quam multi sibi contipsum

ipsum arrogabant, scripsisset, petiissetque se certiorum fieri de aduentu Prioris in Insulam: & adderet eam esse vastatam, nec multo diutius se, eo rerum statu, sustentare posse: Antonius de ipso suspicionem concepit, motus ex parte litteris, quas ab æmulis Figueredi accep-
perat: quibus aperte ipsum proditorem nominabant. Quæ de causa constituit mittere cum
imperio in illam insulam Emanuel Syltium, nuper a se Comitem Turrium Veterum
creatum, & vnum ex intimis suis; qui eo appulit mense Martio cum mandatis ita amplis, vt
in tali casu ampliora dari nequirent: & remoto ab officio Figueredo, Barbarica tyrannide,
& crudelitate ab amicis promiscue, & hostibus pecuniam extorquere coepit. Antequam
Syltius in insulæ pertinaciam soluerat Angra nauis quædam farina onusta, quæ se in Brasili-
to am nauigaturam simulabat: verum cum extra conspectum insulæ progressa esset, recta Li-
sybonam contenderat. Et vulgo putabant hanc inuentionem esse Figueredi, illumque per
litteras sibi ignosci à Rege Philippo petiisse: insulæ ditionem obtulisse: & modum illius
occupandæ exposuisse.

Cum enim paulo post alia nauis Lisybona in Insulam venisset, intelligebatur, allatas
esse litteras Regis, non tantum ad Figueredum, sed etiam ad multos alios homines prima-
rios scriptas: quæ tamen scopum, ad quem dirigebantur, non attigerunt. Nam nauis ad-
pulit, post quam Emanuel Syltius in Insulam iam erat ingressus. Itaque Figueredus ab of-
ficio remotus, nō poterat ad effectum perducere hoc consilium: si modo verum erat, eum
tale quid animo agitare. Interim non omnino Lisybonæ intermittebant adparattis, ad
oppugnationem insularum pertinentes: sed omnia lente progrediebantur: neque enim
Rex fatis certus erat de illa expeditione suscipienda anno octuagesimo secundo, propterea
quod in ipsius consilio discrepantes esissent hac de re sententiae. Quidam enim volebant
quam primum totis viribus earum expugnationem tentari: quod, quo diutius differretur,
eo difficilior res eiusura videretur. nam Anglos & Gallos, quos eo proficisci rumor erat,
in Insulas ingressos munitiones, si tempus iplis concederetur, institutos esse: ita vt non
facile aditus postea in eas pateret. Considerabant etiam hac in re agi existimationem Re-
gis. Esse enim turpe & magno dedecori, insulam tam infirmam pene in conspectu Hisp.
audere armis tanti monarchæ resistere. Ostendebant quanti momenti esset illa Insula ra-
tione situs. qui esset talis, vt ipsa vnicum refugium esse videretur nauium ex orbe nouo in
Hispaniam nauigantium. Et licet esissent aliae in illo mari insulæ, tamen nullas esse tam com-
modas, vt has: imo cæteras omnes habere sua incommoda. Et si forte Angli, & Galli eas
occuparent, (quod factuti videbantur, nisi eo classis mature mitteretur) illos inde inuade-
re posse naues, itineris longitudine defatigatas, conquassatas, & parum ad resistendum pa-
ratae, easque abducere, ac diripere cum ingenti Hispaniæ vniuersæ & detimento & dede-
core. Dicebant expugnationem non esse adeo difficilem, eo quod insulis ex Gallia non
satis de armis, & aliis rebus prospectum fuisset, quodque maior pars nobilitatis, & multi
alii parati essent parere Regi Phillipo: qui tamen à plebe oppressi, animum suum exerce-
re non auderent. Vetus vexillis Regis ibi comparentibus, vna cum classe validiori, quam
priores fuissent, dubium non esse, quin non pauciores amici, quam hostes, in Insula inue-
nirentur. Alii quibus diuersum videbatur, dicebant hanc rem esse consideratione dignissimam, nec in ea nimis properandum. Si enī in habita matura deliberatione, expugnatio
susciperetur, rem extra periculum esse: sin vero nimis festinaretur, eo non carere. O-
stendebant insulam natura esse munitissimam, propter difficultatem militem exponendi.
Esse enim pene circum circa inaccessam, exceptis paucis locis, quæ verisimile esset & mu-
nitæ, & præsidio firmo instructa esse. Dicebant præsidium, quod ibi esse intelligebatur,
quantumuis exiguum, tamen cum oppidanis coniunctum, satis habere ad expositionem
milium impediendam virium. Adfirmabant non esse negligendam conditionem illius
maris, quod interdum non nisi duorum mensium spatio nauibus ibi subsistendi faculta-
tem concederet.

Concludebant itaque præstare expeditionem omittere, quam sese in periculum, &
inanis sumptus frustra coniicere, vt iam bis, cum non exigua existimationis iactura, acci-
disset. Dicebant negotium totum collocari in tuto, si differretur, neque enim Insulam
vel opere, vel natura munitiorem vñquam fore, quam iam esset. Locum natura esse mu-
nitum, & magna præsidia ibi non diu ali posse. Rem differendo Insulares sponte sua ad
sanam mentem reddituros: nam, vt nihil dicarent de insolentia Gallorum, adfirmabant,
cessantibus cum Hispania commerciis, illos breui in eam rerum omnium penuriam in-
versuros, vt mature errorem suum agnoscerent. Naves ex India venientes tam breui spatio
in illis partibus commorari, vt insularum auxilio non indigerent, nisi respectu aquæ, de qua
sibi in Insula S. Michaelis abunde possent prospicere. Haec rationes suspensum tenebant

Regem Philippum: cumque natura ad pacem ferretur, inclinabat ad dilationem: & prout variabant nuntii & rumores, qui ex Gallia, Anglia, & Belgico adferebantur, ita maiori, minoriue cum ardore classis apparatum vrgebat. Hoc pacto, & eum non mediocri anxiate Regis Philippi, transferunt tres primi menses anni octuagesimi secundi. Ceterum in eunte vere, cum audiretur in Gallia, Belgico, & Anglia magnum nauium numerum instrui, sub praetextu in Lusitaniam nauigandi: Turcam, non obstante bello Persico, minari se classem emissurum: in Marchionatum Salucensem descendisse aliquot pedites Gallos; Rex animaduertit necessariò arma capienda esse, tum ad insulas oppugnandas, tum ad defendenda multa loca, propterea quod in multis locis offendit poterat. Durum, & turpe ipsi videbatur pati sibi à Duce Alanconio eripi prouincias Belgici: videbat sumptus fore maximos, & se à pecunia parum paratum: nec etiam creditores sibi multum fidere: (decreatum enim, quod contra mercatores publicauerat, maiori damno fuerat ipsi, quam creditoribus) apparatus autem, qui sibi instituendi essent, esse omnino necessarios. Nam Italæ prospici, ineuitabilis necessitas flagitabat, tam respectu Turcæ, quam Gallorum. In Lusitania etiam necessitas requirebat, ut exercitus aleretur. Etsi enim status Regni in speciem tranquillus videbatur: tamen animi Lusitanorum erant inquietissimi: classis omnino instruenda erat, & quidem ita valida, ut hostibus resistere posset. Belgici etiam ratio habenda videbatur, si minus, ut omnes illæ prouinciae recuperarentur, saltem ut maior iactura præcaueretur.

Cæterum id, quod fortassis ante omnia Regem solicitum habebat, erant naues, quæ eo anno ex Indiis expectabantur, & ex regionibus nouis. Verebatur enim ne Galli, ab Insularum commoditate adiuti, illas interciperent: propterea quod non tantum in mari illæ naues piratarum comparere incipiebant, sed etiam in insulam S. Michaelis, & Maderæ irruptionem facturæ videbantur. Qua de causa Rex omnibus his incommodis mederi conatus est in hunc modum. In Hispania iussit conscribi, quantæ maximæ possent, copias pedestres, easque in Lusitaniam misit, & in primis in ditionem sitam inter Dorium & Minium, cuius imperio præfecit Ferdinandum de Toledo, Priorem S. Ioannis. Marchionem Sanctæ Crucis misit Hispalim, ut in illis partibus, quantum posset, numerum nauium armaret, & instrueret etiam nonnullas triremes. In Biscaia etiam iussit instrui octodecim naues, quæ postea omnes conuenirent, in Andalusia, ubi curabat armari naues maiores, & nauigia confici ad militem exponendum idonea. In Italiam scripsit ad Proregem Neapolitanum, & ad gubernatorem Mediolani, ut singuli sex in militum millia conscriberent. In Germania iussit conscribi decem millia peditum, sub praetextu hos vna cum Italîs in Belgicum mittendi: & ut insulam Sancti Michaelis in tuto collocaret, etiam si iam ante ibi esset Ambrosius Aguiarius cum naui maiori Belgica, misit eo Petrum Peixotum cum aliis quinque nauibus, qui oportune aduenit, nam iam nonnullæ piratarum Gallorum naues conuenerant ad eam oppugnandam. Et sane reipsa oppugnationem tentarunt. Cum enim Peixotus anchoras iecisset prope oppidum, quod Punta Delgada vocatur, tres myoparones Gallici, qui sex alias naues aliquo interuallo post se reliquerant, sese in cōspectum illius dederunt, existimantes, quoniam habebat quinque naues, illum non dubitaturum configere cum tribus: quod si faceret, superuenientibus sex reliquis putabant se victoria certa potiri, & deinde commode insulares inermes adoriri posse: sed spe sua frustrati sunt. Peixotus enim, qui non manus conserere, sed pro viribus insulam defendere cuperet, noluit obuiam tribus nauibus Gallicis progredi: præsertim quia paulo post sex reliquæ, quæ a tergo relicta fuerant, etiam comparuerant. Galli itaque animaduertentes se non posse decipere Lusitanos, & insidias esse detectas, & iniquo animo ferentes sibi sine præda discedendum, eonsilium coeperunt de inuadendis Peixoti nauibus, quæ, anchoris demissis, prope insulam subsistebant. Sed ventus, qui ad insulam adpellentibus non satis secundus erat, & tormenta, quæ ex tenui quodam propugnaculo displodebantur, in causa fuerunt, cur minus comitio de in Peixotum inuehi possent. Venerunt in nauis prætoria, quæ celeritas velocitate superabat, tam prope accessit, ut prælium cum quadam Lusitana iniret. ac sane spatio trium horarum non sine sanguine conflictus durauit. Erant superiores Galli, sed Ambrosius Aguiarius, qui erat in terra, considerans ab interitu nauium dependere extitum insulæ, subsidio misit Peixotum nauiculas quasdam cum 150. militibus, quorum ope & se defendit, & nauem Gallicam quæ plus dñmni, quam Lusitanicæ, accepérat, ad socias redire coegit. Sed multi iudicarunt, si ventus fuisset aliquanto vehementior, ita ut reliquæ naues Gallicæ appropinquare potuissent, periculum futurum fuisse, ne Lusitanicæ in cōspectu totius insulae à Gallis abducerentur.

Quoniam autem paulo post Lisybonam venerunt octodecim naues Biscainæ, quæ rex in illæ

in illa prouincia instrui ad defensionem insulae iusserat, quatuor ex illis missæ eo fuerunt cum sexcentis peditibus, quæ eo statim post Gallorum discessum appulerunt. Interea venerat æstas, & ex Gallia nuntii adferebantur de magnis belli adparatus, & de nauibus, quæ Antonii nomine in omnibus portubus armabantur. Res Regis Philippilentius administrabantur, quam tanti momenti negotium pateretur. Hispani enim non satis sibi persuadere posse videbantur, Gallos in Lusitaniam cogitare, aut in Insulas: imo nonnulli putabant illos hoc simulare quidem, sed re vera in Belgicum ituros, propterea quod pluris ipsorum interesse videretur, integrum earum prouinciarum possessionem nancisci, & Regis Philippi copias penitus inde eicere, quam aliam, eamque difficultorem expeditionem sustinere cipere. Et sane hæc opinio omnium animis firmissime inhærens, iuuabat Gallos. nā hinc fiebat, vt aut diuerterentur, aut saltem distraherentur vires Hispanorum, & vt in Hispania classes minori cum celeritate, quam par erat, instruerentur. Veruntamen cum certo postea intellectum esset Gallos in animo habere proficiisci ad intercipiendas natus, ex Indiis redeuntes, lentius in Italia apparatus, Belgico destinati, promouebantur, & in Hispania in classe instruenda aliquanto magis properabatur. Et quanquam nautarum, aliarumque rerum necessariarum penuria summa esset, tamē in Andaluzia circiter viginti natus, & vi-ginti tres tritemes non sine magna difficultate armatae fuerant, & Marchio Lisybonam redierat, postquam dedisset in mandatis classis præfectis, ut nauigarent versus caput S. Vincentii, & ibi noua mandata expectarent. Inuenit in Tago satis male instructas circiter alias triginta naues, computatis Biscainis, & nonnullis Belgicis, quæ quasi vi detinebantur: in quas impositis, duce Lupo Figueroa, sex millibus peditum Hispanorum, Marchio & ipso nauim concendit, stipatus magno nobilium numero, inter quos erat Petrus de Toledo, & alii ex primaria nobilitate, qui tanquam priuati milites exercitum Regium comitabantur. Non erat hic scopus Regis, quem initio sibi proposuerat. Nam cogitauerat antea de omnibus nauibus in vnum locum cogendi in Andaluzia, quo naues Biscainæ, ex Biscaya soluentes, cursum dirigere iussæ fuerant. Cæterum cum Lisybonam venissent, & nonnullæ aliae mercede conductæ se se cum nauibus bellicis Lusitanicis coniunxissent, existimauit maiorem numerum eo in loco conuenisse, & tempus inutiliter consumptum iti, si hæc classis pars alteram querere cogeretur, & eas inter nauigandum facile aliam in aliæ incideret posse; & ideo utriq; iniunxit, ut Insulas peterent, (quod fecerunt) darentque operam, ut in itinere se coniungerent. Et quanquam omnia ista lente fuerunt administrata, tamen maior adhuc mora interposita fuisset, nisi Rex sua præsentia discessum classis vrsisset: quæ tamen soluit demum decimo die Iulii anni octuagesimi secundi. Adeo Hispani natura in rebus suis administrandis lenti sunt. Iam enim ex Gallia classis cum Antonio, & sociis soluerat, quæ septuaginta amplius nauibus, & septem millibus peditum, Philippo Strozzi, & Comite Briffacco ducibus, constabat.

Liber Nonus.

A R G U M E N T U M.

In hoc libro continetur descriptio insulae S. Michaelis: classis Gallice in eam appulsus: Gallorum excusio: velitationes cum incolis: fuga Lusitanorum: adventus classis Hispanica: pugna navalis: mors Philippi Strozzi, & Comitis Vimiositi: Antonii profectione in Terceram; & illius actiones: crudelis sententia Marchionis contra captiuos, & eiusdem executio: mors Duci Albani, & nuncum ipsius elogio: nova Comitia, in quibus iuramentum fidelitatis profatum fuit Principi Philippo, propter mortem Principis Iacobi, & quomodo Cardinalis, Archidux Austria, Portugallie gubernationi præfectus fuerit.



INTERIM dum classes, Gallica & Hispanica, versus Insulas Terceras natigant, utraque aula de rei successu solicita, varia spes concepit. In Gallia minus de victoria dubitabatur, quam in Lusitania. Galli enim Hispanorum vires contemnentes, & se numero nauium & militum superiores esse existimantes, pro certo habebant (quia insulæ ab ipsorum partibus stabant) fore, ut illorum naues caperent eas, quæ

ex India reuerterentur, diriperent insulam Sancti Michaelis, & etiam classem hostium, si ad manus veniret, superarent. Tam firmo fundamento haec nisi putabant, ut spes longe maiores concipientes (instigati praesertim pollicitationibus Antonii, qui quamplurimos se sibi addictos in Lusitania adhuc habere adseuerabat) cogitarent adpellere in Lusitaniam, militem exponere, Lusitanos inermes armare (in quem finem magnam etiam armorum copiam aduehebant) & pedem tam firmiter in continentis figere, ut ibi sedem colloca-re possent. His itaque spebus excitati, naues consenderant multi ex nobilitate, siue quod Galli rerum nouarum audiunt, siue quod reginae matris hac in re gratificari cuperent.

In aula Hispanica non erant tam consentientes sententiae, neque tahta ex certa vi-
ctoriae spe latitia. Cum enim Lusitani ab Hispanis alienissimi esse pergerent, spem cum
desiderio & quantes, & rem ab utraque parte in par discrimen deductam cernerentes, mul-
ti hostibus resisti non posse putabant, & multi etiam aduentum Antonii audie expecta-
bant. Reliqui Lusitani, qui praesenti rerum statu contenti erant, vna cum Hispanis confi-
debant bellum hac vice finitum iri, dicebantque se non dubitare de debellanda illa classe,
Antonio capiendo, & de Insulis vel vi, vel per ditionem occupandis.

Veruntamen isti spem quidem vultu simulabant, sed tamen reuera metuere videban-
tur. Cum enim classem diuisam, & coniunctionem incertam esse cernerent, prudentio-
res victoriam non adeo exploratam, ut quibusdam videbatur, iudicabant: Ac Hispanos,
si praelia alex rem committerent, multum perdere, & parum lucrati: & vice versa Gallos
multum lucrari, & parum perdere posse. Maximum enim incommodum, quod hostes
accipere possent, consistere in amissione classis, & Insulatum ex manibus illorum extor-
sione. Haec omnes et si ita evenirent, tamen non magnopere Galliz interesse: contra
vero, si classis Hispanorum vinceretur, damnum hoc longo intervallo Gallorum iactu-
ram superaturum. Nam praeter classem, etiam Insulam Sancti Michaelis, & omnem ca-
teras recuperandi spem amissum iri.

Præterea naues Indicas cum toto thesauto in Gallorum manus venturas, & dubiam
fore possessionem Regni, expositi omnibus periculis, quæ tam insignem iacturam, praeser-
tim in regnis recens occupatis, comitari solent. Augebatur hic metus, cum considerare-
tur, classem quidem bonis nauibus, & ex parte etiam militibus veteranis instructam esse,
sed tamen laborare penuria instrumentorum, quibus ignis in hostilem classem cohiicitur,
& nautarum, quorum nonnulli vi coacti nauigationi interessent, & ipsum Marchionem
pene inuitum, & non magna cum alacritate expeditionem suscipere, non quod sibi metu-
eret, sed quod sub discessum suum parum humaniter à Rege classis nimis sero parata cul-
pam ipso imputante, habitus fuisset. Accedebat, quod in classe essent aliquot naues Belgi-
æ, & peditæ Germani, in pugnis naualibus minus exercitati. Veruntamen hi, qui ista di-
cebant, in speciem magnam fiduciam praeferebant, spemque suam ostendebant inniti
virtuti peditum Hispanorum, & nauium magnitudini. Multi mirabantur Antonii sermo-
nes tantum in Gallia ponderis habuisse, ut fere vniuersam aulam ad protectionem ipsius
tanto cum ardore suscipiendam commouerent, cum tamen de iure Antonii 40 satis constaret, nec valde certa spes esset vel regnum tam cito occupari, vel usque posse auxi-
lia eorum, quos Antonius suis partibus addictos habere se dicebat, propterea quod his à
validissimis praesidiis frenum iniiceretur. Et haec Gallorum promptitudo eo maior vide-
batur, quo lentiores se præbuissent olim, in Lusitanis contra Castellanos adiuuandis, cum
quidem & melior occasio, & maior spes felicis successus, quam nunc, se se offerret. Nam
anno seruatoris nostri millesimo quadringentesimo sexagesimo sc̄ xto, cum in Galliam Al-
fonsus Quintus, Lusitanæ Rex, venisset auxilia à Ludoico undecimo petitum, contra Re-
gem Catholicum Ferdinandum, cum quo bellum gerebat, nihil obtinuit: & aliquo tem-
poris spatio inutiliter ibi consumpto, penè desperatus, re infecta, in regnum suum reu-
sus est.

Relictis vero exemplis antiquis, dicebant, si Galli Antonii defensionem suscep-
sint, vel bona fide, & animo sincero, vel ut illius opera pedem in Lusitania figerent, illis
longe meliorem occasionem scopum suum assequendi, oblatam fuille anno 1580. quo
tempore fortassis Philippum in Regni possessione turbare potuissent, aut saltē prohibe-
re, ne illo anno Tagum transiret. Cum itaque amissa occasione tam optata, in gratiam exu-
lis Antonii ex Gallia maximam fortassis omnium, quas vñquam illa instruxisset, classium,
venire homines viderent, non satis rei nouitatem admirari poterant. Verum, statu orbis
Christiani bene perpenso, non videntur sane defuisse causæ, quæ hoc etiam tempo-
re Gallos incitare deberent, & longe quidem magis, quam vel tunc, vel vñquam antea.

Cum

Cum enim frater Regis Galliæ fere omnes Belgici prouincias occupasset: Reginæ mater hæreditatem Regini Lusitanæ sibi vindicaret, ac Philippo succenseret: hæc omnia sufficiebant ad inuitandos Gallos, vt eo alacrius ad Portugalliam oppugnandam, & vires Regis Hispaniæ diuertendas, accurrerent. Interea classis Gallica die Iulii decimoquinto adpulit ad insulam S. Michaelis, prius, quam Hispanica, & iactis prope Lacunam pagum anchoris, duo peditum millia in terram exposuit. Hæc insula in circuitu non continet ultra centum milliaria: Et figuram habet tam longam, & angustam, vt cum ab oriente usque ad occidentem in longitudinem quadraginta amplius milliarium porrigitur, vix duodecim lata sit. Pars ad meridiem vergens est reliquis fertilior, & cultior. Nam versus septentio-
nem, excepto uno pago (quem Riuiera grande vernaculo sermone adpellant) pene deserta est. Hæc pars, quæ Austro obueritur, incipiendo à parte orientali, & à capite Morro, usque ad partem occidentalem, diuersa oppida & pagos habet. Primo loco occurrit Villa Franca, distans à Capite Morro 25. milliaribus, & 500. circiter domus continet: deinde Aqua Pali, postea Lacuna: utraque paucos incolas habet: quarto loco sequitur ciuitas, quam Puntam Delgadam vocant, superiora oppida magnitudine excedens, & arcem parvam habens versus occidentem. Ex hoc littore nonnulla promontoria in mare exten-
duntur. Primum, quod Villam Francam tendentibus occurrit, vocatur Punta di Garza; secundum, Galeæ: & est inter dictum locum, & Aquam Pali. Inter Lacunam & ciuitatem, sunt duo alia, sed minora, nimirum Pugnete, & caput canis. Ad promontorium Pugnete
versus Lacunam exposuerunt, vt dixi, Galli militem, & pago direpto, opulentiorem præ-
dam indagaturi, ulterius progressi sunt. Mortuus erat in ciuitate paulo ante Ambrosius Agiarius, qui fuerat gubernator. Et licet quidam ipsius priuignus in officio vitrico suc-
cedere vellet, tamen inter Lusitanos Petrus Peixotus præfectus quinque nauium, pluri-
mum auctoritatis habere videbatur. Sane peditibus Hispanis, quantum ad bellica atti-
nebat, imperabat Laurentius Noghera, homo animi magni, & eximiae virtutis. Omnes incole consernati cœperant maximam partem fortunarum vna cum uxoribus in montes transferre, & crescente ad conspectum classis metu, pene tota ciuitas vacua remanserat.
Ciues primarii, ad deliberandum congregati, statuerunt, nauibus suis litori vi illis, & no-
hostibus usui esse possent, confractis vna cum militibus Hispaniæ Biscainis, & Lusita-
nis, qui fortunam prælii tentare parati essent, hosti obuiam progredi. Sed tamen hoc con-
silium ex parte tantum ad effectum perductum est. Bascaini enim noluerunt naues suas confringere, & Petrus etiam Peixotus non penitus suas confregit: veruntamen omnes, ar-
mis captis, constituerunt Gallis obuiam ire, auspiciis Nogheræ, & Peixoti. Hanc ob cau-
sam confluxerant ad 2000. Lusitanorum, & computatis deinde militibus & nautis Castel-
lanis, & Biscainis, vniuersi fere 3000. numerum constituebant. Verum Laurentius Nog-
hera non satis Lusitanis fidens, antequam iter ingredierentur, humanissimis verbis illos ad
fortiter pugnandum adhortatus est, subobscure innuens se metuere, ne ab illis deserere-
tur. Verum illi suam operam ipsi detulerunt tanto cum animo, & alacritate, vt existimaret
eos sibi alicui usui in pugnando futuros. Itaque hostibus obuiam progressus, spem bonam
de illis ad naues usque repellendis souebat. Adpropinquabant paulatim Galli, sed de co-
piis sibi obuiam venientibus certiores facti, commodissimum factu putarunt, antequam
ulterius progrederentur, via recta relictâ per aliam quandam ad ciuitatem & arcem sine
pugna contendere, quod se omnia imparata, & neglecta inuenturos arbitrarentur. Reli-
cta itaque via, quæ secundum oram maris ducebat, aliquanto magis in interiore Insulæ
partem penetrare cœperunt. Cæterum Noghera hac de readmonitus, & ipse de via de-
clinavit, Gallisque obuiam profectus est, & prælii leuioris initio facto, cum deinde totis
viribus hostem aggredi vellet, animaduertit Lusitanos in fugam se coniicere. Qua de
causa cum se tot hostium impetum cum solis Castellanis, & Biscainis sustinere non posse
videret, amissis aliquot è suis, & lethali vulnere accepto, se in arcem recepit, inque ea
paulo post diem suum obiit: illi tamen, qui in arce erant (& in primis Episcopus, Pe-
trus Castellanus, qui magnum prudentiæ specimen edidit) confidebant, se hosti ali-
quandiu resistere posse, quamuis non tantum in viribus suis, quantum in classis Hispa-
nicæ aduentu spei collocarent. Petrus Peixotus, homo in illis partibus alioqui satis ce-
lebris, omnia desperata iudicans, consensa naui noctu soluit, & paulo post Lisybonam
peruenit.

Dicebat autem se abiisse, vt Marchionem de rebus omnibus edoceret, sed se il-
lum inuenire non potuisse: & nihilominus à Rege, quia Lusitanus erat, clemen-
ter habebatur. Comparuit hoc tempore inter has Insulas nauis Indica, ma-
gnis diuitiis referta, & Galli ita infelices fuerunt, vt in eam non inciderent;

quantumuis fere in conspectu Insulae præter nauigaret. Porro illa per nauim quandam Gallicam de rebus, quæ in Lusitania gerebantur, certior facta, & ideo à recta via parumper diuertens, primum ad caput S. Vincentii, & deinde Lisybonam salua & in columnis peruenit. Nuntius à Petro Peixoto Lisybonam allatus, vt animi, non nihil Antonianis addidit, sic etiam Castellanos, & eos, qui Castellanis addicti erant, non valde consternauit. Illi enim ad minimum quemque casum consilia, & spes accommodabant: hi vero aliquanto firmiores & constantiores, putabant Gallos hactenus non tantum nihil memorabile gessisse: sed etiam contra officium, & disciplinam militarem in illa insula adorienda peccasse. Cum enim præcipuū ipsorum scopus esset, capere naues ex India venientes, & incolas Regni ad tumultuandum concitare: equidem videbantur imprudenter facere, quod tempus alia in re, exigua cum lucri spe, inutiliter consumerent. Nam, quia insulā parum munita, & ciuitas muris nudata erat, constabat inanem esse omnem laborem, qui in ea occupanda poneretur. Etsi enim capta ab ipsis fuisset, tamen & infirmitatem, & loci ad exponentium militem commoditatem semper in causa futuram, vt in eius potestate esset, qui mariis imperium obtineret: præterquam quod periculum erat, ne, dum ipsis in insula essent, classis Gallica, propter anchoras iactas veluti immobilis, à classe Hispanica ex improviso superueniente, opprimetur. Sane Galli hac re parum moueri videbantur, quia aliquando in Insula securi substiterunt. Porro Antonius, qui in monasterio S. Rocchi diuersabatur, non procul à classe, tentauit arcem verbis, & minis: ac deinde in ciuitatem profectus, litteras in genere scripsit ad eos, qui in illa erant: petens arcem, tanquam suam, sibi dedi, & liberam discendi facultatem militibus promittens. Verum cum responsum parum gratum accepisset, iussit eis nauibus adduci aliquot tormenta muralia, quibus arx diuerberaretur: sed cum interea classis Hispanica superuenisset, hoc omisum fuit. Classis Hispanica vbi per undecim dies, varia tempestate vtens, nauigasset, in conspectum Insulae peruenierat, neque tamen cum nauibus & tritemibus, quæ ex Andaluzia soluerant, se coniunxerat: immo ex iis, quæ ex portu Lisybonensi exierant, à tergo remanserant quatuor naues, & aliquot celoces, quarum tres aquæ refluxu impeditæ, vna cum reliquis ex ostio Tagi exire non potuerant, & quarta, quia rimas egerat, reuerti in portum coacta fuerat, ita vt classis ista non nisi 28. nauibus maioribus constaret: & licet reliquæ tres postero die soluissent, tamen alio plane vento, quam classis, impulsæ, & ad insulam S. Michaelis ante aduentum classis delatae, cum intellectissent naues Gallicas adesse, in altum mare redierunt, nec se postea cum Marchione unquam coniunxerunt. Prima pars terræ, quam Marchio vidit, fuit Caput Morrum die Iulii. 21. & 22. peruenit Villam Francam, ignorans omnino classem Gallicam adesse. In hac re conditio Hispanorum deterior fuit. nam à Gallis, qui naues suas, proprie litteris habebant, quo quodammodo tegebantur, eminus conspicere poterant, cum interim illi Gallos cernere non possent. Miserat Marchio pridie eius diei prefectum militum Aguirrem, cum duabus celocibus, exploratum: & monuerat illum, quid fieri vellet, si in hostes incideret. Dederat illi litteras ad Ambrosium Aguiarium (cuius mortem ignorabat) quibus eum de suo & classis aduentu reddebat certiorem, item de numero militum, & nauum. Dicebat etiam se cotidie expectare naues, & triremes, quæ in Andaluzia instructæ fuerant: & petebat, vt sibi rescriberet de classe Gallica, an præter nauigasset, & quot naues in ea essent, & quem cursum teneret, adfirmans se in animo habere cum ea prælium committere: & hac de causa se velle indicari Petro Peixoto, vt nauibus suis instructis, ad ipsum comitandum, se pararet. Cum Marchio prope Villam Francam anchoras iaceret, venit ad prætoriam nauim, vnum ex nauigiis tribus, quæ à tergo remanserant, & postea, equis onusta, vela fecerant, cuius nautæ retulerunt tres illas naues, quæ in Tagi substiterant, ad pulisse in insulam biduo ante, & abiisse: præterea à nauib. quibusdam Gallicis alia duo nauigia, & ipsa equis onusta capta fuisse, & se vix euasisse. Verum cum non propterea Marchio crederet classem Gallicam adesse, misit alios, qui in littus egressi certi aliquid explorarent. Sed isti mox redierunt, nihil certi referentes. Cum enim in littus descendere ab hoste prohibiti fuissent, in referendo sibi inuicem contradixerunt. Interim Marchio maiora paulatim signa defectionis Insulæ animaduertebat: præfertim quod vna ex Aguirris celocibus reuersa indicaret, Aguirrem cum altera celoce à quadam naui Gallica captum fuisse. Qua de causa Marchio in consilium adhibuit Lupum Figueroam, tribunum militum supremum, & illi duo inter se decreuerunt exponere partem copiarum in terram, (partim aquæ dulcis hauriendæ causa, partim vt certius aliquid explorarent,) & cum classe in locum ad hoc consilium accommodatiorem appellere. Ceterum omnis dubitandi causa, paulo post cessauit. Nam simulatque certis hominibus negotium datum fuisset locum iacie ndis anchoris aptum diligendi & classis vela facere cœpisset,

pisset; statim è portu ciuitatis naues (quarum numerus magis; magisque crescebat) sibi obuiam venire viderunt: cumque iudicarent (quod res erat) esse hostes, & priori consilio omisso, ad deliberandum Petrus de Toledo, Lopus Figueroa, Marchio Fauaræ, Petrus Tassius, Quæstor supremus, Franciscus Bouadiglia, tribunus militū, & nonnulli alii nobiles, & centuriones conuenissent, denuo propositum, & consultatum fuit; utrum prælium committendum, an alia ratio ineunda esset. Non habebat classis Hispanica, quo se tuto recipere: retrocedere non poterat sine magno incommodo: ventum secundum Gallicis præcipere non licebat. Galli enim, qui naues haberent velociores, & ad proram contra ventum conuertendam aptiores, arbitratu suo hostem adoriri, se recipere, pugnare, & pugna excedere poterant. Qua de causa Dices Hispani, consilium necessitati accommodantes, cum viderent eum rerum statum esse, ut liberam electionem non haberent, manus conserere constituerunt. Ex litteris, quas Marchio ad Ambrosium Aguiarium scripsérat, in celoce Aguirris inuentis, Antonius non tantum numerum nauium, quas Marchio habebat, sed etiam earum quas expectabat, & consilium illius intellexerat. Qua de causa, recum Strozzio Brissacco & Comite Vimiosio communicata, statuerat commodissimum factu esse, classem Hispanicam, tam paucis nauibus constantem, adoriri ante quam reliquæ venirent, quæ expectabantur. Et ideo, quanta fieri poterat cum celeritate, militib. qui in littus descenderant, in naues denuo impositis, acie instructa, Marchioni obuiam progrediebatur. Ibi Marchio toti classi rationem declarauit, quam in prælio obseruari volebat. Ad dextram suæ nauis, quæ S. Martinus vocabatur, constituit nauim, nomine S. Matthæum, in qua erat Lopus Figueroa: & ad sinistram, nauim Francisci Bouadigæ cum quatuor aliis nauibus subsidiariis: ceteris omnibus etiam certo ordine dispositis. Solus Christophorus Erassus aliquantum à tergo remanebat, cum naui vasta & magni momenti, cuius malus maximus non nihil detrimenti acceperat: cumque eam ob causam plenis velis ut non auderet, fiebat, ut Marchioni tantum Viginti septem naues superessent.

In omnibus nauibus, & præcipue in duabus primis, omnia optimo ordine disposita fuerunt. Militibus enim loco conuenienti collocatis, & ducibus compluribus electis, non tantum omnium rerum, quæ necessariae erant, ratio habita, verum etiam contra id, quod forte fortuna eueniere posse videbatur, summo cum iudicio remedia præparata fuerunt. Sed omnis ista sollicitudo fuit superuacanca. Clases enim tunc sibi inuicem, non nisi ad sex, aut octo miliaria, appropinquarent: tum quia ventus erat lenis, tum quia ne ingrueret: ita ut, postquam Marchio tormentum maius veluti in signum pugnae displodi iussisset, Galli ad oppidum proras conuertentes, & classis Hispanica in mari circumuolaret, ignara omnium eorum quæ in insula agebantur. Neque tam facile Marchio quidquam rescire potuisset, nisi eadem nocte Ioannes Castellanus, qui in præfectura arcis Laurentio Nogheræ successerat, illum de statu Insulae certiore fecisset, docuisseque arcem adhuc resistere, idque in eum finem, ut Marchio cogitaret de auxilio illi ferendo, & rursus ab illa, si opus esset, mutuum auxilium etiam expectaret. Quam ob causam misit unum ex magistris nauium Biscainarum cum litteris ad Marchionem, quibus ipsum edocebat de omnibus, quæ ab aduentu Antonii usque in eum diem acciderant. Dicebat classem Gallorum constare nauibus quinquaginta octo, & viginti octo earum esse magnas, & instructas sex millibus militum. Si uidebat, si classis Hispanica non satis ad pugnam ineundam virium haberet, ut arcem appropinquaret. Ita enim & arcem, & classem mutuo sibi succurrere posse. Respondit Marchio per eundem Biscainum, & Ioannem Castellatum bono animo esse iussit. Classem enim R. M. ita potentem esse, ut hostem vincere posset: id quod se postero die re ipsa demonstraturum speraret. Sequenti die prima luce Galli alacriter in Hispanos ire coeparent, qui eam ob causam aciem statim instruxerunt. Verum etiam si Galli & ventum, & solem secundum habereant, tamen malacia erat tanta, ut loco moueri naues vix possent. Itaque hoc pacto utraque classis altera è regione alterius substituit fere usq; ad meridiem: cumque tum ventus aliquanto validior coortus esset, Galli de integro se Hispanos inuadere velle præ se tulerunt. Ceterum cum hos aciem animo intrepido instruxisse animaduerterent, destiterunt ab incepto: & usque ad noctem ambæ classes pari fronte nauigant versus Insulam Sanctæ Matæ, quinquaginta miliaribus versus Austrum distantem ab Insula Sancti Michaelis, variis ambagibus uentes, cum interim Galli saepius fingerent se prælii initium facturos: id quod erat in potestate ipsorum, quia vento secundo utrebantur: Hispani vero contrario. Verum cum aduerseretur, Galli certo constituentes die sequenti configere, decem naues, quam possent, proxime littus, insulam præterlegere iusserunt, eo consilio, ut postero die prima luce à fronte

& à tergo Hispanos inuaderent: Sed ventus ita remisit, vt nauigare non possent. Cum dies vigesimus quartus illuxisset, cupiebant configere & ipsi Hispani, & quantūuis imparē hosti viderentur, propterea quod nontota classis conuenisset, nec naues, quæ ex Andaluzia soluerant, adessent: tamen tam moleste ferebant se ibi in hostium conspectu subsistere cogi, nec nisi illius arbitratu vel fugere, vel pugnare posse, vt desiderium manus conferendi magis, magisque in ipsis augeretur. Putabant se hoc obtenturos vela mutando, & ab una ad alteram partem conuertendo: quod iudicarent Gallos eam occasionem non negligētūros: veruntamen etiam si hostes tum maiorem, quam vñquam antea, dimicandi cupiditatem præ se ferrent, tamen aliud nihil subsecutum est, quam quod dux naues prætoriae vna cum vicinis magnam in se inuicem globorum mukitudinem eiaculatæ sunt: qua ex re plus incommodi acceperunt Galli, quia paulo post vna ex eorum nauibus submersa est.

Cum ita dies præteriisset, vesperi Marchio experturus, num ventum hostibus præcipere posset, iniunxit omnibus naucleris, vt, noctu in tenebris proras conuerterent versus Insulam Sancti Michaelis, ad ventum hostibus præripiendum: & significauit nauim prætoriam ea nocte (ne hostes rem animaduerterent) non accensuram lumen solitum, sed nocte intempesta tormentum maius exoneraturam, ad quod signum reliquæ naues eam sequerentur. Hæc mandata data fuerunt, & obseruata ab omnibus nauibus exceptis duabus, quæ venerant ex mari Balthico: & quia negligentia illorum, quibus hæc cura incumbebat, non fuerant admonitæ, tam præcul à reliquis discesserunt, vt illas, conspectum suum effugientes, postea assequi nullo modo possent, cumque in iis duabus nauibus essent quadrinquenti pedites Germani, classis illa in singulas horas & nauium & militum iacturam facere videbatur.

Quia autem ventus satis validus coortus erat, visum est Marchioni post medium noctem, tormento disploso, laternam accensam denuo præferre: & ita felicissime ipsi successit ventum hostibus præripiendi consilium. Verum hæc industria parum profuit. nam oriente die (erat autem vigesima quinta Iulii, sacra Iacobo Apostolo, Hispanorum in præliis patrono) animaduersum est, classem Gallicam dispersam, & procul remotam esse, partim nauandæ nauis causa, quæ iam iam submergenda videbatur, partim vt resarciret damnata, quæ à tormentorum globis pridie acceperat: quanquam etiam nonnulli dicunt Gal. 3: los illo die de industria à prælio abstinuisse. Etsi vero Hispani illos inuaderet potuissent, tamen id non fecerunt, propterea quod nauis Christophori Erassi, cuius malus ruinam minabatur, velis contractis, tormentum disploso: cumque ex eo signo coniiceretur, malum omnino confractum, necesse erat totam classem eam circumdare, ne in tanto periculo à Gallis inuaderetur. Ita factum est, vt interea Galli iacturam venti, ab Hispanis prærepti, resarcirent: cumque nauis Erassi de integro ita reparata esset, vt cum media velorum parte nauigaret, Marchio eam nauis rudente alligatam secum trahebat: & ita totus ille dies otiose consumptus est, nisi quod aliquot tormentorum globi emissi fuerunt. Porro signa veniendi ad manus, quibus Galli toties vsi erant, non omnia fuerant facta, & simulata. Nam et si fortassis prima & secunda vice tantum hoc agerent, vt animum hostium explorarent: tamen reliquis vicibus serio manus conserere constitutum habuerant. Cæterum in classe Gallica non erant omnium ita consentientes sententiæ, vt in Hispanica. nam licet Philippus Strozzius, Brissacus, Comes Vimiosius, & nonnulli alii prælii committendi cupiditer essent: tamen multi alii ab eo abhorrebant: ita vt, si forte nauis prætoria, & nauis Amiralii non essent omnium primæ, quæ pugnæ initium facerent, reliquæ non nimis prælium vigerent. Strozzius, & Vimiosius, qui erant in vna eademque nau, præ cæteris pugnadi desiderio tenebantur: sed nondum conseruerant cum hoste manus, propterea quod nauis vtebantur paulo lentiori, quam essent multæ aliæ, quæ etant velociores: & ita, cum non tam facile progredi, & ante alias excurrere possent, pugnæ initium non fecerant. Qua de causa illi, qui erant in reliquis nauibus, hanc culpam non nauis, sed ipsis adscribebant: & in hac opinione confirmabantur eo facilius, quo minori dimicandi auditate tenebantur. Quod cum Strozzius animaduertisset, & cōstituisset, relicta priori nau, aliam totius classis celeritatem, concendere: vna cum Comite Vimioso, & reliquis ingressus est in illam; qua vehebatur Beaumontius, supremus castrorum præfectus, tanquam velociem: decreuitque, cum ea hostem inuadere, vt etiam postridie fecit, nimirum die vigesimo sexto Iulii, beatæ Annæ sacro.

Mane illius diei, cum vtraque classis, mari placidissimo, altera ab altera non amplius tribus milliaribus: & ambæ ab Insula Sancti Michaelis viginti milliaribus abessent: ambæ lente versus insulam nauigarunt, donec, viventi (qui Gallis secundus erat) nonnihil cre-

sciente

scente circa meridiem sibi inuicem appropinquarent in loco maris, non amplius decem milliaribus ab Insula remoto. Ibi acie vtrinque instructa, in classe Gallica in primo ordine erat cum nauis præatoria Strozzius, & Comes Vimiosius, ac cum Amiralia Brissacu, comitati tribus nauibus Anglicis, quas reliquæ omnes diuersis interualis sequebantur. A parte Hispanorum totam classem præcedebat nauis Francisci Bouadigliz, hanc sequebatur nauis nomine S. Martinus, in qua erat Marchio, deinde nauis, insignis nomine S. Matthæi, in qua erat Lopus Figueroa: hæc, veluti scuti loco, reliquæ naues subsequentes præcedebant. Galli inter se distribuerant classem Hispanicā, & constituerant, quæ nauis cuique inuadenda esset: sed frustra. Nam ventus & mare, & ordines, torties mutati, hoc consilium impediabant. Nauis nomine S. Matthæus, aliquanto lentius nauigabat, & hoc in causa fuit, cur prima omnium ab hostibus inuaderetur. nam nauis præatoria, & Amiralia Gallorum cum tribus aliis nauibus in eam impetum fecerunt, & præatoria magna cum dexteritate à prora, vt iactus tormentorum euitaret, in eam inuecta, & non nisi usque ad medianam partem nauis Sancti Matthæi progressa est, vt relinquere reliquis locum eam inuadendi, à quibus cum ingenti ignis, & globorum copia vndiquaque oppugnata fuit. Lopus Figueroa (qui venti commoditate ab hoste superaretur, nec velis suo arbitratu, vt posset) cum videret tot, & tam validas naues in se impetum facere, vñificatione obliqua vtens illas expectauit.

Ibi cruentissima pugna inita fuit: tormenta magna damna inferebant, & præcipue Hispanica, quæ erant crassiora: ita vt tum horum, tum sclopetorum iactibus vehementer lœse duæ naues Gallicæ, postquam aliquandiu pugnassent, à naui Figueroæ recederent. Itare manis Figueroa inter prætoriam, & Amiraliam, & aliam quandam, quibus cum ex ceteris nauibus milites recentes summitterentur, Figueroa non mediocriter animo angi cœpit, præsertim cum iam faces ab hostibus in ipsius nauim coniectæ, ignem latè spargere inciperent.

Verum cum esset homo magni animi, & milites expertos haberet, singulari cum virute se defendebat, & intrepide incommodis imminentibus obuiam ibat. In hoc statu permansit per duas horas: nemine ipsi subsidio veniente, & tandem nauis quædam Biscaina, cui præcerat Petrus Garagarza, vna cum duobus signis peditum Hispanorum, illi auxilium tulit. Marchio interim, animaduerso periculo, in quo erat nauis Figueroæ, cupiebat illi succurrere, sed non poterat tam celeriter, quam necessitas flagitabat. Cum enim, si ad illam accedere vellet, retrocedere, & plane aduerso vēto nauigare oporteret, id quod fieri nō potest, nisi iam ad dextram, iam ad sinistram declinando, & pedetentim progrediendo: verebatur, ne ab hostibus vinceretur.

In nauim etiam, quæ Marchio vehebatur, binæ naues Gallicæ ex maioribus impetu facere conatae erant, sed tormentorum iactibus ita tum ex ipsa naui Marchionis, tum ex vicina Francisci Bouadigliz diuerberatae fuerant, vt altera illarum pene submersa, abirent. Itaque Marchio ab iis liberatus, totam classem conuertit ad nauim Figueroæ, & quæta potuit cum celeritate, illi subsidio venit. Classem proras ita conuertente, perinde ac si retrocedendum esset, postrema acies (vt in huiusmodi casibus fieri solet) prima esse incepit. Itaque à fronte constiterunt nauis Michaelis Oquendii, nauis Capitanei Villavizosa: & alia quædam Biscaina, quæ primæ omnium Figueroæ subsidio venientes simul impetum fecerunt in Amiraliam Gallicam, quæ magnis incommodis acceptis, à naui Figueroæ se se auellere nitebatur. Alia etiam nauis, in qua erat Michael Benesa, progredivs & ipsa magno impetu in prætoriam Gallicam inuecta est à parte exteriore, & obstigit, quo minus nauis Marchionis superueniens ullam ex hostiū nauibus, quæ omnes ab Hispanicis circumdatae erāt, inuadere posset, & præterire, ac sinuosa quadā nauigatioe vti cogeretur. Inter ea Amiralia Gallica trib. illis nauib. fortiter resistebat: nauis Villavizosa, quæ à prora pugnabat, magno incommode illā adficiebat, sed occisus fuit illius præfectus. Ex naui Oquendii qui à puppi illam oppugnabat, in Amiraliam milites aliquot insilierant, & Gallis nonnullis cum aliquot vexillis captis prædæ operam dare cœperant. Verum cum Oquendius periculum esse animaduenteret, ne nauis ipsius, iactu torimenti hostilis perforata, fundum peteret, videretque Amiralia à reliquis Gallicis nauib. subsidio veniri, incommodo accepto remedium adhibiturus, ab illa discessit. Itaque illa pene ab omnibus hostibus libertata cursum ad insulam S. Michaelis direxit, sed non potuit eo pertinere: verum in medio itinere vrpote crebris tormentorum iactibus perforata, submersa fuit, Brisaco nauiculæ cuiusdam beneficio euidente. Interim non eo cum ardore vtrinque naues concurrebant, quo concursus putabantur. nam naues Gallicæ, quantumuis venti secundi commoditate hostem superarent, tamen non inuaserunt alacritet Hispanicas, cum possent:

imo multæ illarum ibi pene otiosæ hæserunt, solis tormentorum iætibus eminus rem gerentes: & si quæ forte cominus ad manus venire conarentur (tentarunt enim id eontra Franciscum Bouadigiam, & Christophorum Erassum) globis tormentorum ita submouebantur, ut accedere non auderent. Nauis quædam Biscaina, qua vehebantur duo ductores, Michael Cardona, & Petrus Pardus, conseruerunt manus cum naui, quæ à Figueroa recesserat, non mediocri incommodo accepto, eamque vicerunt: veruntamen paulo post direpta iam & deserta, aufugit. Capitanei Villauizosæ senioris nauis, in qua erant pedites Ludoici Gueuarræ, congressa est cum Gallica quadam, & post satis diuturnum conflictum ab illa recessit: & una, atque altera nauis appropinquavit: reliquæ tantum eminus prætergredientes tormenta exonerabant. Nauis Figueroæ interea fortissime pugnarat, ita ut duæ è nauibus, quæ cum illa congressæ erant, tormentorum iætibus laceratae submergerentur: & quantumuis naui prætoriæ Gallicæ tot milites subsidio mitterentur, ramamentam male mulctata fuerat, ut ii, qui ea vehebantur, clamarent se paratos esse deditio nem facere.

Ceterum cum ex Hispanis tot vel occisi, vel vulnerati essent, vt vix septuaginta ad pugnandum apti supereissent, noluit Figueroa permittere, vt in prætoriam insilirent, ac omnino eam in potestatem redigerent: quod cum vidissent Galli, & cum eodem momento trecenti milites ipsis auxilio venirent, Figueroa relicto, fuga sibi consulere conati sunt. Ceterum Marchio, qui omnia diligenter contemplans circum nauigabat, ac variis in locis hostem tum tormentorum, tum sclopetorum iætibus offendebat, cum videret prætoriam nauim Figueroam relinquere, impetum in illam fecit, vt & nauis quædam Biscaina, qua vehebantur Capitaneus Bastida, & Ioannes Viuerius: sed conflictus iste non durauit ultra horam, qua clapsa, prætoria Hispanica prætoriam Gallicam cœpit ex his trecentis amplius Gallis.

Ibi inuentus fuit Philippus Strozzius, & statim in nauim Marchionis træslatus, ac in ea ex vulneribus lethibus paulo post, nulla voce emissâ, decessit cum ingenti omnium fortium virorum dolore Comes Vimiosius captus fuit à tribuno Mondenaro Italo, voluntario: verū cum & ipse grauissime vulneratus esset, biduum tantum superuixit, à Marchione tanquam consanguineus, humanissime habitus. Ita mortuus est Franciscus Portugallus Comes Vimiosius, maiori cum gloria, quam quisquam eorum, qui haec tenus partes Antonii secuti fuerant. Erathic iuuenis multis ornatus corporis & animi dotibus, sed quas comitaretur puerilis quædam vanitas, quæ eum ita obstinatum reddiderat. Nihilominus tamen omnes, qui eum norant, morte ipsius doluerunt, quia natura erat amabilis. Inuenti etiam fuerunt non sine admiratione octuaginta nobiles, inter quos erant triginta, qui feuda nobilia possidebant, & totalii, vt omnes ad trecentorum numerum ascenderent. Pugnatum fuerat spatio quinque horarum, quando Galli prætoriam nauim captam, & Amiraliam, aliasque duas submersas, & multas iætibus tormentorum vehementer conquassatas videntes, in fugam se coniecerunt, non in sequente propter noctem ingruentem Marchione, quia naues Gallicas, tanquam velociores, assequi se non posse iudicabat: & quia, cum illæ in fugiendo dispersæ fuissent, sibi etiam necessario classem diuidendam videbat, id quod non putabat consultum esse, præsertim, quia etiam à tergo relinquere oportuisset nauim Figueroæ, quæ incommodata tanta acceperat, vt velis, anchoris, & funibus priuata, & ad nauigandum pene inutilis esset. Memorabile est, quod cum in hac naui esset quidam Ioannes Iaemius, sacrificulus Figueroæ (homo qui aliquot expeditiobibus interfuerat) & inchoato prælio, cum videret tantam vim ignis à Gallis coniici, sub foros se se abdidisset, strepitu sclopetorum, & fragore tormentorum ita consternatus est, vt vulnera nullo accepto, solo metu exanimaretur. Recuperarunt Hispani unam è nauibus, quas equis onustas amiserant: & sine dubio plures naues Gallicas cœpissent, si plures nautas, à quibus regerentur, ad manum habuissent. Et ob hanc causam deseruerunt Amiraliam, quæ paulo post submersa fuit, & nonnullæ alias, valde globis tormentorum laceras, & à Gallis derelictæ ab Hispanis etiam neglectæ fuerunt. Itaque Marchio duas ex his, igne injecto comburi iussit, & nonnullas alias, gubernatoribus & nautis nudatas, littori insulae maris fluctus illiserunt. In hac pugna Galli iacturam fecerint septem aut octo nauium ex melioribus, & bis mille amplius militum, multis etiam vulneratis. Ex Hispanis desiderati fuerunt circiter ducenti, & sauciati plures quingentis. Dicunt Lusitani, Antonio addicti, non omnes Gallos pugnæ interfuisse, propterea quod Rex Philippus duces aliquot pecunia corrupisset: & aucta fuit hæc opinio ex eo, quod Antonius postea in Insula capite plecti iussit Eduardum de Castro, cuius opera Philippum hac in re visum fuisse putant: sed falluntur. nam etsi Eduardus de Castro multa promitteret ministris Philippi,

cum

sum ab ipsis è carcere liberaretur (in quem coniectus fuerat, cū fugam è Lusitania parans interceptus fuisset, tamē nihil efficere potuerat, & morti ipsius causam præbuerūt nonnulla consilia, quæ post hanc iacturam, in mari acceptam tractare cœperat, & cœdes Antonii Baraccii, vnius è numero intimorum Antonii amicorum, & eorum, qui in causa fuerāt ut rex salutaretur, ab eodem Eduardo perpetrata. Hunc finem habuit pugna naualis prope Insulas Terceras: quæ fortassis una est è maximis quæ vñquā in Oceano commissæ fuerunt. Etsi enim in Belgico in his recentibus bellis, etiam aliquoties in mari dimicatum fuit: tamen reuera hoc non factum est in Oceano, sed in fretis, & fluminibus prope Insulas Hollandiæ & Zelandiæ, & potius terrestres, quam maritimi hi conflictus vocari possunt. Verum exitus huius prælii, præter periculi, & stragis magnitudinem, eo etiam majoris momenti fuit, quam omnium, quæ vñquam commissa fuerunt, quod hac victoria non tantum stabiliebat tranquillitas, & quies Lusitanæ: sed etiam Hispaniæ totius, in qua si quid secus euenisset, probabile est, omnia non mediocri terrore & perturbatione repleri posse. Facile enim erat Gallis, fortuna tam secunda, Antonii præsentia & populi fauore adiutis, cum illis copiis, quas habebat redintegrare bellum in regno dubio, & suspenso idque cum maiori Hispanorum periculo, quam vñquam antea: propterea quod multitudo Lusitanorum in exercitorum, cum tot militibus Gallis coniuncta, magnam felicis successus spem adferre videtur. Antonius, qui vñebatur nauigio minori, veloci & egregiè instructo, pridie eius diei, quo commissum prælium fuit, quantumuis ab illo 20 omnis ipsis fortuna dependeret, fortasse tuto se ibi diutius manere non posse ratus, vñ cum duabus aliis nauibus minoribus in Insulam Terceram adpulit, vbi a ciuibus Angrani magnifici arcus triumphales, statuæ, & similia, quæ in aduentum regum institui solent, ad illum excipiendum parata fuerant. Verum ille, fortassis mala imminentia præagiens, ista omnia intempestiu*m* iudicasse videtur. Nam reliquo ponte ligneo (qui tantum ipsis us excipiendi causa extructus, in plateas sumptuose exornatas ducebat) in alio loco, inde satis remoto descendit cū exiguo comitatū, & maiorē, m̄orē quam hilaritatē præ se ferēs. Ibi cum in horas certior fieret, quid ageret classis, subinde intellexit pugnæ successum cum incredibili dolore, qui creuit, accepto nuntio de morte Strozzi, & Comitis Vimiosii: cum quæ de sua ipsis salute sollicitus esset, variis cogitationum, curarumque fluctibus hinc indeagitatus, in tam tristis casu, quid consili caperet, non reperiebat. Etsi enim satis Insularibus, & loco munito fideret, tamen verebatur, ne à Marchione, victoriā persequente, oppugnaretur, & ne ali, qui ipsi adhærebant, tanta iactura animis fracti non satis constanter hostibus resisterent. Quæ de causa potius ad deserendam, quam defendendam insulam inclinabat.

Ex hoc metu non nihil se collegit, cū paulo post septendecim naues Gallicæ, & Anglicæ eō adpulissent ex numero earum, quæ è pugna aufugerant, vt damna à tormentorum istib[us] accepta resarcirent, sauciorum vulnera obliganda curarent, & de aqua dulci sibi prospicerent. Sperabat Antonius se militum, qui his nauibus vehebantur, præsidio duum, resistere posse, quamuis illi pauci essent, quod reliqui Brissaco, & Strozzio, duante certamine subsidio missi & magna ex parte cæsi fuerant. Ceterum plures paulatim naues adpellabant, quoniam tum tēporis in Galliam nonnisi 18. Gallicæ vna cum Brissaco, & quinque Anglicæ reuersæ sunt. Landrēsius, nouem nauium præfetus, è prælio aufugiens in Insulam Faialem adpulerat, vbi milites ipsis prædari cœperant. & quamuis ille non adprobaret eorum facinus, imo direptionem impediisset: tamen, cum postea Angram nauigasset, siue ob hanc causam, siue quod Antonius ipsis diffideret, ciuitatis ingressu prohibitus fuit. Marchio, pugna finita certus hostem fugientem non insequi, voluit adpellere ad Insulam S. Michaelis, vt se non nihil reficeret, ac sauciorum rationem haberet, & classi de aqua dulci prospiceret; sed non licuit ipsis per ventum contrarium, qui integrum triduum illum repulit: quarto vero die ventum secundiorem nactus, Villam Franciam adpulit: ibique sauciis expositis, de omnibus rebus necessariis sibi prospexit, & totius insulæ incolæ ipsi tanquam regis vicario, iuramentum præstiterunt. Kalendis Augusti descendit in terram Franciscus Bouadiglia cum quatuor signis peditum, qui omnes capitulos, in medium acceptos deduxit in forum Villæ Francæ & ibi iussit eos concendere in tabulatum quoddam, è ligno ad altitudinem staturæ virilis extrectum: & deinde clara voce lecta fuit sententia, à Marchione contra illos pronuntiata: in qua, ostendebat contra pacem, quæ esset inter Reges Hispaniæ & Galliæ, eamque iuramento confirmatam, existens, & animo intercipiendo naues Regis Hispaniæ, quæ ex Indiis, & mundo nouo expedita, & animo intercipiendo naues Regis Hispaniæ, quæ ex Indiis, & mundo nouo expedita, & gabantur, & Insulas Regiæ Maiestatis diripiendi, vt etiam reipsa Insulam sancti Michaelis.

lis diripuissent. Deinde classem Gallicam, inita cum Regia Maiestatis classe pugna victam & fugatam: cumque in prælio capti essent viginti octo ex primaria, & quinquaginta duo ex inferiori nobilitate multique nautæ, & milites gregarii, se declarare filios captiuos hostes pacis, & boni publici, & perturbatores commerciorum, & protectores rebellium subditorum R. M. & tanquam tales, & tanquam manifestos piratas velle se eos à præfectorerum capitalium iustis poenis ad exemplum aliis proponendum, ac supremo suppicio adfici, ita, vt nobilès capite pleterentur, & reliqui, annum etatis decimum septimum excedentes, laqueo suspensi strangularentur: & hoc requireretum pietatem tum vtriusque regis utilitatem.

Hæc sententia crudelissima visa est omnibus, qui eam pronuntiari audierunt, & in primis militibus Hispánicis: seu quod vererentur, ne sibi aliquando idem accideret, & ægre ferrent iacturam pecunia, quam multi ex tot captiuorū redēptione sese collecturos sperabant, seu quod bono studio ducerentur. Qua de causa non ulli è militibus satis libere dicebant, sententiam fundamētis parum solidis esse superstructam: neque enim inter regem Hispānīæ, & Regem Galliæ esse firmam pacem, & inuiolatam: sed potius bellum; nec captiuos piratas, aut latrones esse, sed strenuos milites. Pacem non esse probabant bello Belgico, quod iam tum vehementius, quam vñquam antea, arderet: dicebant que in illis partibus penè totum patrimonium regis Philippi occupatum fuisse. Non esse illos piratas, dicebant constare ex diplomatis regis, quorum auctoritate, & naues instruæ, & milites scripti fuissent: præterquam quod etiam numerus, & conditio captiuorum talis esset, vt facile adpateret, illos non sponte sua, sed Regis auspiciis hanc expeditiōnē suscepisse. Quanquam autem inter vtrumque regem multa dissimularentur, regi Galliæ modo à matre, modo à fratre excusationem petente, tamen hæc omnia nihil esse, nisi dissimulationes principum; sed nihilominus bellum reuera intercedere, cuius leges tam asperas esse negabant, vt sine discriminē omnes captiuos promiscue in furcam aggiuberent.

Et sane tam vehementer multorum animi hac re commoti fuerunt, vt primarii aliquot milites Marchionem adirent, ac memorabili cum exemplo pro hostium suorum vita deprecarentur. Verum Marchio respondit, Regem Galliæ expresse mandasse, vt suppicio capitali adficerentur Gali, qui contra regem Hispānīæ militarent. Qua de causa nobiles illi eodem die cum publico omnium dolore, & summa seueritate decollati super tabulato, & nautæ ac milites gregarii in diuersis locis suspensi fuerunt: qui quidem omnes erant non tantum fortissimi milites, sed etiam Romanæ religioni addictissimi. Tam asperæ pœnæ culpa non imputabatur Marchioni, quod expressum Regiæ Maiestatis mandatum habere crederetur. Excusabatur etiam Rex, quem verisimile erat dedisse huiusmodi mandata, cum non putaret in classe Gallica esse, & prælio capi posse tot homines è primaria nobilitate, præsertim quia constabat R. M. esse à crudelitate alienam. Alii rursus iudicabant Regem ira contra Gallos æstuare. Nam sub prætextu amicitiæ, pacis, consanguinitatis, & interim dum Reges cotidie per litteras alter alteri vel gratulantur, vel condolent, Galli non tantum rebelles Philippi subditos iuuerant, sed etiam, prouinciis ipsius occupatis, tam numerosam classem in eius perniciem emiserant. Et quamvis principes soleant multa dissimulare, & simulare, tamē Galli, noua omnino ratione adhibita, Philip-pum oppugnare velle videbātur. Quamobrem statuebant Regi suppicia de captiuis sumpta non displicuisse.

Cum classis eo in loco se aliquantum refecisset, Marchio obuiam nauibus Indicis i-turus cursum direxit versus Insulam Corui: cumque in conspectu ciuitatis Angræ præter nauigaret, Antonio & omnibus incolis terrorem incussit. Etsi enim Marchio, victoria, quā obtinuerat, contentus, nō putaret consultum in noua pericula se præcipitare, tamen Antonius verebatur, ne in illo victoriæ recentis feruore inuaderet insulam: in qua quidem & incolæ, & milites Galli erant satis multi, sed timidi, & ad pugnam imparati: & sane Antonius diligenter sibi de nauigio quodam prospexit, quod, necessitate flagitante, consenseret. Non dum Lisybonam nuntius de prælii successu perlatuſ fuerat, & omnes de eo non mediocriter erant solliciti, quia, ē nauigio quodam Biscaino intellectum fuerat, manus conseri. Sed nauis Galica, quæ à tormentis nauis Figuerorū diuerberata, fuga sibi consulerat, certi aliquid de prælii eventu retulit. Cum enim (dissimulans se prælio interfuisse) Setubalum adpulisset, agnita fuit, & in ea inuenti sunt aliquot milites Hispāni mortui in quorum vnius sinu reperti sunt pugillares, in quibus norata erant omnia quæ ab eo tempore, quo classis Lisybona soluerat, pene usque ad mortem ipsius contigerant.

Expectauit prope Insulas Marchio aliquandiu naues Indicas: quarum cum duæ venissent,

missent, mari intumescente, vna cum ipsis Lisybonam adpulit cum incredibili totius aulae gaudio, & à Rege humanissime exceptus, ac habitus fuit. Antonius post discessum Marchionis animo quietiori esse cœpit, quod existimaret intra anni spatium sibi ab hostib. metuendum non esse. Ingenti autem eum dolore adficiebat mors Gallorum captiuorum, quia verebatur, ne sibi illa res in Gallia fraudi esset: & Emanuel Sylvius ipsi suadebat, vt in huius iniuriæ vindictam iuberet suspendi quinquaginta aut sexaginta Hispanos, qui diuersis temporibus capti fuerant. sed ille ab hoc consilio alienus erat. Laborabat penuria pecunia: armorum quantum satis esset, habebat. Itaque auctore Emanuele Sylvio cotidie aspera mandata promulgabat ad pecuniam subditis, & illis, qui inuiti ipsius partes amplecdebantur, extorquendam. Curauit cuendam monetam auream, quæ cum haberet pondus octo tantum regalium, illi valorem viginti regalium imposuit. Curauit etiam cudi nummos argenteos, qui habebant pondus vnius regalis, ac medii, & æstimauit illos dimidio ducato: denique nummi Lusitani ærei valorem a ternario numero ad decimum usque adauxit.

Quoniam autem multi, vt calamitates imminentes euaderent, ad montes confugerant, mandabat, vt unusquisque in ciuitatem reueteretur: & si quis forte redditum vel tantillum ultra terminum, in edicto præstitutum, differret, statim omnia illius bona in fiscum redigebantur. Multi metu militum carissima quæque extra urbem abscondiderant. Itaque Antonius edixit, vt unusquisque omnia sua intra muros referret: qua ex re magna in illum uilitas redundabat. nam ab illis, qui res suas reportabant, pecuniam mutuam petebat, & illorum, qui non statim illigratificarentur, bona milites iussu ipsius inquirebant, & contumeliosissimi verbis miseros simul lacerantes, diripiebant. Non poterat quisquam sine lacrymis intueri miserabilem statum rerum Ecclesiasticarum. Nam monachi, exceptis lesuitis, rebus bellicis se ingérentes, nihil sacerdotale habebant præter habitum, & nomen. Conciones, confessiones, & reliqua omnia, quæ ab ipsis administrabantur, erant talia, ut hoc omnium genus nequam in suis actionib. Deum pro scopo, & sine sibi proposuisse videtur. Quin etiam ipse Antonius in mediis calamitatibus nondum lasciuæ obliuisci poterat: matronæ honestæ difficulter contra ipsius libidinem se tuebantur: & in monasteriis cum virginibus sacris nimis familiariter conuersatus est, inter quas (non minus quam inter viros) non sine scandalô, & confusione, factiones & cōtraria studia regnabant. Porro Antonii exemplum multi ex ipsis asceclis, & quidam etiam Galli imitabantur. In hoc vitæ genere permansit Antonius usque ad mensem Octobrem, incertus interim, quid consilii caperet. Nam reuerti in Galliam, facta tot nobilium iactura, non putabat tutum esse, & dubitabat, quam gratus ipsius redditus futurus esset. Sicut enim priuorum hominum indignationem metuebat: ita etiâ rursus in reginæ matris patrocinio non parum spei collocabat. Manere in insula cum tanto comitatu, & præsidio diutius se non posse videbat, quod pecunia tum in stipendia militum, tum in sumptus quotidianos non supppereret. Tandem constituit soluere cum nauibus quas habebat, & in Galliam natigare: sed prius tamen cursum dirigere versus Insulam Maderam & Canariam, vt, de réptis ibi oppidis aliquot infirmioribus, militum animos præda illa deliniret. Paratis itaque ad triginta nauibus non tantum milites assumpserit, sed etiam noua plane pecuniam extorquendi arte vtens, edixit omnibus ciuiibus, quos suspectos habebat, & monachis, qui cōtraria parati studebant (vt lesuitis, & aliis) ut naues una secum concenderent: & maior i cūm seueritate hoc iniungebat illis, qui minus apti ad iussa exequenda erant, nimurum ut se ab hac expeditione pecunia redimerent. Cum autem omnes tanquam ad rem naualem nutiles, efficacissimis rationibus adductis se excusarent, & deprecarentur, frustra laborabant. Nam iuuenibus respondebat, se illorum loco satellitum sibi futrorum, opera egere: senibus vero, sibi illorum opus esse. Qua de causa multi pecunia illum quisque pro facultibus suis, placarunt (hoc autem unicum ille querebat) & ita ipsis editi gratia fiebat. Ceterum haec ars statim alia arte delusa fuit. Cum enim multi essent, qui ex insula excedere, & chauim concondere cuperent, non vt cum Antonio proficiserentur, sed vt in Hispaniam nauigarent: nonnulli præfecti nauium, hac re animaduersa, pepigerunt cum istis Lusitanis, vt loco illius pecunia: quæ Antonio pro licentia in Insula manendi soluenda fuisset, ipsis eandem summam, aut etiam longe minorem, soluerent, & nauibus illorum in Lusitaniam veherentur. Et ita multi, Gallis, & Anglis confidentes, & nihil Antonio solueptes, naues concenderunt, pacta certa mercede, pro qua in continentem deportarentur. Cum hac classe soluit Antonius ex insula Tercera, vicibus suis demandatis Emanueli Sylvio, cui relinquebat quingentos milites Gallos, ducibus Baptista Florentino, & Carolo Gallo. Appropinquavit Insula S. Michaelis, cumque ibi aliquandiu

hæsisset, metu præsidii Hispanici in littus descendere ausus non fuit, & propter tempestatem, quæ ex improviso coorta erat, discessit, & tum aliquot naues Gallicæ, & Anglicæ eum deseruerunt, quarum præfecti liberaturi fidem suam erant apud Lusitanos, qui ipsorum naues concenderant. Interim in Galliam peruaserat fama de victa classe, & de morte tot captiuorum, quæ res atulæ, & vniuerso regno ingentem dolorem, & indignationem commouit, ita vt Galli, tra inflammati, ad vindictam aspirarent: cumque Belgicum vicinū haberent, cuius erat status ille, quem diximus, in eam partem iram suam euomebant: ita tamen, vt post reditum Antonii nihilominus de noua classe, in futuram æstatem paranda, ageretur. In Hispania dicebant conatus Antonii, & Gallorum contra Lusitaniam esse abruptos: & satis constare, quæ essent illorum vires: interim naues stipendio conductæ, nondum dimittebantur: imo quia Neapoli duæ triremes maiores venerant, videbatur Rex in animo habere, potenti in annum sequentem classe instructa, integrum Oceani imperium sibi vindicare, tum ad præcidendam Antonio omnem denuo aliquid tentandi ansam, tum ad protegendas, contra incursionses Gallorum & Anglorum, naues ex India, & mundo novo venientes: denique ad Insulam expugnandam. Cupiebat Rex redire in Hispaniā, partim quia vocatus erat ad Conuentus Arragonenses, & matrimonium filiæ cum Imperatore confidere expetebat: partim ad alia negotia, in illis regnis occurrentia, expedienda: & ideo iter ingredi constituerat mense Novembri Anni 82. Verum voluit prius amplificare condonationem delictorum, quam iam ante concesserat Tomari illis, qui Antonii partes securi erant. Itaque exceptis monachis, & aliis decem, reliquis omnibus penitus ignoscet, hac lege, vt intra certum tempus se regi exhiberent. Sane hæc res nihil profuit. Pauci enim accesserunt, & multi dicebant Regem, ira etiamnum inflatum sibi ipsi imperare hoc non posse, vt libere ignosceret. Impediebat deinde hoc eius iter nuntius de morte Iacobi filii primogeniti, qui cum iam in comitiis Tomatiensibus Regis successor designatus, & iuramento confirmatus fuisset, Rex ante discessum suum idem iuramentum Philippo, filio natu minori, tum temporis ægrotanti, præstari volebat. Et quia nullus ipsi supererat filius, præter hunc (ita vt denuo linea masculina horum Regum in halitu vnius consideret) accedente etiam senectute Regis, & statu rerum omnium satis perturbato, tam illi, qui quietis, quam qui nouarum rerum audi erant, varias animo cogitationes concipiebat. Ut ergo iuramentum hoc filio præstaretur, Philippus denuo indixit ordinum conuentum 30 Lisybonam, quod hanc rem ante abitum suum perficere omnino animū induisset. Mortuus est hoc tempore febri lenta Dux Albanus, in Palatio Lisybonensi, sub ipso Regis conclave, postquam 74. ætatis annum attigisset. Vsus est erga ægrotantem Rex magna humilitate, quia eum paulo ante mortem inuisit. Non dubium est, quin Rex ex morte illius mœrem percepit, & iacturam tanti ministri agnoverit. Et sane verisimile est obitum illius non minorem Regi dolorem, quam inuidis, & æmulis Albani voluptatem attulisse. Veruntamen obseruârunt Lusitani Regem postridie in publicum pròdiisse Missæ audienda causa, nec ullam præ se tristitiam tulisse, contra morem Regum Lusitanæ, qui propter mortem hominum longe inferioris conditionis, si de Regno bene meriti essent, à publico aliquot dies abstinere consuefissent, & visum hoc est eo maiori admiratione dignum, quod 40 nonnulli narrabat Regem Emanuelē per integrum triduum non pròdiisse propter mortem præstantis cuiusdam naucleri. Evidem actiones magnorū principum ita vulgi censoræ obnoxiae sunt, vt etiam illæ quæ summa cum circumspectione sicut, hominibus curiosis sermocinandi, & malignis calumniandi materiam subministrent. Mortua est cum Albano, vt ita dicam, omnis ars militaris totius Hispaniæ. Nemo enim supererat, qui cum illo vel peritia, & vsu, vel aliis rebus comparari posset. Erat Albanus corpore proeero, facie macilenta, & graui. Erat ornatus raris dotibus naturæ, & fortunæ, quas arte valde excolluit. Erat animo generoso, & ad ardua aspirante: ingenio prompto, & acuto, solido, & sedato iudicio. Non erat nimis diuinitarum audiens: in donando parcus: in sumptibus domesticis splendidus. Non erat optime dissimulare, si quid durius à Rege in ipsum statueretur: astutus, & technarum aulicarum insignis artifex erat. Et necessario talem esse oportebat, vt clandestinis æmulorum machinationibus occurtere posset. Maiori hominum parti erat exodus; quia erga inferiores superbum se gerebat, & quales felicitati, & dignitati ipsius inuidebant.

Studium insinuandi se in gratiam Regum (ad quem scopulum eleuatissima quæq; ingenia naufragij facere solent) fuit in ipso summū. Et fortassis ob hanc causam, aut propter imperium, q; sibi in reliquos omnes ministros vindicabat, & ob quod etiā odiosus erat, parum gratus fuit Carolo, & multo minus Philippo, quantumuis illis à pueris usq; ad eorū senectutē spatio 60. annorum indefessam operam continue nauasset. Sed reges non tanto a more

mo e prosequuntur eos, qui de ipsis bene meriti sunt, quanto eos, quos ipsi beneficiis adfece unt. Amabat natura artem militarem, cuius quidem tam peritus erat, vt ex Hispanis diu nemo reperiatur, qui cum ipso comparari posset: & postremo propter etatem, & diuturnum rerum usum, tantum in ea profecerat, vt nemo ferre ex omnibus nationibus esset, qui illi non cederet. Valuit iudicio, & dexteritate in loco commodo, castris deligendo. Itaque et si hostibus interdum viribus longe inferior esset: tamen illis frenum iniciiebat. Tantum enim arte assequebatur, vt nunquam eum tali in loco reperirent, in quo primum recusaret. Satis prompte ipse pericula adibat: sed milites suos non facile in discrimen adducebat: semperque plus fiducie in industria, quam in fortuna collocabat. Secundum uerarum legum militarium (a quarum rigore talus exercituum, & regnum conseruatio dependet) aper erat, & inexorabilis executor. Erat natura propensus ad victorias incruentas, & fors etiam ipsi bella, ingenio eius apta, obtulit. Nam cum maxima ex parte illa ad defensionem comparata essent, decebat eum tanquam ducem prudentem, bellum ducentibus obiciuntur, eneruarent, quam totum regnum aleæ subiicere, nullo alio proposito præmio, nisi victoria vnius prælii, idque contra eum, qui nihil, nisi militem perdere poterat. Et in hanc sententiam respondit Albus in regno Neapolitano consiliariis bellicis anno quinquagesimo octavo, cum pulsis Gallis, hortarentur illum, vt manus consiceret cum hostibus, qui se recipiebant. Dixit enim se nolle ludendo deponere Regnum Neapolitanum contra chlamydem, ex auto & serico textam.

Tali enim tum temporis indurus erat Dux Guisius, Imperator copiarum Henrici secundi, Regis Galliae. Sane nonnulli carpebant in eo, quod nimis cautus esset in execuenda magni momenti rebus belli tempore. Commissa ipsi fuerunt à regibus maiora munera, & maioricu[m] auctoritate, quam cuiquam alii ex illorum subditis: & fortassis iam inde à multis annis nullus Dux fuit, qui tam diu arma tractauerit, vel in tot prouinciis vexilla sua explicauerit. Nam in Italia, in Hispania, in Gallia, in Hungaria, in Germania, in Belgio, in Africa militauit: quanquam ipse saepe in ore habere solebat, se nihil esse assecutum, p[ro]pterea quod suis oculis minus nullum Turcarum exercitum vidisset. Expertus est varias utriusque fortunæ vicæ.

Sane ultima expeditio in Belgium nonnihil pristinam eius gloriam imminuit. Etsi enim tanquam Dux exercitus, strenue ibi militauerit: tamen nesciuit (vt etiam alibi ipsi contingit) victoria vti. Sed potius nimis sibi ipsi tribuens, statuam æream in arce Antuerpiana curauit ergendam. quæ postea iussu regis deiecta fuit. Adparet illum rectius usum esse fortuna aduersa, quam prospera. Nam in illa fortis se gessit, in hac confidentem: ita ut maiorem ex infortuniis, quam ex victoriis gloriam sibi compararet.

In morte documenta dedit magnitudinis animi, quam in vita saepe testatam fecerat: & (quod plus est) ostendit se religiosum esse Christianum: & non fuit minima felicitatis pars, quod morienti adfuit Ludoicus de Granata, celeberrimus ille concionator, cuius scripta sacra ab omnibus tanto in pretio habentur. Substitutus fuit in locum Albani Carolus Borgia, Dux Gandiae, homo maiori bonitate, quam rerum usu prædictus. Curauerat Rex adferenda ex Africa ossa regis Sebastiani, eaque una cum ossibus Henrici, quæ erant Almerini, ante abitum suum solemní more in templo Belemensi prope ceteros reges Portugaliae sepelienda curaturus, Beleum se contulit, triduumque ibi commoratus est.

Iussit etiam ex nonnullis aliis Regni locis in idem monasterium deferri viginti corpora aut potius cineres cognitorum suorum, (qui fuerant filii, & nepotes regis Emanuelis, & qui quodammodo morte sua ipsi aditum ad regnum patefecerant) vt ibidem una deinceps custodiarentur. Celebratae fuerunt exequiae sumptuissimæ, cum magno apparatu, & ad habitis omnibus monachorum ordinibus, idque soli Henrico. Nam ceteris iam ante patentatum fuerat. In oratione funebri leuiter tactæ fuerunt res Sebastiani: immensis vero laudibus ornatus fuit Henricus: quæ quidem, tanquam mortuo tributæ, gratiore[s] fuerunt, quam laudes Philippi viui, ac præsentis, quas orator accurate amplificauit, postquam genealogia regis Emanuelis in suos ramos distributa, successionem usque ad Philippum ordine perduxisset. Non est consilium silentio præterire hic rarum quiddam quantum uis nonnihil à proposito alienum. Hoc enim anno, qui erat à nativitate seruatoris nostri 1582. decem dies ex consueta anni computatione demti fuerunt.

Nam, suadente summo Pontifice, omnes Principes Christiani, Romanæ sedi parentes, edicto in ditionibus suis cauerunt, vt è mense Octobri decem dies expungeretur: & ita loco quinti diei substitutus fuit decimus quintus. Hoc autem factum fuit in hunc finem, vt computatio temporis accommodaretur ad eam rationem, & adeos stellarum po-

situs, qui erant tempore passionis redemptoris nostri Iesu Christi, & vt Pascha, & reliqua festa vere, & recte suis diebus celebrarentur. Porro hoc paulò ante non siebat. Nam cum verus solis cursus, qui annum efficit, aliquot minutis horæ minor esset eo tempore, quod hactenus pro anno computatum fuerat, tot annorum decursu tam paruum discrimen decem diefum interuallum pepererat: & ita beneficio huius æqualitatis, temporis computatio antiquæ integrati restituta est. Cupiebat Rex se se extricare è negotiis Lusitanicis, audius redeundi in Hispaniam. Qua de causa 26. Ianuarii Anni 1583. conuocatis omnibus regni ordinibus, primam sessionem celebrauit in Palatio Lisybonensi: in qua cum breui oratione Alfonsus Castelblancus, recens Algarbi Episcopus factus, ostendisset dolorem, quem Rex è filii primogeniti morte percepérat, & quantopere necesse esset, secundo iuramentum à subditis præstari, respondit Melchior Amaralius, vñus ex procuratoribus Lisybonensis nominé totius Regni, omnes ad hanc rem promptos, & paratos esse. Incipiens itaque Dux Barcellensis adolescens, tanquam Dux Braganciæ: (pater enim manu nudum ensem gestans officio Conestabilis fungebatur) in genua ad Regis pedes prouolutus, manum extendit iurans more consueto: quem cum deinde reliqui omnes subsecuti essent, huic actui finis impositus fuit. Dederat Rex operam, ne hæc ordinaria conuocatio fortiret ut nomen Comitiorum, vt præcideret ansam, aut de nouo multa petendi, aut repetendi illa, quæ superioribꝫ Comitiis petierant, nec obtinuerant. Et hanc ob causam omnibus ciuitatibus & oppidis miserat specimen mandatorum, quæ procuratoribus dari solebat, quæque ad nihil aliud, nisi ad iuramentum filio Regis præstandum, extendebantur. Quanquam autem voluntati Regis hac in parte satisfactum fuisset: tamē nihilominus ordines, & in primis Procuratores Regni petitiones suas, & postulata, in Comitiis Tomarenſibus proposita, redintegrare, & noua etiam ad necesse cœperunt: & speciatim, vt Regia Maiestas magnificientiam, & clementiam suam declararet, generalem veniæ concessiōnem, quo ad negotium Antonii publicando: ostendentes prodeſſe plurimum, & parum nocere illam Regiæ Maiestati posse. Sed quæcumque tandem causa fuerit. Rex nec in hac, nec in vlla alia maioris momenti re ipsis gratificatus est. Cœpit autem rationem habere aliquot Lusitanorum, præmia potentium. Etsi enim multis iam ante satisfactum fuerat: tamen non erant contenti. Equidein licet Rex valde in hac re laboraret, tamen (siue illius, siue ministrorum, siue perentium ingenio, siue omnibus his simul hoc adscribendum sit) multis minime satisfactum fuit, vel quod omnino non remunerarentur, vel quod saltem præmia meritis suis minora esse iudicarent. Dux Braganciæ in hoc conuentu sperabat se obtentum ea præmia à Rege, quæ se meruisse putabat. Verum etiamsi remuneraretur, tamen fortasse expectationi ipsis non fuit satisfactum. Cum enim ad amplificationē ditionis suæ, & ad maiorem in Lusitania potentiam aspiraret, videbatur huic desiderio è diametro repugnare votum Regis. Quod itaque præmia exigua fortasse esent respectu dignitatis tanti Ducis, studiose celata sunt, & permisum ipsis fuit replicare, vt deinde mēs regis eo melius explicari posset. Marchioni etiam Villæ regalis Rex non satisfecit: ita vt hi duo non mediocriter offenderentur. Porro Dux, qui multos iam dies ægrotabat, post discessum suum ex aula paucos dies superuixit. Et dictunt Lusitani dolorem, quem ex præmiorum, à Philippo acceptorum, tenuitate percepérat, mortem ipsi accelerasse. Emendauit Rex in procinctu defectus, qui circa iurisdictionem occurrabant, multas nouias leges faciendo: Lusitanisque vestium sericarum liberiōrem, quam sub prioritibus regibus habuerant, vsum concessit. Crœauit gubernatorem Regni Albertum Cardinalem, & Archiducem Austricæ: adiunctis tamen ipsis tribus Consiliariis: nimirum Georgio Almeda, Episcopo Lisybonensi: Petro Alcasoua, & Christophoro Moro, qui ex regni Secretario recēs scriba puritatis (vt vocāt) factus fuerat: quod quidem munus tantæ dignitatis est; vt antea non nisi primariis regni hominibus committeretur: nec iam inde à tempore Ioan. Tertii, quando Michael Sylvius, Episcopus Viseuensis, qui postea factus est Cardinalis, cum mala Regis gratia ex Lusitania in aulam Romanam discessit, quisquā ei prefectus fuerat. A Cardinale Alberto, Archiduce Austricæ, in presentia consilii supremi, & Cameralium Lisybonensium exegit iuriandum, quo ille promisit se iuste imperaturum, & Regi redeunti Regnum restituturū. Imperatrix, soror Regis, reuersura in Regnum Castellæ, visitauit primum monasterium Sanctorum, in quo sunt moniales, quæ tamen matrimonii contrahendi facultatem habent, & ex eo secum abduxit Iulianam Dalencastriam, puellam tredecim annorum, quæ post mortem matris suæ, Magdalena Gironiæ, futura erat Ducissa de Auero: id quod valde Lusitanos offendit. Etsi enim Imperatrix diceret Regem velle sibi cauere, ne illa cuiquam, ipsis non satis grato, nuberet: tamen rapta quo dammodo videbatur, & multi verebantur, ne Rex eam alicui in Hispania in matrimonium collocaret. His tebus

rebus gestis, discessit Rex 11. die Februarii anni 83. cum mœrore hominum pacis aman-
tium, & cum lætitia seditionisorum. Illi enim metuebant, ne inter populum & milites præ-
sidiarios dissidia nascerentur, & ne milites, quibus stipendia parce soluebantur, tumultus excitarentur: & ne auctoritas Cardinalis non haberet tantas vires, quantas præsentia re-
gis ad remedia malis instantibus adhibenda: His contra sperabant fore, ut absentia Regis,
animus subditorum ab illo alienus, onera præsidiorum & annonæ difficultas in eunte vere
(præsertim copiis in Gallia conscriptis) occasionem mutationibus præberent: quantum-
uis temporis res omnes, Regi ex sententia succedere viderentur. Intelligebatur autem
in Belgico Ducem Alanconium, urbem Antuerpiam, quæ illum pro domino, & protecto-
re agnoscebat, occupare conatum, sed, etiam si totum exercitum in vicinia haberet, nihil
tamen effecisse: imo, capta iam vna ex portis ciuitatis, & tribus circiter millibus Gallorum
in eam introductis, copias Alanconii incredibili ciuium virtute, cum mediæ partis cæde,
repulsas fuisse. Qua de causa verisimile videbatur fore, ut Belgæ, non amplius Alanco-
nion fidendum rati, cum Reget transigerent. Porro illi Lusitani, ad quorum petitionem ni-
hil fuerat responsum, metuebant, ne absente Rege, nihil obtinerent: sed tamen hic metus
rursus non nihil diminuebatur, cum existimarent, quandoquidem Cardinalis gubernator
electus erat, eum non minorem fortasse illorum, quam ipsum Regem, rationem habitu-
rum. Cæterum hæc spes post abitum Regis mox evanuit. Nam animaduertebatur Car-
dinalem non tantum non vt i ea auctoritate, quæ ipsi concessa erat: sed etiam nolle subscri-
bere mandatis, aut aliis diplomatis, quæ super negotiis Regni conficiebantur. Et quamvis
quidam putarent eum recusare, propterea quod Rex adhuc in itinere esset, nec dum limi-
tibus Lusitanæ excessisset (quasi hac in re honorem Regi habere cuperet) tamen paulo
post errorem suum agnouerunt. Nam Cardinalis postquam Rex Regno excessisset, non
magis subscribebat, quam ante: id quod non mediocriter offendit Lusitanos: qui cum cu-
perent Regnum Lusitanæ separatum manere à Regno Castellæ, videbantur sibi animad-
uertere hanc regnandi rationem, qua Philippus Madidi viuens vtebatur, esse arctiorem
coniunctionem, quam ipsi vellent: accedente præsertim difficultate ea, quam in expedi-
endis negotiis, propter Aulæ distantiam, experiebantur. Et hanc eorum indignationem
non parum auxit, quod Rex in numerum Consiliariorum patrimonii Coronæ cooptau-
rat duos Hispanos: quorum alter erat Doctor, & alter mercator: id quod contra decorum,
& contra priuilegia sua esse dicebant.

Liber Decimus.

ARGUMENTVM.

In hoc libro continetur mors Sancii. Auilæ, direptio insularum Capitis viridis: actiones Emanuelis Sylvi, gubernatoris insularum Tercerarum: apparatus bellicus Regis Philippi ad eas expugnandas: varia iudicia hominum de hac expeditione: auxilia, que ex Gallia eo missa fuerunt: munitiones insularum, & præsidia: abitus classis ex portu Lysbone: descriptio insulae Tercere: adpulsus classis Hispanice: oppugnatio, velitationes, & occupatio Insulae: deditio Gallorum: insula Fatalis expugnatio, & deditio reliquarum: supplicium capitale Emanuelis Sylvi, & multorum aliorum: redditus classis in Andaluziam.

Post distessum Regis tota illa hyeme res Portugallicæ satis tranquillæ
fuerant. Etsi enim plebi animi essent inquieti, & non in nulli è nobilitate,
quibus non satisfactum fuerat ex sententia, relicta Regis & Cardinalis
aula, se in villas, & prædia sua conserrent, tamē nemo libere loqui au-
debat. Maiori vero parti, quantumvis pacis & tranquillitatis regni cu-
pidæ, tamen secreto non displicebat Insulam Terceram adhuc resistere, & in potestate Antonii, ac Gallorum manere: quod existimarent,
quamdiu aliquæ belli reliquæ superessent, se regem benignorem experturos, & in maiotis
apud illum pretio futuros; quam si illud omnino confectum fuisse. Nec ad hanc opinio-
nem ipsorum animis euellendam quidquam proderat, quod Lusitani in Hispania huma-
nissime haberentur, quodque aditus illis ad Regem pateret non minus, quam cum esset in

Lusitania: denique quod Rex (fortasse ut præsens gubernatio omnino præteritæ similiis es-
set) à Papa Cardinali Alberto titulum legati, quem etiam Henricus habuerat, magna cum
vniuersi regni utilitate impetrasset. Nam (ut animis, quibus adfectus imperant, vsuueni-
re solet) non discedebant à pristina opinione: imo, quia Cardinali titulus legati in bienni-
um tantum concessus fuerat, verebantur ne ille, hoc tempore elapsio, in Hispaniam re-
uerteretur, ac regnum in prouinciam redactum, ab ipso rege, Madridi aulae sedem ha-
bente gubernaretur. Hoc tempore mortuus est Sancius Aula, ex equi recalcitrantis ictu,
qui relictis chirurgis, curandum sese commiserat militi cuidam, certis carminibus vtenti.
Fuit illius mors acerba Hispanis. Etsi enim nulla alia, nisi supremi castrorum præfecti, di-
gnitate insignis esset: tamen quia, mortuo Albano, inter omnes Hispanos rei militaris p-
erititia primus erat, non inueniebatur quisquam apud Ducem Gaudiæ, qui vsu belli compa-
rari ipsi posset. Erat animo intrepido, & felix in bellis, & ab Albano omnib. illius ætatis
militibus anteponebatur. Verum vitam, quam toties, vsque ad senectutem magna cum
felicitate etiam ipsis tormentorum ictibus exposuerat; mors ipsi tam exiguo vulnere
eripuit.

In Gallia videbantur animi hominum toti in res Belgicas intenti, & maiori earum,
quam Lusitanæ, cura adfici: ita ut licet impulsu Prioris ageretur de aliquot nauibus in-
struendis: tamen rem frigide administrari, ac pecuniæ inopia laborari, facile adpareret:
& quantumuis forte Galli aliquem apparatum instituerent: tamen non tam de inferenda,
quam si qua inferretur, repellenda vi cogitare existimarentur. Rumor quidem erat, ali-
quot naues Gallicas, ducibus Lusitanis, & nominatim Emanuele Serrada, impressione
in Insulas Capitis viridis facta, bonam earum partem diripiuisse, sed tamen non magnope-
re hac re homines mōuebantur, quod eas naues exiguae & piratarum myoparones esse
constaret. In insula Tercera summa rei præserat Emanuel Syluitus, qui specimina ediderat
animi Regi Hispaniae infensi, & Priori addictissimi, quiqe crudelissime omnes Philippini-
nos tractauerat: homo ingenii praui, exigui iudicij, & nullus rerum vsus. Cum his mori-
bus esset variis modis miserum illum populum vexabat. Nam plane intolerabilis erat in
captandis occasionibus pecuniam mutuam petendi, negotium multis exhibendi, & cri-
mina intentandi:

Eo vero arrogantia (vt plerunque vsuuenit illis, qui imperare non assueuerunt) pro-
cesserat, vt sibi tum inuictus, tum immortalis esse videretur: facta illius iniusta erant tam
crebra, vt nullus amplius iustitiae locus superesset: & licentia, quam sibi amici, & ministri
illius arrogabant, plane effrenis erat: oppressio, & seruitus eorum, qui ipsi non adulaban-
tur, erat talis vt ipsa mancipia maiorem non experiantur. Distulit tandem aliquandiu pce-
nas eorum, qui ad Regem Philippum propendebant, nec in proposito celando satis erant
cauti. Cum enim ille multis strategematisbus vteretur ad hominum animos explorandos;
si forte quempiam mihius obstinatum, quam ipse esset, deprehenderet, actum erat de mi-
sero illo. Nam & bonis, & vita crudelissime priuabatur. Et ob hanc causam iussit inter-
fici complures quos prodiderat quidam Amator Vieira: qui cum claim in insulam à Philip-
po ad eos, qui factionis regiæ erant, in fide continendos, ad insularium animos exploran-
dos, & ad quāplutimos in partes regis pelliciendos missus, diligenter mandatis satisfecis-
set, postea eorum, qui ipsi studium suum erga regem Philippum detexerant, nomina indi-
cauerat Syluio, à quo in miseros illos deinde asperime animaduersum fuit. Porro Sylui-
us suadente animi impotentia nomine Antonii quotidie nouas leges, & instituta promul-
gabat: & volebat officiales, & ministros iustitiae, qui per suffragia eligi solebant, à se homi-
natos duntaxat, statim pro rite electis haberet. Non fuit contentus obseruatione priscarum
legum, quæ criminis lœse maiestatis supplicium constituant sed hac de re nouam ipse le-
gem longe veteribus seueriorem, sanxit, vt iti poenæ capitales incutrerent ii, qui saltem de
huiusmodi negotio colloquerentur, & vt testes fidem plenam ficerent, etiam si pauciores
essent eo numero, quem leges antiquæ requirunt. Sententias etiam huiusmodi proces-
sum volebat referri in librum & acta peculiaria per magistratum ciuitatis ad perpetuam rei
memoriam: quæ omnia eo tendebant, vt & metum maiorem hominib. incuteret, & ma-
iori cum auctoritate tyrannidem exerceret. Erant in ea Insula Galli patulo plures septin-
gentis: signum vnum peditum Anglorum, & circiter tria millia Lusitanorum. In toto
insulæ circuitu loca omnia, ad quæ adpelliri poterat, munita fuerant triginta amplius pro-
pugnaculis, & multis fossis, usque tanta cum sedulitate, & arce extructis, vt si defenso-
res suppeterent, nullus in Insulam aditus patete videretur. Sane quantumuis hæc omnia,
cum reliquis loci conditionibus coniuncta, cum plane inexpugnabilem in speciem red-
derent, tamen Syluius etiam insulam longe, quæ reuera erat, munitiorem putabat, &, va-
imperitus,

imperitus, in defensoribus maiorem, quam par erat, fiduciam collocabat. Interea instruebatur classis Lisybonæ, & cogeabantur milites Hispani, qui contra Insulam mitteretur, duce Marchione S. Crucis, idq; longe maior numero & nauium, & militum, quam anno superiori: præterquam quod etiam deliberabatur de quatuor triremibus maioribus, & duodecim minoribus classi adiungendis. Quæ de causa etiam, resecta parte antennarum, quæ nimis longæ erant, triremes velo quadrato, & tertio malo (quem medium appellant) instrutæ fuerunt. De hac classe erant in Hispania variae opiniones, & varia iudicia. Illi, qui expeditioni non erant interfuturi, (more eorum, ad quos nulla honoris, vel gloria pars redundat) dicebant rem omni difficultate carere, propterea quod insulares ita iam essent defatigati, exhausti, & militum præsidiariorum insolentia pertæsi, vt ad primum classis conspectum statim regis imperio se submissuri esse viderentur. Non fecisse illos hactenus ditionem, propterea quod seruitute oppressi, non possent. Imo etiamsi ditionem facere nec possent, nec vellent: tamen expugnationem esse facillimam. Ciuitatem enim Angram, & reliqua oppida, muris nudata, & infirma, non posse vlo alio modo resistere, nisi impediendo nauium ad pulsuum, & expositionem militum, id quod impossibile esse iudicabant, & exemplis antiquis, ac recentibus probabant in bello transitum fluminum, & aditum in Insulas vetari non posse. Nam ad defendendum tam amplum circuitum, immensum hominum numerum necessario requiri: milite vero semel exposito, victoriæ certam esse. Ab altera parte illi, qui naues concendebat (vt, quicunque tandem exitus esset, expeditionem memorabilem & gloriosam redderent) studiose rei difficultatem augebant. Dicebant insulam esse paruam, populosam, rebus ad viatum pertinentibus abundantem, circum circa pene inaccessam, mare omnium maxime instabile, vbi vix per trium mensium spacium tuta nauibus statio inueniretur, & horum bonam partem elapsuram, antequam classis ad Insulam perueniret. Præterea nullum esse portum, in quem classis se posset recipere: & hæc omnia, quæ defensionem insulæ facilem redderent, cum incolarum pertinacia, cum veniæ impetrandæ desperatione, cum munitionibus à milite Gallico, hac in re valde industrio, institutis, cum rerum ad bellum necessariarum, militum, & ductorum copia coniuncta, insulam plene inexpugnabilem efficere. Addebat Gallos, si non aliam ob causam, saltem vt vires regis Hispaniæ distraherent, & oculo illius hanc festucam ingererent. Insulæ conseruationis operam daturos: præsertim, quia longe minoribus sumptibus ab illis defendi, quā à rege, classe & exercitu instructo, expugnari posset. Ceterum, interim dum in Hispania huic classi parandæ, & his sermonibus opera datur, Antonius in Gallia totis viribus in rebus, ad Insulæ defensionem pertinentibus, comparandis laborabat. Et quanquam regina ipsi faueret, ac cuperet: tamen, siue deferuerente anni superioris ardore, (fortassis propter infelicem classis Gallicæ conflictum) siue deficiente Priorem pecunia, siue quæcumque tandem causa esset, minor apparatus institutus fuit, quam vt hominum expectationi responderet. Nihilominus tamen iubente Regina, in insulam nauigauit Schartesius, eques Melitensis, & gubernator Dieensis, homo in bellis recētioribus exercitatus, cum militibus Gallis non multo pluribus, mille ducentis, quanquam vulgo 40 mille quingenti esse dicebantur. Hic attulit magistratui ciuitatis litteras non tantum à Priore, quibus ille ciues laudando animabat, ostendebatque, se omnem in regnum redeundi spem in sola ipsorum fide, & virtute collocare: Sed etiam à Rege Galliæ, & regina matre. Ostendebat Rex voluptatem, quam ex ipsorum constantia perciperet, & quam cupidus esset iuuandi illos contra hostes, qui libertatem regni Lusitanæ opprimere conarentur, idque propter causas, quæ matrem ipsius mouerent, vt conseruationi illorum studeret. Itaque se mittere illis hunc nobilem vna cum classe, & militibus. Adiiciebat multa alia humannissima verba in eandem sententiam. Regina referebat se partim ad litteras regis, promittens se nunquam illis in bello tam iusto defuturam: partim etiam, vt & Rex ipse fecerat, ad ea, quæ ex Commendatore coram accepturi essent. Cum hi milites in Insulam peruenissent, & cum reliquis, ac cum incolis coniuncti fuissent, (in vniuersum autem fere sex hominum millia constituebant) existimabat Sylvius, etiamsi multa essent propugnacula, quæ milite instruenda essent, tamen illa facile defendi posse, præsertim quod naues, quæ Caput viride diripuerant, eò adpellentes attulerant magnum numerum tormentorum crassiorum, quæ cum reliqua præda asportauerant, ita vt omnia, quæ vel aduexerat Schartesius, vel in Insula ante fuerant, vel à superioribus nauibus adducta fuerant, non pauciora essent trecentis: inter quæ tamen erant nonnulla ex ferro, nonnulla etiam minutiora. Ceterum his omnibus non obstantibus, & quamuis Lusitani in solita confidentia perseuerarent: tamen nihilominus, quasi metu perculti, paruos liberos, vxoresque ad montes deducabant, & carissima quæque abscondebant. Schartesius, tanquam peritus miles, postquam

situm insulæ , munitiones , præsidia , commeatum , ceterasque res ad bellum necessarias contemplatus esset , subuerteri cœpit , vt hosti posset resistere . Videbat enim non satis exacte insulæ de rebus necessariis prospectum fuisse : milites esse pauciores , & minus exercitatos , quam loci conditio requireret : neque insulam adeo asperam , aut inaccessam , quam ipsi descripta fuisse . Itaque colloquio cum Sylvio instituto , quærebat ex eo , quamnam insulæ defendendæ rationem animo concepisset ? Sylvius siue excœcatus à tyrannide , quam ibi obtinebat , siue iusto Dei iudicio eum urgente , adeo & numerum & virtutem Lusitanorum exaggerauit , vt non tantū persuadere velle videretur , illos ad defensionem insulæ sufficere , sed etiam Gallorum operam quodammodo esse superfluam . Sane non satisfaciebat Gallo , qui studuit remedia adhibere , vbi remediis locus adhuc esse videbatur , ita tamen vt semper existimaret maiorem esse & numerū , & virtutem Lusitanorum , quam reuera erat . Munitiones ipsi nullo cum iudicio institutæ videbantur . Maluisset enim in primariam arcem comportari omnem puluerem tormentarium , globos , & commeatum totum , hoc fine , vt , si forte Hispani , vi sibi aditum in Insulam patefecissent , omnes Lusitanorum , & Gallorum copiæ , ad arcem configentes , sustinere possent impetum hostis saltem usque ad initium hyemis , qua ingruente classi Hispanicæ necessario discedendum foret . nam nisi talis locus deligeretur , ad quem se reciperent , simul ac hostis pede terræ imposuisset , (in tanta ciuitatis & oppidorum muris nudatorum , infirmitate) de ipsis actum esse . His rationibus contradicebat Sylvius , verbis à mēte sua alienis . Dicebat milites , cum habent aliquem locū , in quem se possint recipere , in primo conflictu minus fortiter pugnare : & littora insulæ ita esse munita , vt nullus hosti aditus pateret . Sed reuera ille consilium de arce improbabat tribus potissimum de causis . Prima erat , quia non habebat commeatum , qui arcī , aut tanto militum numero paulo diutius sufficeret . Altera , quod nolebat se veluti illi arcī includi , quippe qui semper de fuga cogitaret . Tertia , quia non satis fidebat Gallis , & ideo nolebat locum ullum munitionis in illorum manus peruenire , ne forte ex sociis domini euaderent . Hoc pacto nata est dissensio inter duces : & ita factum est , vt non tantum consilium Schartesii debitum pondus non haberet , sed etiam vt (cum ante decretum fuisse deserendas esse reliquas insulas , tanquam infirmas , & quia non nimia erat militum , qui in eas mitti possent , abundantia) denuo statutum fuerit de quadringentis Gallis in Insulam Faalem , tanquam reliquis populoiorem , duce quodam Carleo , præsidii loco mittendis : quorum opera , viribus cum incolis coniunctis , præsertim quia ibi parua quædam arx erat , illam defendi posse iudicabant .

Quo tempore hæc administrabantur , in Insula Tercera , classis Hispanica instructa fuerat , & Lifybona soluerat pridie Ioannis Baptiste , quæ constabat sexaginta amplius nauibus maioribus , optime armatis , præter multa alia nauigiorum genera . Erant enim in ea duodecim tritemes minores : duæ maiores (reliquæ enim duæ non satis in tempore Neapolitani venerant) quinque firmissimæ naues , & plures , quam 30 . naues maiores diuersarum nationum . Aderant fere 1000 . militum , maxima ex parte Hispanorum . Ex aliis nationibus non aderant nisi mille sexcenti Germani : duo vexilla Italorum , & duo Lusitanorū voluntariorum . Hispanos ducebant tribuni , Lopus Figueroa , Franciscus Bouadiglia , & Iohannes Sandoalius : Germanos Hieronymus Comes Lodronius : Italos Lucius Pignatellus : Lusitanos Felix Aragonius , & summæ rei Marchio terra , marique præerat . Hic exercitus etsi non erat adeo numerosus : tamen non male dici potest regem Philippum fortasse nunquam in uno ; eodemque exercitu tot milites Hispanos , militari disciplina imbutos , habuisse . Nam non solum maxima ex parte iam in Italia stipendia fecerant , sed etiam nonnulli eorum pugnæ nauali , qua principes confederati Turcam superioribus annis vicerunt , multi etiam bellis Belgicis interfuerant . Cum classis ex ostio fluminis egredieretur , una ex nauibus , in scopulum impingens , inutilis remansit : & alia quædam , postquam iam aliquod spacium nauigando emensa esset , clavum amisit , peditibusque in alias naues impositis , in portum reuersa est .

Nauigâte porro hac classe omnibus nauibus vnitis , necesse erat velocissimā quamq; ad lentiorum cursum sese accommodare : cumque tritemes omnium nauium sint celerrimæ , oportebat magistros de industria illarū cursum remorari , ne alioquin à reliqua classe auellerentur . Ceterum quoniam nunquam ante huius generis naues in mari Oceano , littore relicto , altum petere ausæ erant : nolebat Marchio illas negligere occasionem sinus illius traiiciendi , interim dum tempestas commoda erat , existimans , vel ob minimam quamque procellam ipsas in periculum incidere posse , ita vt iudicaret præstare eas potius à reliqua classe separatas progredi , quam diutius cum discrimine detineri . Itaque die 26.

die 26. huius mensis, intellecto magistrorum triremium progrediendi desiderio, triremes solas dimisit versus Insulam S. Michaelis, cum mandatis, ut se ibi expectarent: cumq; Marchio eundem cursum tenuisset, nauigatione tamen lentiori, & ventis lenioribus vtens, tertio Iulii in conspectum Insulae venerunt. Quoniam autem per ventum classi adpellere non licebat. Marchio nauim expeditam misit Puntam Delgadam, cum mandatis ad Augustinum Iniguezium, praefectum bis mille Hispanorum, qui superiori anno Insulæ praefidio relicti fuerant, vt omnes suas copias imponeret in triremes, quæ iam ante eo adpulerant. Cupiebat etiam assumere aliquot tormenta muralia, & mulas, ad ea terrestri itinere, si opus esset, subuehenda necessarias, vna cum nonnullis aliis rebus eodem pertinentibus.

Itaque velis magno conatu expansis, ac vento nonnihil crescente die 13. Iulii non sine labore adpulit cum nauibus Villam Francam, & inde triremi vectus Puntam Delgadam, ubi pars classis etiam anchoras iecerat, omnia vt parata essent, diligentiam adhibuit: quamvis propter ventos contrarios non posset soluere ante diem 22. quo, velis vento commissis, postea 24. die insulæ Terceræ adpropinquauit. Sita est hæc insula, vt diximus, in 40. altitudinis gradu, & in trecentesimo quadragesimo secundo gradu longitudinis. Habet in circuitu quadraginta miliaria, & ab oriente ad occidentem in longitudinē ita angustam porrigitur, vt vix duodecim milliaria lata sit. Est quidem maiori ex parte aspera, & inaccessa: sed pene in toto circuitu accolitur. Pars australis, quæ littus aliquanto commodius haber, populosior est, quam reliquæ. Ibi, incipiendo ab occidente, primum occurrit ciuitas Angra, sita in paruo maris sinu, sed ventorum furori obnoxia: à quo & ipsa denominata est. Angra enim incolarum lingua sinum denotat. Huic ciuitati contigua est arx, inde usque à tempore Regis Sebastiani inchoata, & mediocriter munita, defendendo paruo illi portui. Sex in demiliaribus versus Orientem prope littus asperillum (vocatur portus molarum) situm est oppidum S. Sebastiani exiguum: inde ad tria milliaria occurrit oppidum Piaggia, quod ita vocant, propterea quod littus ibi minus est, quam in reliquis partibus, præruptum, & ad adpellendum paulo magis accommodatum. Hoc oppidum est vicinū Puntæ Serræ, quod est ultimum promontorium, ad solem orientem vergens: post quod versus Septentrionem occurrit aliud oppidum, quod vocant Aquam Aluam, sex ab oppido Piaggia milliarib. Hoc latus Septentrionale et si incolitur, vt dixi, tamen nullum locum memorabilem continet: & non nisi tuguria agricolarum hinc inde sparsa ibi conspiciuntur. Tantum prope promontorium occidentale inuenitur paruum quoddam oppidulum, quod vocant Altaria. Postquam Marchio Insulæ adpropinquasset, animaduertit in angusto illo portu naues, quæ copias auxiliares adduxerant, vna cum nonnullis aliis, quæ vel ad piratas, vel ad mercatores spectabat. Iactis prope oppidū S. Sebastiani anchoris, suis ipse oculis vidit Insulam non esse minus munitam, quam iam ante intellexisset. Substiterat tam procul à littore, vt naues tutæ essent à globis tormentorum, quorum magnam copiam sine omni fructu Insulares ejaculabantur, Marchione interim vetante, ne vel unicum tormentum à suis displayeretur, siue quod operam ludi videret, siue quod hoc ad causæ regiæ bonitatem augendam, vt ipse dicebat, facere existimaret. Iussit quatuor triremes subsistere è regione ciuitatis, & extitum è portu superioribus nauibus intercludere: id quod nimiam confidentiam redolere visum est, quod putaretur satius esse conniuendo spatium aufugiendi illis concedere, quæ socios nauales ad desperationem adigere. Paulo post exposuit in terram tubicinem, qui veniam delictorum, in scriptum redactam, omnibus, qui in insula erant, nomine Regis offerret, & deditioñem flagitaret: verum ille, cum insulæ adpropinquaret, contra ius gentium iudicibus tormentorū abactus fuit. Agebatur in veniæ concessione de successione Regis, de inobedientia Insulariū, de clementia Regis: promittebat se incolis, vitæ & honorū gratiam facturum, si parerent, exteris vero naues concessurum, quib. in patriâ vna cum facultatib. armis, & vexillis reueherentur. Ceterū cum veniæ concessio hoc modo publicari non potuisse, clam in terrâ exposuit duos Lusitanos, qui exemplar eius exhibuerunt ipsis Emanueli Syluio: qui & parui eam fecit, & celauit, ita vt nemini innotesceret: quod fortasse rē eo deuenisse existimaret, vt ea accipere amplius sibi integrū non esset: & non tantum ipse ea vti noluit, sed etiā his duob. Lusitanis sub poena furcæ interdixit, ne cuiquā significant, quæ de causa venissent: idq; in hunc finem, ne quisquā insularium conditionib. à rege oblatis, vti posset. Diem vigesimū quartum & sequentē, totos Hispani in circuitu insulæ, littore, & munitionib. contēplandis consumperunt, exquirentes quoniam in loco cōmodissime milles exponi, & qua ratione posset: ac ipse Marchio in lembo vna cū tribunis. & reliquis primariis ductorib. speculatū circumibat. Animaduerterū ad ciuitatē Angram, & ad oppidū Piaggiam, tanquā loca ad adpellendum paulo cōmodiora, maiores, quā alibi, munitiones institutas esse, & Gallos etiam in primis diligenter ibi excubare. Nonnulli Lusitani, incolæ

huius insulæ, exploratum egressi, ab incolis Insulæ S. Michaelis capti fuerant; qui adducti ad classem, adfirmabant, nullum locum esse ad descendendum è nauibus aptiorem portu Molarum, non procul ab oppido S. Sebastiani. Siue autem illi hoc dicerent animo decipiendi Hispanos, propterea quod locus iste erat longe salebrosior, quam primo aspectu videbatur, siue sincere hoc consilium darent, Marchio certe semper oculos in hanc partem defixos habuit. Cum enim videret in eo loco non maiores quā alibi, immo minores esse munitiones, institutas; quamuis littus esset incommode, maluit cum naturali loci asperitate, quam cum operibus manu factis certare. Et ideo de consilio maioris partis constituit eo deducere exercitum die 26. D. Annæ sacro, & Hispanis propter anni superioris victoriam fortunato: ita tamen, vt interim iuberet tum triremes, tum alia minora nauigia nocte, & die 10 ad arma conclamare, magnumq; strepitum edere in diuersis partibus, & in primis prope oppidum Piaggiam, idq; in eum finem, vt hostes defatigarentur, & in eum locum maxime confluenter. Interim in Insula Scharthesius, & Emanuel Syluius laborabat & ipsi in copiis, & aliis rebus ad defensionē spectantibus, suo loco disponendis. Collocarunt validissimam copiarum partem in oppido Piaggia, existimantes Marchionem eo propter loci communitatem appulsurum. Syluius etsi in speciem in pristina confidentia perseverare videbatur: tamen nauigiolum in portu paratum habebat, & aliquot nauiculas ad oppidum Altaria, quibus, necessitate suadente, aufugeret. Schartesio interim non satisfaciebat rerum status. Etsi enim copiæ satis magnæ erant ad defendendam ciuitatem etiam amplissimam: tamen exiguae ipsi videbantur ad propugnandam totam insulam, quæ haberet triginta propugnacula, eaq; tanto à se inuicem interallo remota, vt primum auxilium ferre non posset non tantum ultimo, sed ne quidem medio; tum propter distantiam loci, tum propter viatum asperitatem, quæ erat tanta, vt acie instructa, iter fieri non posset. Iudicabat ille commodissimum factu fore, si caterua aliqua militum in tali loco collocaretur, vnde in omnem euentum ceteris laborantibus subsidio venire posset. Sed hoc fieri nequiit, quia erant tot propugnacula, & tot valla præsidii munienda, vt militibus per ea dispergitis, nulli superessent, immo vt quædam loca plures desiderare viderentur. Animaduerit etiam, quantumuis satis militum superfuisset, tamē nullum esse locum, in quo satis cōmode hæc caterua subsistere, & alibi laborantibus succurrere posset. Nam si collocaretur in medio, nimis procul eā ab futuram ab omnibus partibus: sin vero in vicinia alicuius propugnaculi, fieri non posse, vt reliquis in tempore subueniret. His incommodis vt aliquid saltē remedii adhiberetur; statuerunt in collibus illis campanas, quarum sono signū darent illi, qui auxilio egerent, & ad q; illi, qui ab hoste non oppugnarentur, auxilium laturi, accurrerent. Marchio interim delectis è toto exercitu quater mille, & quingentis militibus maxime exercitatis, inter quos erant complures Germani, Itali & vnum vexillum Lusitanorum, legio Hispanica Lupi Figuerorū, & legio Augustini Iniguezii, illisq; nocte, vigesimum sextum diem præcedente, triremibus, aliisq; multis minoribus nauigiis summa maris tranquillitate impositis, maiori, q; ante, cum strepitu ad arma in reliquis locis conclamari iussit, ipse vero cum his copiis versus portum Molarum nauigauit, & paulo post reliquas se subsequi iussit. Appulit eo sub ortum auroræ, ita vt tenebris noctis opertus; vix ab Insularib. animaduerteretur. Reperit autem ibi tria propugnacula, fossis cincta, & tormentis satis bene, paucis vero defensoribus instruēta. Triremes adpellentes omnia tormenta aliquoties contra propugnacula exonerarunt, vt eodem temporis punto milites eo tutius in terram descendere possent: id q; tamen plus terroris, quā damni, insularibus intulit. Tormentum nihilominus vnum, q; illi sepius in classem disploserant, ex rotis deturbatum fuit. Quantumuis autem è propugnaculis in classarios crebri tormentorum ictus exonerarentur, & locus ipse esset asper, incommodus, scopulosus, & omnis aditus, ascensusq; præclusus: milites tamen illi diuersarum nationum certatim, omnium periculorum securi, in littus desiliebant: & illi, qui terram saltu affequi non poterant, sponte sua in aquam se demittebant, vt eo citius, quantumuis madefacti, ad littus peruenirent: & pauci illi Lusitani, qui aderant, inter primos magna cum animi alacritate in littus euaserunt. In propugnaculo, ad quod hi milites contendebant, erant tria vexilla peditum, duo Lusitanorum, & vnum Gallorum: quæ in vniuersum non constituebant numerum ducentorum. In hos ibant omnes illi milites Marchionis, qui cœco quodam cum impetu, & sine ordine ad manus conserendas properabant. Neque enim vel situs, vel hostium vicinitas, tempus, aut locum aciei instruendæ concedebat. Restiterunt fortissime Galli: sed, quia erant pauci, parum etiam effecerunt. Primo incursu Capitaneum quendam, & signiferum vna cum viginti quinq; aut triginta circiter militibus Marchionis interemerunt. Verum cum ex defensoribus nonnulli vulnerati fuissent, & ipse duxtor Gallorum occubuisse, alterum ex vexillis Lusitanicis è propugnaculo excessit, postquam aliquan-

aliquandiu, sed timide, dimicasset. Alterius vexilli milites in loco perseuerantes aliquanto diutius hosti restiterunt: sed cum ad sonū campanarū neminem subsidio venire, multosq; è sociis cadere vidissent, & ipsi vallum deseruerunt. Itaque Galli, qui soli remanserant, nonnullis iam antē interemptis, non potuere tot hostium impetum sustinere: & ita intra horā spatiū milites Marchionis illa propugnacula & fossas, paucis suorū amissis, occuparunt. Peruaserat nūtius de oppugnatione, quam Marchio ibi instituerat, per circuitū Insulae & Galli, quorum maior pars erat ad oppidum Piaggiam, auditō sono campanarum, & signis signis accensi cōspectis, eo celerrime accurrērunt: eosque insecutus est Emanuel Sylvius cum multis Lusitanis: verum tantum erat locorum interuallum, & tanta viæ asperitas (præsertim cum quatuor, aut quinque millaria emetienda essent) ut nondum media itinēris parte cōfecta, hostem iam propugnacula, & fossas in potestate habere intelligerēt. Itaq; acie instruendę causa in colliculo quodā substiterūt, paulo post, infestis signis, in Hispanos perrecturi. Interim reliqua pars copiarum Marchionis in littus descenderat: ex quibus, postquam in cliuum quendam euasissent, agmen promiscue compositum fuit ex omnibus nationibus, vt eo celerius acies instrui, & eo promptius hosti venīti obuiam iri posset. Sed res erat expedita, quia Galli & Lusitani, non adpropinquarunt, & illi, qui propugnacula deseruerant, nusquā sūsistentes continuo cursu ad socios, auxilio venientes, contenderūt. Itaque Marchio præter expectationē suam, aliquanto plus tēporis nactus, aciē denuo nationibus à se inuicem separatis, instrui iussit, cumque paululum progressus esset, pugnæ leuiorū initium ab vtraque partē maximo animo factum est, fortuna more suo aliquandiu hanc re ludente. Etsi enim Galli longè essent numero inferiores, tamen bis Hispanos ex primo vallo eicerunt, & tercia vice ad secundum usque penetrarunt. Ceterum cum Marchio animaduertisset in causa esse paucitatem hastatorum, Germanis hastatis in eum locum promotis, denuo in Gallos inuestus facilius sustinuit illorum impetum, qui paulo post deferbuit. Cum enim meridies præteriisset, antequam Emanuel Sylvius cibum militibus ad reficienda corpora adferendum curasset, ita vigiliis nocturnis, labore innatis, conflictu, & fame eneruatis fuerant, vt vix stare possent, quantumuis semper ad nossum usque, sed modo remissius, modo vehemētius, pugnaretur. Nocte ingruente, insulæ magnum numerū boum, quorum ultra mille coegerat, cōstituerunt in hostes impellere, aciem illius disicere, & eodem plane strategemate vti, quod ipsis satis feliciter bennio ante cōtra milites Petri Baldesii successerat. Verum Schartesius non probauit cōsilium quinimo hoc pacto hostem carnis recentis copiam habiturum dixit: neque verisimile esse fore, vt quod contra sexcentos milites semel bene euenisset, statim contra exercitum duodecim millium eadem cum felicitate succederet: & ita boues amandati fuerunt. Porro Marchio cum tot boues ab hostibus cōgregatos videret, dispositis in fronte exercitus Germanis hastatis, & relicto inter ordines certo interuallo, mādauit, vt boues, si irruerent, sine impedimento prætergredi sinerent. Hic finis fuit prælii illius diei, Gallis tamen tormenta in illis collibus collocata, in hostem aliquoties interim exonerātibus. Hoc tempore Emanuel Sylvius serio de fuga cogitare cōcepit. Ceterum cum difficilem eam futuram videret: propter quod omnium oculi in ipsum essent conuersi, sparsit de industria rumorem, quasi sexaginta naues Gallicæ auxiliares in mari comparerent: & sub prætextu obuiam illis aliquem mittendi, iussit ē portu egredi nauigium iam ante præparatū, quod ipsum ad Altaria expectaret: sed cum nauicula ad ostium portus peruenisset, præsidiarii, qui erant in propugnaculis, iētibus tormentorum exitu illam prohibuerunt, siue quod nescirent quo tendenter, quod Sylviu auētoritas declinare inciperet. Nauigio itaque in portum reuerso, Sylvius fuga interclusus fuit. Interim Hispani aquæ dulcis inopia laborabant, & hastenus illam ē nauibus petere coacti fuerant: cuius eo in loco, vbi Galli confederant, magna erat abundantia. Itaque Marchio nocte illa cogitauit de castris in locum commodiorē transferēdis die sequenti, quātumuis res difficultate non caritura videretur. Ceterum (vt tam prospera, quam aduersa fortuna, effrenis est) minorem expectationē sua laborem sustinuit. Nam eadem nocte maior pars Lusitanorum quibus Emanuel Sylvius præerat, diurno prælio consernati, & tanto hostium numero se impares rati, Gallis desertis, fuga se ad montes protiuerunt. Res equidē admiratione digna erat. Cum enim hi essent iidem illi obstinati, & rebelles, qui virtuti suę tantum tribuebant, vt omnem pacis, & viæ mentionem abominarentur: mirum equidem videtur illos, cum tēpus verbis omissis, manu rem gerendi adesset, in tam turpem fugam se cōieciisse, tamque subito sententiā mutasse. Fugientes enim dicti tabant Insulam spectare ad Regem Philippum, & merito illi dedēdam esse. Sane nō multū spēi in constantia, & virtute vulgi poni potest. Dux Gallorū, eum videret aufugere Lusitanos, & Emanuelem Sylvium, qui eorum fortitudinem deprædicauerat, attonitum

esse, cœpit, de sua, & suorum salute in tuto collocanda cogitare: cumq; aurora imminere t ipse etiam copias suas versus montem Virginis Guadalupensis duxit, faciente spem Sylvio fore, vt ibi in loco quodam munito facile hostium impetum sustinerent, donec ingruente hyeme, classis discedere cogeretur: & si minus post illius abitum amissa recuperare pos sent, tamen occasionem in Galliam redeundi ipsis non defutaram. Sed quoniam ex eo loco, vbi considerant, non satis tuto discedi posse videbatur, quod periculum erat, ne Marchio, re intellecta, postremum agmen carperet: Schartesius partem militum præmisit, & partem post tergum reliquit, qui cum Hispanis, si irruerent, manus consererent, eosq; aliquandiu remorarentur. Ceterum Marchio mature hostium cōsilium subodoratus, totum exercitum progrederi iussit: & ita paucos illos, qui à Schartesio reliqui fuerāt, in fugam compulit, locum, in quo aqua dulcis hauriebatur, in potestatem redigit, & oppidū S. Sebastiani vna cum aliquot tormentis occupauit: & milite ibi aliquantum refecto, Gallisq; omnibus ad montem fugientibus, iter conuertit versus ciuitatem Angram, sine ullo impedimento, quod hostes metu perculti in diuersa abiissent. Cum autem Angra à parte interiori plane non munita, sed aperta esset, ideo non tantum à militibus, sed etiam ab incolis, & ipsa etiam arx à præsidiariis omnino deserta fuerat. peruenit eo exercitus incredibili cū labore. Cum enim solis aestus esset longe intensissimus, & regio ita sieca, vt toto illo itinere ne gutta quidem aquæ inueniretur, milites magno incommode affecti, & complures, maxima ex parte tamen Germani, siti extincti fuerūt. Militibus Angram ingressis, tridui spaciū ad prædam congerendam concessum fuit. Sane domus fere omnes plane vacuae erant: & illi, qui remanserant, maxima ex parte erant captiui, qui etiam liberati fuerunt. Capta vrbe, simul capta erant omnia propugnacula. Cum enim tantum ad impediendum nauium adpulsum extructa essent, à parte interiori erant aperta. Porro exercitu iter versus ciuitatē faciente, etiā triremes cursum in naues, quæ in portu erant, direxerunt, cumq; prope ab iis abessent, istib[us] tormentorum illas ad deditiōnem faciendam cōpellere conatae sunt. Sed eiāculabantur frustra; quia cum à vectōribus, & nautis desertæ fuissent, nemo erat, qui responde ret: q; cum animaduertissent classiarii, in illas p̄dē causa insilierunt. Spolia tum terrestria, tum naualia, non nimis fuerunt opima. Exceptis enim tormentis, nihil, q; alicuius fere momenti esset, inuentum fuit. Mancipia, quorum ad mille quingenta reperta fuerūt, pro optimā p̄dē parte habebantur. Direpta vrbe, & locis circumuiniciis, expetebat Marchio, vt incolæ in suas quisq; domus reuerterentur. Etsi enim milites, in illos montes penetrantes, aliquot & viros & mulieres, vi reduxissent (qui postea liberi omnino dimissi fuerūt) tamen maior pars ibi adhuc latitabat, & paucissimi erant, qui sponte prodirent. Itaq; publice proclaimari & omnes (paucis exceptis) omni metu deposito, domū reuerti iussit. Sed cum Lusitanī non nimis fiderent, pauci tantum redierūt, quantumuis postea paulatim plures subsequerentur. Rebus ita stantibus (licet Galli adhuc in montibus essent) iudicauit Marchio è refuturum, si etiam reliquias Insulas ad deditiōnem compellere tentaret, & in primis Insulam Faialem, in qua erat præsidium. Qua de causa bis mille quingentos pedites ex diuersis nationibus in triremes, & lembos impositos, eò duce Petro de Toledo misit. Dum hæ copiæ illuc nauigant, Galli in Insula Tercera superstites, etiamsi in montibus munimenta quædam instituissent, tamen quia commecatus, aliarumque rerum inopia laborabant, & in auxilio Lusitanorum non multum speci colloquandum iudicabant, constituerunt, quam honestissimis possent, conditionibus, cum Marchione pacisci. Venit in mentem Schartesio, sibi in Insula Malta olim notitiam intercessisse cum Petro Padiglia, uno ex nobilibus, qui erant eum Marchione, quique tribuni munere fungebatur, & rei militaris erat non imperitus. Ad hunc scripsit Schartesius, reuocans ipsi in memoriam priorem familiaritatē, & petens facultatem libere discedendi, non tantum pro se, & suis, idque vna cum bonis, armis, tormentis & vexillis; sed etiam pro omnibus Lusitanis, qui naues cum ipso concendere cuperent. Hæ litteræ non displicerunt quidem Marchioni, quippe qui ex illis spem conciperet, cum hoste transigendi, & integra victoria, eaque incruenta potundi, antequam mare intumesceret. Sed conditiones nimis iniquæ ipsi videbantur, propterea quod nollet quemquam è Lusitanis in Galliam abduci. Inter primarios duces diuersæ erant de eo quod potissimum agendum esset, opiniones. Quidam suadebant è vestigio eundum in Gallos, temporis lucrandi causa, cumque iis dimicandum, nullis pactis & conditionibus admisisse. Alii, paulo exactius rem perpendentes, dicebant non abs refore, si cum Gallis quibuscumque conditionibus transigeretur, tum ratione breuis illius temporis, quo classis in illo mari subsistere posset, tum quia non sine difficultate oppugnari pese viderentur. Ita enim rationes subducebant, vt adfirmarent, quinque ad minimum dies in eo negotio consumptumiri: nimirum biduum in itinere, vnum diem in vincendo, & aliud

aliud biduum in reditu. Iam autem commeatum nō, nisi in biduum, propter carorum, & vtrium, & similium rerum inopiam, subuehi posse. Verum omnia ista incommoda superauit ardor militum, qui, secundis successibus inflati, ferre non poterant tam paruum numerum Gallorum, tam vicinum, audere cogitare de impetu tot militum veteranorum, & viatorum sustinendo. Qua de causa dixerunt se paratos esse quiduis pati, dummodo in hostem ducerentur. Et quamvis in hanc sententiam à ducibus non iretur: tamen hæc alacritas in causa fuit, vt tenuiores Galli conditiones obtinerent, quam alioquin fortasse obtinuissent.

Tandem vero re hinc inde aliquandiu agitata, ita conuentum fuit: vt Galli venirent traditum arma, & vexilla, gladiis solis retentis: vt ipsis de hospitio & viatu prospiceretur in certa ciuitatis parte, vna cum nauibus, & commeatu in reditum in Galliam. Et statim simulac transactum fuisset, re ipsa etiam ad effectum deduci deditio cœpit. Nam tertio die Augusti descenderunt Galli è montibus, & extra ciuitatem tradiderunt arma vna cum octodecim vexillis, fistulis & tympanis, iuxta legem conventionis: & per armatos militum Hispanorum ordines inermes in ciuitatem ingressi sunt, & ibi Scharthesius cum tribuno Carruaca, & aliis primariis ductoribus Marchionem salutauit, humaniterq; ab ipso exceptus fuit. Interim triremes vna cum ceteris nauigiis, & militibus in Insulam Fatalem adpulerat, ductu Petri Toletani. Quoniam vero classi intererat Gonzalus Perera Lusitanus, qui vxorem & liberos in Insula habebat, visum est Petro hunc vice tubicinis præmittere, qui Insulaires ad ditionem cohortaretur, quod putaret ei à conciubus suis fidem habitum iri in iis, quæ de potentia exercitus regii, & de periculo, quod illis immineret, narraturus esset, & fore, vt eo facilius sese dederent. Ceterum Antonius Guedezius Sosa, præfector Insulæ, non tantum nullam dignitatis nuncii rationem habuit, neque orationi ipsius locum reliquit, sed ne quidem exemplo vicinorum, quamvis longe potentiorum, motus, hominem conuitti proscissum, & male multatum tandem plane interfecit, perinde ac si, mandata Marchionis exponendo, magna ipsum ignominia adfecisset. Cum videret Petrus Toletanus nuncium non redire, præagiens id, quod ipsi acciderat, constituit exponere militem, & si uim insulæ minus asperum, & minus quam Tercera esset, munitum cernens, 2. die Augusti, fere nemine impediente, omnes copias in terram expulsuit: cumque versus oppidum iter ficeret, obuios habuit 400. illos Gallos præsidarios, & multos Lusitanos. Prælio autem leuiori conserto, sed paulo post feruore militum crescete, Galli & Lusitani coacti fuerunt se recipere in paruam quandam arcem vicinam, in quam cōgesserant maiorem partem tormentorum, & globorum, ac pulueris tormentarii, vbi paulo post ditionem fecerunt iisdem conditionibus, quibus reliqui in Tercera: & Sosa beluinæ crudelitatis pœnas dedit. Manibus enim truncatis, per brachium suspensus fuit. Sane admiranda fuit horum hominum confidentia, qua impulsi (nec eos vicinorum calamitates vel tantillum cautores reddebat) in manissima facinora designabant, nec tamen postea usq; ad extremum, vt par erat, se defendebant. Ceterum Lusitani imperiti pericula, cum adhuc remota sunt, nihil faciunt: sed præsentia deinde iusto plus metuunt.

In hac Insula nihil agendum supererat: itaq; ea direpta: & gubernatore creato Antonio Portugallo cum præsidio 200. militum Petrus Toletanus cū triremibus, & copiis in Terceram rediit, quo etiam venerunt è ceteris Insulis Sancti Georgii, Pici, & Gratiotæ legati ad iuramentum præstandum. Marchio, rebus omnibus cum Gallis transactis, curauit inuestigari Emanuel Sylgium, qui sibi titulum sumpserat Comitis Turrium Veterum, gubernatoris, & Capitanei generalis Insulæ. Ceterum ille profectus ad oppidum Altaria, intellexit eos, quibus curam aliquot nauicularum commiserat, fidem cum fortuna mutantes, scopolis impactas confregisse: cumq; videret fugam sibi omnino interclusam, nec beneficio pactorum, à Gallis interpositorum, saluti suæ consuli potuisse, habitu vili induitus in montes sese abdidit. Ceterum videtur fuisse in fatis, vt facinoru suorum pœnas hostibus suis persolueret. Nam à serua quadam Æthiope, quæ hac ratione vitam se redempturā sperabat, proditus fuit latrunculatori: qui cū eū ante oculos haberet, hominem tamen non norat. Captus itaq; & in ciuitatem perductus, vna cum nonnullis aliis rebellibus, custoditus fuit, donec ab Auditore nomine Regis, & Marchionis tanq; Imperatoris, exercitus sententia capitalis concepta, & tum contra ipsum, tū contra alios vna cum criminū enumeratione pronunciata, ac re ipsa executioni mandata fuit. Primum ac ē instruxerunt Germani in foro ciuitatis Angræ, custodientes ora platearum, quæ eō ducūt: factoq; ibi igne omnis moneta, cui insignia, & nomen Antonii impressa erant, combusta fuit, quæ quanq; satis magni ponderis esset, tamen nullius pretii erat, q; maxima ex parte conflata esset ex metallo ignobiliori, minima tatum argenti quantitate admixta. Postea caput amputatū fuit Sylvio

gladio, more Germanico: idq; cum ingenti omnium adstantium dolore. Erat enim vultu amabili, & paulo ante mortem animo præsentis loquens culpam fassus erat, & sigillatim ignosci sibi petierat ab omnibus, quos aut præsentes, aut absentes sibi offendisse videbatur. Dicebat sibi soli insulæ calamitatem acceptam ferendam esse, & in se vnum merito omnes poenas deriuari debuisse: id quod cum accederet ad pœnitentiam, qua vehementissima se duci præ se ferebat, animos etiam hostium magnopere adfecit. Et sane vere dici potest in hunc optime quadrare dictum illud Dionysii Tyranni: ad relinquendam tyrannidem non esse equum conscendum, sed expetandum, donec aliquis mortuus è solio extrahatur. nam ille expectauit, donec capite plecteretur. Caput ipsius positum fuit in publico, & eodem loco, ex quo tum sublatum fuit caput Melchioris Alfonsi, quem ille, tanquam Regi Philippo addictum, paulo ante interfici iusserrat. Observatum autem fuit, cum à cognatis Melchioris rogaretur, vt illius caput remouendum curaret, eum respondisse, tum remotum iri, cum suum ipsius ibi esset ponendum: innuens nunquam remotum iri. Ita interdum homines imprudentes sua ipsorum infortunia prædicunt. Emanuel Saradas (quem diximus diripuisse Insulas Capitis Viridis) & Amator Vieira, qui sub nomine legati R. M. in exitium præcipitauerat eos, qui ipsi fidem habuerant, fuerunt & ipsi decapitati: multi in furcam acti, & multi, ac in primis Galli, qui ante deditioinem capti fuerant, in tritemes damnati. Habebat Marchio in mandatis, vt quoad eius fieri posset, properaret, & cum classe Gades nauigaret. Erat enim rumor regem illas vires velle conuertere in Africam, redigere in potestatem Laracce, & fortasse tentare etiam Algérium, præsertim, quia hæc expeditio potius in autumno, quam in reliquis anni partibus suscipienda videbatur. Relitto itaq; insulæ præsidio Ioanne Vrbinate, & bis mille Hispanis, cum classe & reliquis copiis ad portus Andaluziæ cursum direxit, interim dum & in Hispania, & in Lusitania lætitiaz, ex hac victoria perceptæ, magnitudo publicis ludis, & supplicationibus declaratur. Sed longe maior, quam ista lætitia, erat mœror Antonianorum, quorum multi, cum sperassent insulam illam munitissimam occasionem præbituram Antonio aliquando in regnum redeundi, ita iam attoniti & obstupefacti hærebant, vt nullum ipsis fundamentum remaneret, cui villas spes nouas superstruerent: quantumuis non deessent, qui existimarent, Philippo ante Antonium moriente, facile Remp.

Christianam ita perturbari posse, vt omnia ex sententia illi succederent.

F I N I S.

DVAR.

DVARDI NONII LEONIS IVRIS CONSULTI LVSITANI

CENSVRÆ IN LIBELLVM DE REGVM PORTVGALIAE

ORIGINE, QVI FRATRIS IOSEPHI TFLIXERA

NOMINE CIRCVMFERTVR.

Item de vera Regum Portugaliæ Genealogia liber.

SERENISSIMO PRINCIPI

ALBERTO ARCHIDVCI AVSTRIÆ S. R. E. CAR-

DINALI, DVARDVS NONIVS LEO IVRIS-

consultus Lusitanus S. D.



V M vita mea rationes ita instituerim, Princeps Serenissime, ut tam otii, quam negotii rationem mihi reddendam existimarem, & negotii mihi rationem probe iam constare, tam apud Principes meos, quam apud Rempublicam arbitrarer, otii etiam, si quando daretur, rationem constare volui. Cum igitur pestilentia morbo grassante, ab hinc quinquennium mihi fixulandum ab urbe esset, nec meorum librorum supelle etilem mecum ecerre licuisset, Portugalia Regum vitas, quas in eo exilio nactus sum, perlegi. In quibus ego docti alicuius viri manus & censuram iamdiu desiderabam, quod temporum ruditate, qua conscriptæ sunt, multa perperam, nonnulla non vere, alia dicta essent extra rem: qualia multa in omnium fere nationum annalibus reperiuntur: ut nullibi frequentius, & impunius peccatur, quam in historiis. Cœpi itaq; nonnulla notare, que temporum rationi, & Regni monumentis repugnabant: superflua etiam obelis expungere: alia scitu digna, que occurrebant, addere. Cum vero ea numero crevissent, id quod ludens, & animi recreandi causa cœperam, serio mihi agendum, & ad umblicum perducendum putavi, magnog, & continuato labore, ita perfeci, ut doctis nonnullis digna ea nostra visa sint, que lucem experirentur. Dum itaq; factum meum parturio, & iam de editione cogito, Clariſſimus vir Ioannes à Sylva Comes Portalegrensis, cui animi mei propositum aperueram, arborem mihi ostendit Iosephi cuiusdam Teixeræ Lusitan monachi, Lutetiae Parisiorum excusam, Regum Portugalia stemmat a continentem. In quacum pleragi reperiſſem cum scriptis meis è diametro pugnantia, ad quæ respondere videbar provocari, ecce libellus ipsius Iosephi nomine editus, Lutetiae etiam excusus, miris deliriorum portentis scatens, mihi offertur: & ita alter labor iniunctus, Augie scilicet bouile (quod dicitur) repurgandum. Ancps eram quid agerem. Hinc enim authoris obscuritas, & imperitia me à respondendo retrahebat: ne response mea, dignus ille fieret, qui vinceretur. Alia ex parte, cum illa non tam cōtra scripta mea, quæ contra partiam pugnarent, non sisi, apud me plus valere existimationis meæ, quam publicæ utilitatis rationem: & cum tali concertatore in certamen descendere, non erubui: si emendare, & admonere errantem, certamen est, & non beneficium. Verebar enim, ne ille Gallos homines nostrarum rerum ignaros, quos circumducere satagebat, in errorem traheret, & falsas inter illos sereret opiniones. Cum enim nulla natio sit, quæ proprios non habeat annales, ea forma, qua omnibus vulgati sunt & noti, Lusitanorū qui rerum gestarum gloria, non cum præsentibus quibusvis, sed cum Græcorum & Romanorum laudatissimis illis certare possint, omnia fere gesta muta sunt, & nescio Principum incuria, an scriptorum penuria, in profundissimis putes demersa: atque in priuato paucorum usu, quod publicum & notum omnibus fieri debuit. Quo maiora igitur ille habuit ad fallendum adminicula, eo magis mei officii putavi, nonnulla impugnare, & illius venenatae arboris imposturam detegere, antequam altiores radices ageret. Hanc igitur censuram, & veram Regum Portugaliæ genealogiam, nemo erat, cui potiori iure dicarem, quam tibi Princeps humanissime. Nam si in consecrandis ingenii monumentis, authores eos semper quæsiuere patronos, qui nobilitate, autoritate, aut eruditione præstarent, quo tuti acalumniatoribus essent, hac in te ita simul conspirant, ut quod cui antecellat, dubium sit. Nobilitas enim tua, qua omnes tui gradus Principes excellis, non ob id solum summa est, quod Maximiliani Caesaris, & Mariæ Augustæ filius sis,

Caroli etiam Quinti, & Fernandi Imperatorum nepos, & à tot Imperatoribus, & magnis Regibus prognatus, quoniam & hoc ut fortuna bonum alii, qui tui dissimilius esset, poterat contingere: sed quod Imperio dignus videaris, & virtutum regnum teneas. Quarum si tantum non praebuisses specimen in omnibus tuæ adolescentia actionibus, & senili ista iuuentute, maximum argumentum tuorū morum, iudicii, & prudentie esset, quod Philippus auunculus tuus, Regum omnium cordatisimus, florentissimo Lusitanorum Imperio, quod non per Europam modo, sed per Africam, & Asiam tam late extenditur, & cui tot Reges colla submitunt, te unum moderatorem elegit. Cuius iudicium, ne videretur amore labi, opportune confirmauit Gregorius XIII. Pontifex Max. vir sapientissimus, quite in purpuratum patrum collegium cooptatum, florentiæ etate, legatum Sedis Apostolice in eodem Imperio constituit. Ex quo quanta tua sit apud omnes authoritas, manifesto appetet. Litterarum autem humana-¹⁰rum studia philosophia, theologia, & matheos, quanta cura & assiduitate, à pueri fueris amplexus, multa tui ingenii specimenia testantur, & fauor, quo literatos homines prosequeris. Non ingratam igitur tibi fore putauit lucubratiunculam hanc, tum quod de Regibus progenitoribus tuis agat, tum quod nonnulla circa eorum originem à me referuntur, quæ diligentes alioqui in historia viros fefellerūt. Hoc vero alacrius confidimus, quod te historiarum lectione scimus detineri, quam nihil iucundius, nihil utilius, & Principibus viris, qui Reipub. gubernaculis adnoti sunt, magis necessarium. Cum enim ita natura comparatum sit, ut humani casus, veluti in orbem, sui similes saepe recurrent, & ex præteritis præsentia, atq. etiam futura debeamus estimare, & præiudicium ad actiones nostras inde facere, tanto huius Lusitanæ Reipub. res tractabis dexterius, quo maiorem notitiam eorum habueris, quæ Reges illi maiores tui, tam pace, quam bello egerunt. Ut enim periti medici non iisdem remedis ubiq. vtuntur, sed iis, ²⁰ quæ regionis mores, & natura exposcent, ita Republicæ exemplis domesticis, non aliunde petitis gubernari debent. Vale Principum decus, & me in tutelam tuam suscipe.

D V A R D V S N O N I V S L E O I N G E N V I S L E C T O R I B V S .



VÆ R E s mihi exoptanda erat, dum in hunc Iosephi Teixeræ libellum Censuram paro, casu ipso oblata est. Cum enim mecum ipse cogitarem, quam inter se pugnantia, & à Lusitanorum historiis aliena, à Lusitano hoc Iosepho diuulgarentur, & causam mihi constare cuperem ipsum in hac vrbe, à sui ordinis Præfule in vinculis asseruari, rescuiimus. Quo enim tēpore Aluarus Bazanus Sanctæ Crucis Marchio, celebrem victoriam illam, de Philippo Strozo & Gallorū classe, ad Insulam S. M. chaelis obtinuit, is inter alios Strozi milites captus, & in Portugaliam additus est. Iussu tamen clementissimi Regis PHILIPPI (qua est pietate & religione) suis traditus illæsus: licet perduellionis reus esset conuictus. Auidus igitur hominem conueniendi, vt tantæ impudentiæ causas inquirerem, impetrata à Præfule suo venia, quod in publicum Regni statum tam falsa edidisset, rem omnem ab eo didici. Sacramento enim adactus affirmauit, coram eodem suo antistite, se vt prorsus ignarum ea non scripsisse solum, sed multarum manuum illud fuisse opus. Arboris enim fabricæ culpam, ad fratrem Stephanum quēdam Lusignanum, natione Cyprium, instituti Dominican, transferebat, qui huiusmodi arboribus stemmatum componendis Lutetię operam dabat. Alios etiam criminis socios nominabat, à quibus se subornatum dicebat, vt nomen suum libello insereret. Quod vero theologiæ professorem se dicit, qui theologiam ne à limine salutauit, concionatorem qui infantissimus sit, choragos quosdam Antonii studiosos, eam illi personam induisse dicebat, quo fabulam verisimilius agerent: & Gallis, apud quos suam causam probatam volebant, facilius imponerent. Credebant enim, de Lusitanorum rebus, melius exteris persuaderi posse, ab homine natione Lusitano, professione theologo, ordine sacerdote & monacho, officio concionatore. Sed Deus bone quam ineptum fabulæ qua siuere architectum! qui personam indutam sustinere non potuit. Dum enim in militiam pergit, factus scilicet ex sacerdote gladiator, omnem technā ad nos allatus prodidit: vt qui remeare in Galliam non sperabat. Quo tamen ruptis compedibus, breui euolauit, ad nos iterum (vt ille motoriam semper agit fabulam) fortasse redditurus. Hæc vos de opere, & de authore scire volui tanquam fabulæ argumentum, vt inde æstmetis, qua fide, qua vetecundia, qua etiam vita (quod in authoribus solet requiri) author iste noster sit. Vos tamen insania illius fruimini: & lucubratiunculā hanc, in qua multa non vulgaria, ab aliis prætermis-
sa, aut ignorata tradimus, Iosephi huius impudentiæ & inscitiae debere fatemini. Valete.

D V A R D I

DVARDI NONII LEONIS IVRIS CONSULTI CENSURAЕ IN FRATRIS IOSEPHI TEIXERÆ LIBELLVM

DE REGVM PORTUGALIE
ORIGINE.

VT NULLA RES EST, tum ad Rempub. gubernandam, tum ad vitam recte instituendam utilior, quam historiarum notitia, ita nulla nocentior est, quam si hæc corrumpantur, & falsæ pro veris, & genuinis posteritati mandentur. Quemadmodum enim viæ error in diuersa, quam expeditat loca nos dicit, non secus fidei rerum humanarum casus, & exitus, qui nobis obiiciuntur, sensum conturbant, & in preposteras nos traducunt opiniones. Vnde non minori suppicio mihi semper digni visi sunt, qui historias adulterant, quam qui numos falso cudent, aut fontem publicitus scatētem, vnde omnes hauriunt, letali veneno inficiunt. Nullos rursus de Repub. magis benemereri existimo, quam qui ex historiis ita errores sustulerunt, ne alii per imperitiam laberentur. Quid enim aliud est, iuxta naturalis iuris præcepta, erranti viam monstrare? Quid aliud cadenti manum porrigit? Hoc vero non in historiis modo, in quibus maius periculum erat, sed in aliis disciplinis optimos & graues viros fecisse, legimus. Quorum factum non reprehensione, sed laude dignum habitum est. Cum igitur famosus hic Iosephi Teixeræ libellus ad nos peruenisset, in quo non in patriam modo, contra quam arma sumpsit, & armatos concitauit, sed in ipsa numinâ etiam debacchatus esset, & meras calumnias, & mendacia pro historiis, & veris traditionibus effudisset, nemini potiori iure, quam mihi incumbere résponsionem sum arbitratus, qui ex diametro pugnantia litteris mandasset. Nec enim me, qui ab omni ambitione alienissimus semper fuerim, ex animo Censoris officium aucupari voluisse, ut aliquid inde laudis reportarem, credere par est, cum in tam obscurum & imperitum authorem scribendo, verendum mihi magis esset, ne existimationis meæ (si qua est) facerem iacturam. Cum tamen in patriam falsæ illæ Iosephi narrationes tenderent, non potui non commoueri, atq; etiam non excandescere. Humani enim animi cum nouitatis studio, à naturali quadam præfessione teneantur, & interdum eius specie illecti, non satis quod obiectum est attendentes, vana pro veris, pro solidis inania amplexentur, periculum erat, ne inter exteròs homines nostrarum rerum imperitos, nugatoris huius figmenta latius serperent. Mea etiam intercessio arbitratus sum, ne libris meis, quos de Regum Lusitanorum vitis propediem, Deo auspice, in lucem editurus sum, præjudicium fieret, præoccupatis his erroribus lectorum animis. Hos igitur commonefaciendo putavi, vt tanquam iudices æquos, & neutri parti fauentes, ad legendum, & iudicandum nostra præpararem. Errata autem omnia, & ineptias huius authoris non sumus prosecuti (longum enim id eslet) sed ea tantum, quæ historię nostram rationibus aduersari videbantur. Maledicta etiam & conuicia omisimus, quod illa laqueo magis, quam calamo erat vindicanda. Sed iam præudentem illum audiamus. Egregium enim hoc opus in præludia diuisit & tractatum, ne scilicet illotis manibus, rem tantam aggredetur.

IN PRÆLUDIO.

ANNO Ducentesimo Nonagesimo, ante aduentum Domini, Gallos Celtas, & Braccatos in Hispaniam esse profectos, historiarum monumentis proditum est, à quibus primum Interamnis provincia occupata est, ubi conditæ à se ciuitatibus, tum Portugaliae (quippe quæ Gallis portus causidam, & perfugii instar erat) tum Braccarae, ab ipsomet Gallis Braccatis, nomen imposuere.

CENSURA PRIMA.



Oc sumpsit ex Ioanne Vasæo, eo tantum mutato, quod quæ ille sub dubio reliquit, hic impudenter affirmat, assuens ali-
quid ex Floriano Campensi, more interpolatorum. Portuga-
liaꝝ vero nomen nihil commune habere cum Gallis, certum
est. A Portu enim & Cale dictum esse, eruditorum omnium
est opinio. Erat quippe Cale oppidum antiquissimum ad Du-
rii ostium. Id eum esset in colle situm, qui flumini imminebat,
nec pescatoribus, quibus præcipue incolebatur, & iis, qui in mari
versabantur, facilem haberet seruitutem, planiori in loco, in ripa scilicet, quam illi Portum vocabant, cœpit habita-
ri. Cum autem paulatim ereuisset, & in ciuitatis dignitatem
deuenisset, Portus Calis, & inde Portucale, & Portugalia (affi-
nes enim sunt præcipue apud nos c. & g.) cœpit appellari. Inde eius ciuitatis Episcopus,
Portucalensis in antiquis Conciliis nominabatur. Diffusum est postea hoc ad Bracharos
Galleciꝝ partem, qui Portucalenses item dicti sunt. Procedenti vero tempore, etiam ultra
Diœcesim deriuatum in proximas ciuitates. Vnde dubii vitandi causa, Episcopus, qui ante
Portucalensis dicebatur, Portuenis dici cœpit. Hoc testantur Eduardus Galbanus, qui
Alfonſi I. Regis Portugaliae vitam scripsit, & Andreas Resendius Lusitanarum antiquita-
tum maximus indagator, in Epistola ad Bartholoméum Kebedium, Hieronymus Osorius
Episcopus Syluensis, in vita Emmanuelis Regis, & Iacobus Menetius Vasconcellus, tam
omnium litterarum, quam iuris scientissimus, & in carmine cum veteribus illis compa-
randus: in commentariis de antiquitatibus Lusitanie. Cuius rei authorem habent Imper-
ratorem Antoninum, qui Cale oppidum in ea collocat parte. Habent & concilia Toleta-
na, in quibus de Episcopis Portucalensis fit mentio.

INTERAMNIS prouincia priuatim Portugalicæ ciuitati nomen sibi iure communiori vendi-
eans, vere unica & antiqua propria Portugalia appellatione audiit, ab anno C. C. X C. ante aduentum
Domini ad eius nativitatis annum M. C. XXXIX. Tunc enim Alfonſus Henricus Portugalia Dux,
ab exercitu suo Rex Portugalia salutatus, Lusitanie vocem in Portugalia appellationem, alioqui im-
propriam, commutauit.

CENSURA II.

Hoc etiam falso est. Portucalensis enim ciuitatis mentio, Romanorum tempore, à
nemine facta est, & ipsa ratio nominis indicat, vigente iam barbarie cœpisse, hoc est,
in ultimis Romanorum temporibus, aut primis Gothorum. Hoc confirmat Antonini Cæ-
faris mentio de Cale, non de Portucalia, cuius imperium cœpit anno à Christo nato c.
XXXVII. non XL. aut XL. vt historici tradunt. Quod ex plurimis Ptolomæi septem er-
rantium syderum obseruationibus, sub tempore Adriani & Antonini, eruditissimus theo-
logus, & mathematicus, Iosephus Sobrinus Serenissimi Principis Alberti Cardinalis Le-
gati cappellanus & signifer optime collegit. Quæ enim historici tradunt, ab illis Ptolomæi
obseruatis, discrepant. Et ab Antonini tempore usq; ad Gothorum regnum, de Portucalia
nullam mentionem fieri vidimus. Nihil vero credimus, antiquius de ea vrbe posse reperi-
ri, quam quod regnante Flavio Ricaredo Gothorum Rege, legimus tertio concilio Tole-
taño, quod maximo Episcoporum conuentu celebratum est anno D. LXXXIX. interfuisse
Constantium Episcopum, Portucalensem & Archiuittum postea eiusdem ciuitatis Epi-
scopum, qui Constantio videtur suffectus, durante concilio, quod in eo forte mortuus sit.
Et concilio quarto, quod Sisenandi Regis tempore Toleti coactum est, anno, secundum
Ambrosii Moralis computationem D. C. XXXIIII. aut secundum Vasæum, D. C. XXXIII.
interfuit Ansiulfus Portucalensis.

CENSURA III.

In eo etiam quod ait, ante annum M. C. XXXIX. quo Alfonſus Henricus Rex salutatus est,
solum ciuitati Portucalensi, & prouinciæ Interamni, Portugalia nomen competuisse, &
non ei Lusitanie parti, quæ est ultra Durium, errat toto cælo, & sibi ipsi repugnat. Contra-
rium enim affirmat inferius in Alfonſi I. elogio. A ciuitate enim in prouinciæ Interamnem
diffusum est Portugalie nomen (vt dictum est) & ab Interamni, in ciuitates ultra Durium à
Sarracenis recuperatas, hoc est, Conimbricam, Lamecam, Visæum, quæ pars Lusitanie
sunt. Quicquid enim Reges Legionenses ultra Durium, hoc est, in Lusitania à Sarracenis
vindicabant, id Portugalie Interamni accrescebat nomine, vt etiam dominio. Vnde Gar-
fias,

sias, qui Rex Gallicus à patre Fernando institutus est, Portugaliæ item Rex dicebatur, propter eas Lusitanæ ciuitates. Henrico etiam Alfonsi I. Regis patri, cui Alfonsus VI. Castellæ & Legionis filiam Tarasiam uxorem collocauit, Portugaliæ Comitatum nomine dotis dedit, cuius caput per ea tempora erat, non Portuensis ciuitas, sed Conimbrica, quæ Lusitanæ prouinciæ est, vt hic vanissimus homo inferius fatetur, & apud nos notissimum est, tam ex Portugaliæ, & Castellæ annalibus, quam ex publicis monumentis. Quorum multa possemus afferre exempla, sed vno tantum ex innumeris, quæ in Regio vidimus archiuo, satisfecisse videbimus.

Ego Alfonius diuina prouidentia Portugaliæ Princeps magni Imperatoris Alfonsi nepos, Comitus D. Henrici, & Regiae Tarasie filius, nulla necessitate compulsus, sed prompta ac beneuola voluntate, & diuino amore commotus, ecclesie Sanctæ Crucis, atq; fratribus, ibidem commorantibus, facio cautum ad illam nostrâ Eremitam Sancti Romani, sitam iuxta castrum Sena, &c. Era M. C. LXXVI. Subsignatio autem ita erat. Ego Alfonius Portugaliæ Princeps.

IN ELOGIO COMITIS HENRICI.

EVSTACHIVS Comes Bononiae huius nominis II. Eustachii I. filius uxorem duxit Idam, Godofredi III. Gibberi Ducis Lotharingiae filiam.

CENSURA III.

Vñ p̄cesserunt sunt præludia, nunc quod felix, faustumque sit, incipit tractatus. Et h̄ic etiam noster stemmatographus in ipso portu impegit. Ida enim non filia, sed soror fuit Godoffredi Gibberi. Godoffredus quippe Barbatus cognomento, tam Godoffredi Gibberi, quam Idæ pater fuit. Gibber tamen quod liberos non haberet, Godoffredum Bullonium nepotem ex sorore Ida adoptauit, eiq; Lotharingiæ ducatum, & Bullonii Dynastiam reliquit. Cuius rei authores sunt Paul. Aemilius, Guillelmus Archiepiscopus Tyri, Ioannes Nauclerius, & omnes Galli historici quotquot sunt. Lotharingi autem scriptores, quibus de suis rebus maior fides videtur adhibenda, in hoc ab eis dissentient, qui Godoffredo Bullonio ducatum non adoptione auunculi, sed hæreditate matris obuenisse contendunt. Idam enim fratri Gibbero successisse dicunt, & Bullonium matri. Quorum sententiae ad stipulantur fragmenta historiarum Raimberti Episcopi Verdunensis, de Vitis Ducum Lotharingiæ Verduni reperta, de quibus Franciscus Rosierius in Stemmatibus Lotharingiæ, vbi hæc de Godoffredo Gibberi:

VIR prudens, atq; fidelis, omnibus amabilis, cum florere inciperet, suorum dolo vita priuatur, nihil liberorum ex uxore sua D. Mathilde filia Domini Bonifacii Lucensis Hetrusci Commarchi relinquent. Quo mortuo, Lotharingiæ luctus factus est magnus, à Cæsareq; multum reputatus est. Sepultus autem fuit in æde beatae Mariae iuxta portam, Anno Domini M. LXXVIII. Sui vero Ducatus in manus Idæ sororis sue, uxoris D. Eustachii Comitis Bononiensis supra mare venerunt, qua viro suo generosam prolem genuit, quatuor videlicet mares, Eustachium Comitem, Godoffredum inclytum, Balduinum, Guillelmum, ac duas fiemellas sacras virgines, Idam atque Mathildem, ut ipse multoties audiui à patre meo atq; prædecessore Richardo, qui multum charus erat Domino Godoffredo Bullonio. Hæc Raimbertus. Ex quibus etiam patet, Idam sororem, non filiam fuisse Godoffredi Gibberi.

HABVIT Godoffredum Comitem Bononiæ, & ratione matris, Lotharingiæ Ducem.

CENSURA V.

HOC est falsum. Comitatus quippe Bononiæ ad Godoffredum non peruenit, nec ad Balduinum, qui superstite adhuc patre Eustachio decesserunt. Eustachio autem seniori Eustachius filius successit. Quod etiam ex præfagio constat matris Idæ, de quo Guillelmus Archiepiscopus Tyri lib. 9. de bello sacro, cap. 6. Bullonii autem fuit Comes, aut secundum alios Dux, ex ratione, qua & Lotharingiæ. Est autem Bullonium, oppidum Ducatus nunc Lucemburgensis, olim vero caput comitatus, seu Ducatus, quod tempore expeditionis Syriacæ, Godoffredus Sperto Episcopo Leodiensi vendidit, ad belli sacri sumptus, maiori gloria, vt tunc dicebant, venditoris, quam emptoris. Vnde Episcopi Leodienses Duces Bullonienses appellantur hodie. Hoc tam notum est, vt testimentiis non indigeat.

ET Balduinum Edessanum Comitem, & Godoffredi fratris in Ducatu, ac Regno Hierusalem successorem.

CENSURA VI.

Delirat hic Iosephus. Mortuo namq; Godoffredo Bullonio Rege, Ducatus Lotharingia ad Imperatorem Henricum III. deuolutus est, incertum iure ne imperii an alio, & illum Henrico Lemburgensi concessit, qui ipsius Henrici partes sequebatur aduersus filium Henricum, quem postea Henricus ipse V. rerum potitus, Ducatu Lotharingia spoliauit, eumq; Godoffredo cognomento Barbato Comiti Louaniensi obtulit, vt tradit Jacobus Meyerus rerum Flandricarum scriptor diligentissimus. Ludouicus vero Guicciardinus in descriptione Germaniae inferioris, non totum Ducatum cessisse Comiti Louaniensi, sed Lotharingiæ partem inferiorem, Brabantiam scilicet superiorē autem Theodoricu Godoffredi Bullonii nepoti, quæ nunc Lotharingiæ Dynastia est in dominio Vadmontanorum. Hunc autem Theodoricum, dicunt illi, fuisse patrem Guillelmi Iainuillæ Baronis, cuius filium falso afferunt, esse Henricum Comitem Portugalizæ.

HABVIT & Guillermum Baronem Iainuillæ, qui vicario fratribus Godoffredi, & Balduini iure, gubernaculo Lotharingiæ præfuit, Ducatusq; non Regni hereditatem adiut.

CENSURA VII.

Et hoc falsum esse, ex superioribus constat. Ostendimus enim, mortuo Rege Godofredo, Imperatori Henrico accessisse Lotharingiæ Dynastiam, eiusq; beneficio ad alios transiisse. Nec enim iure ad Guillermum deferri poterat, quem præcedebat Eustachius maior ætate, qui superstes fuit Balduino fratri. Eum enim maior procerum pars ad Hierosolymitanum regnum vocabat, spreto Balduino Burgensi, qui non legitime electus dicebatur. Quod ille, seditionum vitandarum causa, recusavit, illud addens: nolle se in eo Regno belli occasionem præbere, in quo Christus mundi assertor pro pace humani generis sanguinem proprium effuderat. Nec dicendum est, Eustachium sine liberis deceßisse, qui Mathildem reliquit nuptam Stephano Comiti Blesensi, qui postea Rex fuit Angliæ, ex quo Bononienses Comites processerunt, ut suo loco latius dicemus.

GUILLEMVS uxorem duxit Gertrudem, Arnulphi Comitis Lucensis filiam, ex qua illi editi sunt liberi Theodoricus successor, Henricus Comes de Lemburg, à quo Portugaliæ Reges originem ducent. Et paulo post. Anno M. LXXXVIII. Henricus Comes de Lemburg in Portugaliam appulit maxima equitum Gallorum ceterua stipatus, in quibus præceteris, imminebant Raymundus Burgundus, Guillelmi Burgundiæ Comitis filius, & Raymundus Comes Tolosæ & Sancti Aegidii, qui ipsius Comitis de Lemburg auunculus fuit.

CENSURA VIII.

Errat hinc multipliciter ut enim è centonibus, & multorum plumis, suam hanc egrediam rhapsodiæ concinnauit, tam male cohærent inter se, quæ narrat, quam varii sunt authores ex quibus transcripsit. Id præsertim, quod ab Wolfgango Lazio sumpsit, homine rerum Germanicarum nescio quam perito, nostrarum certe imperitissimo, ut qui aliena fide scripsit non sua. Henricus igitur Comitem Portugalie non fuisse illum Lemburgensem, quem illi volunt manifestissime liquet, subducta temporis ratione, quæ præcipuum historiæ fundamentum est. Per ea enim tempora, quibus Henricus noster Portugaliæ Comes in Hispania degebatur, filios procreabat, socero in liberanda Hispania à Saracenorū tyrannide opem ferebat, & Comitatus sui terminos dilatabat, Lemburgensis ille Henricus Imperatoris Henrici III. propinquus, in Germania magnis bellorum fluctibus iactabatur. Vigebat enim per id tempus bellum ciuale, inter illum Henricum Cæarem III. & Henricum filium, quo, Lemburgensis senioris Henrici partes secutus, se impli- cuit. In cuius beneficii gratiam, Henricus eum Ducem Lotharingiæ in locum Godoffredi Regis Hierosolymitani vita functi suffecit, Anno M. c. vt iam diximus. Quem postea Henricus V. Imperium adeptus, Anno M. c. vi. Ducatu priuat. Hunc eundem Henricum postea Anno M. c. LXXII. tradit Remaclus, creatum fuisse Comitem Lemburgensem ab Imperatore Federico I. Hunc etiam tradunt multi, sine liberis deceßisse, quorum recentissimus est Pontus Euterius Delphiüs, in historia Burgundicarum rerum, in genealogia Brabantica. Et notissimum est, Henricum Comitem Portugalie liberos reliquisse, & patrem fuisse Alfonsi I. Regis. Præterea ex temporum supputatione, magis apparer illum fuisse coetaneum Alfonsi Regis, quam patris Henrici. Nam Portugaliæ Comes ab Anno M. LXXXIX. quo in Hispaniam appulit, semper in ea commoratus est, ut qui vxorem ibi duxit, & Dynastiam Portugalie habebat, & qui anno M. XCIII. filium sustulit Alfonsum præter alios: & anno M. c. XI. vita functus est, cum XXI. annis Comitatù potitus esset.

efset. Ex quibus plane constat, alium fuisse Henricum Comitem Portugaliæ, alium Henricum Comitem Lemburgensem.

Huc accedunt certissimæ coniecturæ, quæ cum veritate nitantur, per se maxime congruant. Si enim Guillelmus Iainuillæ Baro minimus erat natu, & ob id domi fuit relictus à fratribus ad expeditionem Syriacam proficiscentibus, quorum Godoffredus anno M C. Balduinus vero MCXVIII. obierunt, quomodo Henricus filius Guillelmi potuit in Hispaniam venire anno M LXXXVII. aut quomodo potuit eo tempore esse Comes Lotharingiæ, si tunc patruus eius viuebat Godoffredus? aut qui poterat Comes esse Lemburgensis, si is Comitatus ab anno MCLXXI. incœpit: cum verum sit Henricum Portugaliæ Comitem anno MCXI. decesse? Deniq; quomodo se potuit partiri unus Henricus inter Alfonsum Hispaniarum Regem, & Henricum Germaniæ Imperatorem, ut uno & eodem tempore militaret in Hispania, & in Germania, nisi forte Amphitryonis fabula renouata est? Alia probabilior coniectura est, quod nulli Principes eo tempore magis ambitionis in titulis ostentandis fuere, quam Reges Hispaniæ. Rex enim Alfonsus VI. Castellæ & Legionis, qui nec toti Hispaniæ dominabatur, sed maiori eius parte potiebantur Reges Aragoniæ, Nauarræ, Granatæ, & Comites Barchinonenses, Hispaniarum se vocabat Imperatorem. Alfonsus Item Henricus Rex Portugaliæ I. Princeps invictus, & tota orbe celebris, propter incomparabilem fortitudinem animi, cuius nomen instar erat magnorum titulorum, non modo suos titulos, sed patris & matris, & aui, & uxoris etiam accumulabat, hoc modo. Ego Alfonsus Rex Portugaliæ, Comitis Henrici, & Regine Tarasie filius, magni, Alfonsi Imperatoris nepos, una cum uxore mea Domina Mafalda filia Comitis Amedi de Mauariana, &c.

Et Alfonsus III. qui coniugis Mathildis causa fuerat Comes Bononiæ, tam repudiata, quam mortua vxore, quo tempore Bononia extraneis hæreditibus Mathildis cesserat, Regem Portugaliæ & Comitem Bononiæ, vsq; ad vitæ ultimum diem inscribi se voluit, ut ex omnibus eius constat d' plomatibus. Verisimile igitur erat, si Henricus Lemburgi fuissest Comes, aut Lotharingiæ, vt alii volunt, id titulis suis additurum, ea præsertim ratione, quod Portugaliæ Comitatus erat dotalis. Titulo autem huiusmodi vtebatur, vt vidimus in legibus, quas forales nostri vocant, ab ipso Henrico latissimo oppido Saatano, anno MCXI. Ego Dominus Henricus una cum consensu coniugis meæ Tarasie, magni Regis Toletani Imperatoris filia. Et in foralibus Saurii oppidi anno eodem. IN DEI nomine. Placuit mihi Comiti Henrico, & uxori mea, Regis Domini Alfonsi filia Tarasie, &c. Fuit igitur (ne indecisa hæc relinquatur quæstio) Henricus natione Burgundus, Guillelmi Comitis Burgundiæ nepos ex fratre, Raymundi vero Comitis Gallicæ, & Calisti II. Pontificis Maximi, patruelis, vt latius in ipsius Henrici vita ostendemus. Nos enim hic Censoris officio, non historici fungi volumus.

CENSURA IX.

QVOD ait Henricum in Hispaniam venisse stipatum caterua equitum Gallorum, è quibus erat Raymundus Burgundiæ Comitis filius, & Raymundus Comes Tolosanus, sunt mera nugamenta. Etsi enim sanguinis nobilitate, ii omnes & quales essent, Tolosanus eis dignitate, & potentia præstabat, vt qui Narbonensis totius fere prouinciæ Dominus erat. Quare venientibus simul, magis ipse Dux, quam Comes & assecla erat futurus.

CENSURA X.

QVOD etiam ait, Comitem Tolosanum auunculum fuisse Henrici, ridicule profecto scurratur. Mendacem enim oportebat esse ræmorem. Nam paulo superius dixerat, Henricum filium fuisse Guillelmi, & Gertrudis Comitis Lucensis filiæ. Quare necesse erat, Comitem Tolosanum si auunculus Henrici erat, filium esse etiam Lucensis Comitis, & fratrem Gertrudis. Certum tamen est (vt constat ex historicis Gallis, & ex Zurita nostro) illum recta linea descendisse ex Comitibus Tolosæ & Prouinciæ: quorum primus fuit Tersinus, cui successit Isauredus, Isauredo Bertrandus, Bertrando Guillelmus, Guillelmo Raymundus Sancti Ægydii, Raymundo Guillelmus Taglia ferrus, Guillelmo Pontius, Pontio Aymericus, Aymerico Raymundus hic iunior, de quo agimus. Ex quo potest sumi coniectura, quam veræ sint cæteræ huius nostri historici narrationes.

HENRICVS Comes de Lemburg, propter res egregias summa cum vita integritate, domi, militiæ, gestas, ab Alfonso VI. Castellæ Rege primus Portugaliæ Comitatu insignitus est. Quam prouinciam pater eius Fernandus, cum titulo Regio, filio suo Garsie, simul cum Gallicia in vita dederat.

CENSURA XL.

Quod h̄c ait, superius negauit, vt qui ex libris authorum inter se diuersa sentientia, sine iudicio h̄c corrasit. Dixerat enim Portugaliæ nomen, non nisi ab eo tempore, quo Alfonsus I. Rex salutatus est, in Lusitaniam fuisse extensum. In quo hallucinatus est.

IN ALPHONSI I. ELOGIO.

ALPHONSVS I. Henrici filius Comitatu Portugaliaæ successionis iure ganis est, Duxq; apellationem per XXVII. annos obtinuit.

CENSURA XII.

Errat & h̄c, & habet authores erroris. Alfonsus enim, quandiu mater vixit, ad quam Comitatus Portugaliz, vt dotalis pertinebat, Infans appellatus est, vt etiam viuente patre. Mortua autem matre, Princeps Portugaliz dicebatur, vsque ad Orichiense prælium, quo Regem eum salutarunt anno MCXXXIX. Quod ex tenore multorum diplomatum constat, quorum copiam mihi fecit, cum multis aliis antiquitatis thesauris, Antonius Castilius, à consiliis Catholicæ Maiestatis, & Regiorum scriniorum Præfectus, vir limatissimi iudicii, & qui ad Iurisprudentiam, omnium litterarum peritiam coniunxit. Ex quibus referam vnum Henrici temporis, alterum Tarasiaz, tertium ipsius Alfonsi.

In forali igitur lege oppidi Constantini Panoiarum, ea erat inscriptio.

Ego Comes D. Henricus una pariter cum uxore mea Infante Domina Tarasia, &c.

Et subscriptio hoc modo.

Ego Comes D. Henricus & uxor mea Infans Domina Tarasia manu nostra roborauius. Era MCXXXIIII.

Ego Infans Alfonsus filius Henrici Comiti & Infantie D. Tarasiaz authorizo & confirmo & roboro istam chartam quam fecit pater meus & mater mea regnante Domino Alfonso Legione.

I N concessione iuris Cauti (vt vulgo dicunt) oppidi Alpendoradæ, quod Tarasia Regina Alfonsi mater instituit anno MCLXI. ita erat subscriptum.

Ego Regina Tarasia Domini Regis Alfonsi filia, concedo tibi Sarracino Vanegas, &c. Supradicta Regina Domina Tarasia, qua hanc chartam firmitudinu propriis manibus roboraui, &c.

Ego Alfonsus Infans mandau, & concessi supradicta fieri sicut sursum resonant, pro amore Christi & Ecclesie libertate, & pro Sarracino Vanegas, qui me multis verbis rogauit, & hanc chartam propriis manibus roboraui.

I N ea vero donatione, quam supra retulimus in Censura III. de Eremita Sancti Romani, ostendimus anno MCLXXVI. quo tempore mater è viuis iam concesserat, ita subscriptisse. *Ego Alfonsus Portugaliaæ Princeps.*

ALFONSO nupsit Mafalda Manrique de Lara filia Henrici Comitus de Lara, & Principis de Molina magna apud Castellanos nota.

CENSURA XIII.

Nvgatur h̄c noster author cum aliis geographiæ & historiarum imperitis, quos secundus est, qui cum legissent apud Rodericum Ximenium Archiepiscopum Toletanum, Regem Alfonsum, duxisse in vxorem filiam Comitis Morienæ, nec scirent, vbi gentium is esset Comitatus, crediderunt esse Molinam oppidum prouincia Tarragonensis. Fuit autem Mafalda Allobrox filia Amedei II. Comitis Maurianæ, Principis per ea tempora celeberrimæ. Is enim est, qui beneficio Henrici V. Imperatoris fuit Arelatensium Prorex, Princeps & Vicarius sacri Imperii per Italiam, annexis Comitatui Sabaudiaæ (quem veluti gentilitium voluit eius titulis deinceps præferri) ditione Maurianensi, Tarasieni, Belgieni, Augustæ Clabasi, Sedunensi, & Transalpina Secutia. De quo nos multa diximus in vita Alfonsi. Hic Amedeus ex vxore Guigone secundum Paradnum, aut secundum Philibertum Pngonium, Mahalda filia Comitis Albonensis sustulit Humbertum huius nominis III. Sabaudiaæ Comitem. Ioannem valetudinarium, qui in coenobio Diui Antonii vixit & obiit. Petrum qui monasticam vitam egit. Adelaim nuptam Andreæ Comiti Angieræ Principi Mediolanensi, Othonis Cæsarisi filio. Alasiam, quæ nupsit Humberto Bellioci Principi. Mafaldam, quam duxit hic Alfonsus I. Portugaliaæ Rex, cui sanguinis necessitudine coniuncta erat, vt in ipsius Alfonsi vita ostendimus.

C E N S V R A X I I I .

VT hic sine delectu omnia transcribit cum suis mendis, narrat nobis hanc fabulam sumptam ex vulgari Alfonsi historia, quæ circumfertur. Alfonsus quippe Rex filiam non habuit Mafaldam. Natæ sunt enim ei ex vxore solum Vrraca, quæ nupsit Fernando Legionensi Regi, & Tarasia, quæ Philippo Flandrensi Comiti. Et ex concubina altera Vraca. Hoc constat ex diplomatis, & monumentis Regis Alfonsi, quorum magnum numerum vidimus in Regio chartophylacio. In quibus omnibus, more illorum temporum, quo Regum filii legitimi confirmabant parentum donationes, & subscribebant, solum fit mentio Vrracæ & Tarasie, quæ cum Sanctio fratre subsignabant. Rodericus etiam Tolitanus Archiepiscopus maximæ autoritatis & diligentiae scriptor, qui ea fere tempora attigit, agens de liberis Regis Alfonsi, Vrracam & Tarasiæ tantum nominat. Nec si Mafalda etiam haberet, locare eam poterat Raymundo Berengario Comiti Barchinonensi. Anno enim Domini m. c. x x x v i i . vltimus Raymundorum, & Comitum Barchinonensium, vxorem duxerat Petronillam Ranimiri monachi Regis Aragoniæ filiam heredem, cuius matrimonii causa, Comitus Barchinonensis accessit Aragoniæ sceptro, nec separatus est in posterum ad hanc vsq; diem. Alfonsus autem Rex vxorem duxit anno m. c. x l v i . Vnde apparet, impossibile fuisse illud matrimonium. Quo tempore etenim Mafalda potuit nasci, Raymundus erat iam senio confectus, & vxorem habebat Petronillam, quæ superstes fuit marito, & Regnum filio renunciauit, anno m. c. l x i i i . vt ex Aragoniæ annalibus patet.

ANNO M. C. L X I X . Alexander III. Summus Pontifex, in ecclesia Lateranensi, ei, successoribus suis, coronam ratam, firmamq; induxit.

C E N S V R A X V .

HIc etiam inequit. Alexander enim III. Regnum Portugaliæ confirmauit Alfonso anno m. c. l x i x . Ipsas enim literas archetypas vidimus in Regiis scriniis. Alexander autem IIII. ad Pontificatum ascendit anno m. c. l i i i . quo tempore in Portugalia Alfonius III. regnabat. Et ita à confirmatione Alexandri III. ad Pontificatum Alexandri III. intersunt LXXXV. anni, quos hic noster bonus author deuorauit. Tanti momenti in historia est temporum ratio, ad veritatem indagandam.

I N S A N C T I I I . E L O G I O .

QVÆ illi peperit Fernandum, quia ratione Ioanne uxoris, Flandria Comitatum accepit. Hic bellum aduersus Philippum Augustum Gallia Regem gerens, bello captus, Parisiis in arce Lupara, vitam cum morte commutauit.

C E N S V R A X VI .

HIc etiam errat. Fernandus enim Portugaliæ Infans, & Flandriæ Comes, in bello illo sociali, quod cum Othono IIII. Imperatore, Ioanne Rege Angliæ, Regaldo Dampmartino, & aliis gessit aduersus Philippum Augustum Francorum Regem, captus ab eo in prælio illo apud Gallos celebri ad Bouinas, & perductus Lutetiam Parisiorum, in arce Lupara asseruatus est, vsq; ad Philippi excessum. A Ludouico etiam VIII. quod conditiones quibus eum liberabat, vt nec sibi nec Flandris viles, nec honestas non accepit, liberacionem non impetravit. Vnde in captiuitate vitam traxisse XII. annos, & in vinculis obiisse, nonnulli authores tradunt. Alii redemptum tandem multo auro, & bello postea perduellē interisse. Sed vtriq; falluntur. Mortuo namq; Ludouico VIII. Blanca Regina eius vxor à filio Ludouico IX. qui in Diuorum numerum relatus est, eius exorauit libertatem. Erat quippe Fernandus sanguine Blanca propinquus, & Alfonsi Regis Portugaliæ frater, cui Vrraca Blanca soror nupta erat. Libertati autem restitutus anno m. c. x x v i i . vt Nicolaus Gilæus, & Meyerus tradunt, multa domi forisque præclare gessit. Sexennio deinde transacto, calculi cruciatu moritur Nouiom: vbi corpore in cœnobium Marketii delato, viscera mandata sepulturæ, hoc insculpto Disticho, quod Meyerus scriptum reliquit.

Fernandi proaues Hispania, Flandria corpus,
 Cor cum visceribus continet iste locus.

ET Petrum, cuius ditioni filie Armengol ratio Comitatum de Vrgel adiecit. Post modum à Ioanne I. Aragoniæ Rege, insularum Maiorica, & Minorica Regnum illi delatum est.

CENSURA DVARDI NONII
CENSURA XVII.

Dicitur h̄c. Ut enim in vita Sanctii Regis latius ostendimus, Iacobus I. quem Arago-
nenses vocant Iaimium, Petro Infantī Portugalie, tum ratione propinquitatis, ut qui
erat patris sui Petri consobrinus, tum in compensationem hereditatis, quam causa Reginę
Dulcię matris suę, sibi deberi dicebat, Maioricę Regnum contulit. Id tamen, quia tueri
à Sarracenorum iniuriis non posset, Regi Iacobo postea restituit, acceptis ab eo ciuitate
Segorbiensi, Morella, & nonnullis aliis. Ab anno autem MCCCXIII. quo Iacobus re-
gnare cœpit ad Ioannem I. Aragonie Regem CLXXIV. interfunt anni. Cœpit nam-
que anno MCCCLXXXVII. quo iam Petrus decesserat.

10

*Martinus Sanchez de Portugal, cui ducta in uxorem est Eulalia Perez Comitis Petri Fernandi
Lancastro filia.*

CENSURA XVIII.

Errat etiam in hoc noster historiographus. Ad ea enim usque tempora non venerantur
Hispaniam cognomentum Lancastrorum. Petrus autem ille Fernandus à Castro di-
ctus est, & cognomento Castellanus, è familia nobilissima à Castro. Fuit quippe filius Fer-
nandi Roderici à Castro, & Stephaniæ Castellæ Infantis, filiæ Regis Alfonsi V III. de quo
nos multa alibi. Hic ex Ximena Gometia filia Comitis Gometii sustulit Aluarum Pere-
zium à Castro, & hanc Martini Sanctii uxorem: quæ non Eulalia, sed Ello dicta fuit, ut ex 20
antiquis monumentis conuentus Calatravæ legisse se dicit Franciscus Rades in lib. de Mi-
litia Calatravensi, in vita Martini III. eius ordinis Magistri.

Rodericus Sanchez de Portugal, qui in infancia vitam finiuit.

CENSURA XIX.

Hunc ex annalibus nostris, & ex Petro Comite Barcellensi in suis genealogiarum com-
mentariis constat, non Infantem, sed iam virum factum periisse, in prælio ad Portuen-
sem ciuitatem commisso.

Huius Sanctii atate, ordo Sancti Iacobi, & Cisterciensis de Avis exordium cepit.

CENSURA XX.

In hoc maxime errat. Ordinem enim Cisterciensem à Rege Alfonso Henrico huius
Sanctii patre, ex annalibus & antiquis monumentis tam Regiorum scriniorum, quam
Ausiensis Conuentus, cœpisse constat. Cuius sedem Eboræ collocauit, & Magistrum
primum creauit Fernandum Monterium, cui Maforam, & alia oppida à Sarracenis vindica-
ta concessit. Tempore vero Alfonsi III. ad Castrum Ausiense sedes Magistralis (vt illi
vocant) translata est, vnde Militia nomen impositum fuit.

Innocentio III. Summo Pontifici centum auri libras munere misit.

CENSURA XXI.

Non hanc tam exiguum summam, si personas dantis & accipientis respicias, munere 40
misit viuens. Sed cum testamento omnibus sui Regni cathedralibus ecclesiis ampla
legata reliquisset, Innocentio III. tanquam Principis omnium Ecclesiarum Præfuli, centum
auri marchas etiam legauit, & ab eo voluntatem suam supremam ratam esse petiit, ut ex
ipsius constat testamento.

IN ALFONSI II. ELOGIO.

*Sorores tres Regine Virracæ fuere, prima Blanca Ludouici VII. Galliae Regis coniunx, qua Sancti
Ludouici mater fuit.*

CENSURA XXII.

Errat in historia. Ludouicus enim hic Octauius fuit, pater scilicet Ludouici IX. qui in
Sanctorum catalogum adscriptus est. Condonare autem debent Galli Ioseph ho huic, ho-
mini scilicet in Portugalia nato & enutrito, de Gallorum Regum serie imperitiam, qui de
Regibus Portugaliæ tanta mendaciorum portenta nobis inculcat.

Natus est Alfonsus II. filius illegitimus Martinus Alfonsus.

CENSURA XXIII.

Decipiuntur, qui huius Alfonsi Martinum Alfonsum filium fuisse dicunt. Cōstat enim
ex antiquis monumentis, filium fuisse Alfonsi Comitis Bononiensis, quem ex Sarra-
cenici

IN F. I O S E P H I T E I X . L I B E L L U M

1231

eenic generis muliere su stulit, & proinde huius Alfonsi II. nepotem. Ad quem Sousæ cognomento Chichorri genus suum referunt.

CVM Alfonsus IX. Castellæ Rex, ipsiusq; sacer, arma in Guianam moturus esset, ab eo manum auxiliarem efflagitauit, quam non modo non porrexit, sed ut ab incepto desisteret admonuit. Id responsum ægerrime ferens Alfonsus, in eas mœroris angustias pertractus est, quæ mortis ei ansam pre-
buere.
Additio ad hæc ita habet.

Amicitia & fides Regum Portugalie erga Reges Gallie.

C E N S V R A X X I V .

¹⁰ **R**idicule profecto hic à Rege Gallorum benevolentiam captat, & vt historiarum igna-
rus glossam (vt aiunt) ponit contra textum. Per id enim tempus Aquitania seu Guiena
non sub Regibus Francorum, sed sub Regibus Anglorum erat. Hanc etenim olim Reges
Francorū Northmaniæ Ducibus tradidere, qui cum Regnū Angliæ occupassent, vtrumq;
confusum est. Post varias vero contentiones, Caroli VII. auspiciis, Aquitania tandem ad
Francos rediit. Verisimilius tamen est, quod ex annalibus nostris constat, hunc Regē Al-
fonsum Castellæ in mœtorem incidisse, quod Alfonsus hic Portugalie ætate minor, affini-
tate gener, & sanguine coniunctus Placentiam, urbem iam Portugalie propinquam, no-
luerit ad colloquū cum eo ire, sed sacerum ad Regni limites vocauerit, forte quod ei nol-
²⁰ let in aliqua parere, & similitates inter eos essent. Sic etiam in celeberrimo illo prælio
ad Nauas Tolosæ aduersus Marrochiorum Imperatorem, sacerum præsentia sua non iu-
uit, cui Reges Aragonie, Nauarræ, & multi Principes ex Italia, Germania, & Gallia, religio-
nis ergo interfuerere. Lusitanos autem plurimos interfuisse memorie proditum est.

*Qui Conuentum Sanctarenensem antiquitate secundum in toto ordine, & in Hispania primum,
exadificauit.*

C E N S V R A X X V .

CVM monachus sit egregius hic scriptor, & in conuentibus & monasteriis tot annos
egerit, nescit quid intersit inter monasterium & conuentum. Monasteria igitur quia
³⁰ ex lapidibus & corporibus constant, ædificari possunt. Monasterium enim locus est, in
quo vita agitur solitaria. Conuentus non locum, sed personas respicit, & ex hominib. con-
stat. Et nihil aliud est, quam homines, qui in vnum locum conueniunt, quemadmodum
confessus, homines in vnum locum considentes, aut secundum Festum multitudo ex plu-
ribus generibus hominum contracta in vnum locum. Cice. in Verrem: Cur prudentissi-
mas, lectissimasq; foeminas in tantum virorum conuentum insolitas, inuitasq; prodire co-
gis? Sic & Virgil. lib. 6. Æneid.

*Dixerat Anchises, natumq; vnag. Sibyllam
Conuentus trahit in medios, turbamq; sonantem,
Et tumulum capit, unde omnes longo ordine posse,
Aduersos legere, & venientum discere vultus.*

⁴⁰ Conuentus igitur, qui ex hominibus constat, ædificari non poterat.

I N E L O G I O S A N C T I I I .

Animam efflavit Sanctius, nullis superstitionibus liberis, Regno abdicatus.

C E N S V R A X X VI .

Ob nimium Theologiæ studium, videtur Iosephus noster Canonistarum dogmata
neglexisse: propterea igitur nobis narrat hæc historiam perperam, & (vt nostrates di-
cunt) contra textum expressum Innocentii in cap. Grandi, de suppl. negl. Præla. lib. 6. qui
Vicarium regni dedit Sanctio fratrem Alfonsum Bononiæ Comitem: cuius hæc sunt ver-
⁵⁰ ba: *Per hoc autem non intendimus memorato Regi, vel ipsius legitimo filio, si quem habuerit, prædi-
ctum Regnum adimere, sed potius sibi & eidem Regno destructioni exposito, ac vobis ipsis in vita ipsius
Regis, per soliditudinem & prouidentiam Comitus consulere supradicti, &c.*

Si ergo Summus Pontifex Sanctio Regnum non statuebat adimere, nec filio eius, si ha-
buisset, sed ei consulebat, vicarium dando, quomodo eum Regno abdicauit?

I N A L F O N S I . I I I . E L O G I O .

ALFONSVS III. Bononiæ Comes, ex coniugal ratione Mathildis, ex qua suscepti sunt illi fi-
lli Fernandus, & secundum alios Petrus, qui quidem in pueritia in Olisiponensi ciuitate obiit,

atque in Conventu S. Dominici ordinis Prædicatorum sepultus est. Robertus etiam, qui cum Mathilde matre apud Gallos mansit, & in Comitatu succeſſit.

CENS V R A XXVII.

Quo d hie patriæ hostis, Alfonso filios tribuit ex Mathilde Bononiensi, & Robertis surculum ex alia reſectum arbore, in hanc Portugaliæ inserit, supplicio dignus erat, quod historias adulterat, & iura familiarum confundit, non ut Antonii sui causæ faueret, cui id mendacium nihil proderat, sed ut aliorum gratiam iniret, à quibus se subornatum mihi coram sui cœnobii Præfeto, cum in vinculis effet, narrauit. Ego vero cum de hac confutanda fabula, in vita Alfonsi latissime egerim, statueram lectors eo alegare. Sed quia sermo ne patrio scribimus, vt decet vitas Regum, & annales Regni scribi, veritus ne apud exterros, qui Lusitanicam linguam non callent, huius rei veritas lateret, diffusius quam pro nostri instituti breuitate, genus, matrimonia, & successores Mathildis vere ex vetustis Portugaliæ monumentis, & probatissimis Gallorum, & Flandrorum scriptoribus, in gratiam historiæ studiosorum explicabimus.

E t ne ab ouo (quod dicitur) Bononiensium stemmata repetamus, quæ ad rem nihil faciunt, ab Eustachio illo Seniori duorum Regum Hierosolymitanorum parente incipiēmus. Ex Rhodolpho igitur Comite Bononiæ, & Rosella Comitis Sancti Pauli filia, nati sunt Godoffredus Episcopus Parisiensis, & is Eustachius Senior Bononiæ Comes. Eustachius vero ex vxore Ida filia Godoffredi Barbatæ Ducis Lotharingiæ & Mosellanæ, Ardennæ Bulloniique Comitis habuit Godoffredum Bullonium, & Balduinum Reges Hierusalem, Eustachium Iuniorem Comitem Bononiæ, & Guillelmum Baronem Ianuillæ. Eustachius vero Iunior ex filia quadam Regis Scottiæ vnicam sustulit Mathildem, quæ Stephano Comiti Blesensi nupsit, ei scilicet, qui Rex postea fuit Angliæ. Ex his nati sunt Guillelmus, & Eustachius III. qui cum sine liberis deceſſissent, successit eis Maria eorum soror. Quam cum effet Abbatissa monasterii Rumessiensis, Henricus II. Angliæ Rex inde extractam, Matthæo Elsatii filio Theodorici Flandriæ Comitis locauit. Ex eo incestuoso matrimonio nascuntur Ida Comitissa Bononiæ, quæ Reginaldo Dampmartini Comiti, & Mathildis quæ Comiti Louaniensi nupsere. Ex Reginaldo & Ida natæ sunt Mathildis hec Comitissa Bononiæ, de qua agimus, quam nonnulli Mariam per errorem vocabant, & Aliis, quæ Comiti cuidam Claramontis & Aruerniæ locata est, ex quibus natuſ est Robertus, qui in Comitatu Bononiensi & Aruerniæ successit: & quem falso isti tribuunt Alfonso & Mathildi. Mathildis enim Comitissa Philippo cognomento Crispo, Philippi Augusti Gallorum Regis filio nupsit anno M. cc. xv. Ex Philippo & Mathilde nascitur vnicafilia Ioanna, quæ cū Gualtero Castellionio nupsisset, obiit sine liberis, viuēte adhuc matre. Mortuo vero Philippo Crispo anno M. cc. xxxiiii. iuxta Meyerum, Mathildis sine liberis relicta secundo nupsit Alfonso Infanti Portugalæ, filio Alfonsi Regis II. intuitu, vt videtur, materteræ Blancae Gallorum Reginæ, quæ Ludouici VIII. fuit vxor, mater vero Sancti Regis Ludouici. Hic vero cum in Portugaliam venisset, & ad Regium culmen effet euectus fratri morte, & iam non priuatum Comitis, sed publicam Regis personam sustineret, pertulit coniugii cum Mathilde, quæ iam annosa erat, vt in vita ipsius Alfonsi ostendimus, nec ei liberos pepererat, affinitatem cum Rege finitimo, & potentissimo Alfonso X. contraxit, & Beatrixem eius filiam illegitimam nondum nubilem duxit: id non modo sibi, sed & suis vtile autumans, ad Regni firmitatem & belli causas euitandas, quod inter provincias æmulas timeri poterat. Nouitas enim Regni præter Regis Legionensis consensum instituti, cui Portugalia iure clientelæ olim tenebatur, semper aliquid noui afferre poterat. Verebatur etiam Lusitanos ægre laturos, in Regnum hæreditibus vacuum, à Rege adhuc iuuene adduci Reginam anum, & exteram. Accedebat, quod sibi Regi facto, nihil iam commodi videbat ex Comitatu Bononiensi accessurum, vt qui Mathildis morte, non ad suos, sed ad alienos deferendus erat: & socer in Algarbio oppida ei dotis nomine dabat, quibus Portugalæ fines proferebat. Quocirca ius illud violauit, quod regnandi causa, scep & à multis violatum est.

Quæsta igitur Mathildis de Alfonsi iniuria apud Summum Pontificem, vxor legitima declaratur, & Beatrix concubina. Quam cum Alfonsus dimittere nollet, nec Mathildem admittere, Alexander IIII. tam ipsum Regem Alfonsum, quam Portugaliæ Regnum sacris interdixit, eoq; statu mansere ad annum M. cc. lxii. quo Mathildis vita funesta est. Huic cum sine liberis decederet, quod Ioanna filia vnicafilia, nulla item prole relicta, ante matrem obiisset, successeſſit Robertus eius nepos ex sorore Alide, quæ Claramontis & Aruerniæ Comiti nups'erat.

Quod

Quod vero Alfonsus ex Mathilde non tulerit liberos, testamentum eius docet anno MCCXLI. cōditum, quod in Regio chartophylacio Olisipone afferuatur. In eo enim, post amplissimum legatum Alfonso marito relictum, in ipso scripturæ contextu inseruntur Gualteri Castellionei & Ioannæ eius vxoris consensus, & subsignationes in hunc modum. *Gualterus de Castellione Et ego Ioanna eius uxor, quorū sigilla inferius sunt appensa, supradicta approbamus, volumus, & concedimus & promisimus, & promittimus Comiti Bolognae supradicto, quod contra predicta, vel aliquid predictorum, nullo unquam tempore veniemus, &c. Ego etiam Gualterus dicit uxor mea authoritatem praestiti, & assensum facies di omnia supra dicta, & sigilla nostra praesertim pagina apponifecimus, &c.*

Et in fine testamēti iterū iisdem fere verbis confirmat. Vnde apparet Ioannā vniā suisse Mathildis hæredem. Aliter enim quo sum cōfirmaret? Aut quare illa & n. n Robertus, si filius etiam esset? Item si Gualterus hæres erat ex persona sua, quid opus erat consensu vxoris ad pecuniam legatam soluendam? Manifeste itaque liquerit, Gualterum ex persona Ioannæ cepisse non ex sua. Ioannam etiam Alfonsi filiam non fuisse, constat ex verbis supradictis. Cuius quidem rei non minimum argumentum est testamentum Mathildis in Portugaliam missum. Cum enim in eo tam opimum legatum Alfonso esset relictum & tam ipse quam Mathildis vererentur, ne Ioanna priuigna in odium vitrii testamentum cælaret, vt eo onere se liberareret, in tutissimo loco seruari voluerunt. Quod profecto non fuisset, si Alfonsus liberos Bononię successores futuros habuisset. Aliud efficacissimum argumentum est, quod nullos Mathildis in eo testamento liberis suis tutores dedit, quod præter Ioannā, eamque iam nuptā Gualtero, nullus ei filius erat. Nec ipsum maritū Alfonsum, quem clarissimū habebat suæ ultimæ voluntatis executorē instituit. Sciebat enim post mortem suā statim Bononia, & è Gallia discessurū, quod liberos nō haberet, & externus esset, nihilq; ei ibi reliquum esset, quo cum decore Regis filius immorari deberet.

ET ut veritas (iuxta Euripi dem) per se congruit, huic Mathildis testamēto concinitus simplex libellus, cuius exemplar extat in antiquissimo libro eius Regii chartophylacii, quo Alfonsi res continentur. Eo enim Archiepiscopus Bracharensis cum omnibus Portugaliæ Episcopis, mortua Mathilde, ab Urbano Papa IIII. petebant, Regnum Portugaliæ sacrorum interdictione, & Regem Alfonsum & Beatricem legibus solueret, legitimosque eos esse coniuges, & legitimam susceptā prolem ad Regni successionem declararet. Cuius verba in vita Alfonsi transcribimus. Ex quo colligitur, nullos liberos Alfonsum ex Mathilde suscepisse. Nam nec Summus Pontifex iura naturæ immutaturus erat, vt filii ex priori matrimonio legitime suscepti deterioris essent conditionis, quam adulterini. Nec Episcoporum tam inuercunda postulatio erat futura, vt turbato naturæ ordine, in legitimorum & natu maiorum præiudicium, nulla de eis facta mentione, adulterio conceptos, & minores, ad Regni successionem postularent fieri legitimos.

HIS omnibus accedunt urgentissimæ cōiecturæ, quæ omnem probationē excedūt. Si enim pro coniugii titulo Mathildis questa est, & sententia Summi Pontificis iusta Alfonsi uxor iudicata, & eius filii iustis quæstionib; nuptiis, cur Robertus quem primogenitum dicunt, ob tantæ dignitatis spolium questus non est? aut cur interdictione sacrorum Regnum non constrictum est pro successione filii, vt fuit pro matrimonio matris? Scimus autem nullam de Regno fuisse disceptationem, aut querelam.

Præterea tam de nihilo erat Regni vnius successio, vt silentio ius suum Robertus obscuraret, & testatione saltem non notum faceret omnibus, ad se Regnū Portugaliæ pertinere? Visitatissimum enim est apud omnes Principes, qui Regni, aut Dynastiæ alicuius sibi ius competere arbitrantur, ea suis titulis inscribere, ne præscripta videantur. Sic Reges Angliæ Galliarum, Reges Siciliæ Hierusalem, Dukes Allobrogum Cypri titulos usurpare videmus. Et (si diis etiam placet) earum se Dynastas urbium multi dicunt, quæ iam non extant, nec locus scitur ubi fuerint. Quare & si Robertus à Regni petitione exclusus foret, jo nomen tamen inane saltem retinere debuisset.

Cum etiam homines tam audi sint honoris, vt multi per mendacia in alienas se inserant familias, quorum nos multos nouimus, cur qui legitime à Rege prognatus erat, & primogenitus, se non Regis filium appellauit? Cur Lusitanorum Regum nobilissima illa insignia Robertus non clypeis, non peristromatis gestauit, aut qui ex eo prognati sunt? Nemo enim iuxta Doctorum sententias, & praxim totius orbis, potiot iure ea deferre potuit, quā qui filius erat Regis primogenitus. Quod si ratione Comitatus Bononiensis, alia gestare teneretur, cur saltem mixta non detulit? Nec enim quia possessionem dignitatis non habebat, nomine etiam spoliandus erat.

Quod si nugatores isti, quod è Portugaliæ scriniis hæc preferimus documenta, eorum

fidei eleuare velint, cum publica sint instrumenta, quæ cuius intuerilicet, Gallorum hæc comprobemus testimoniis. Et omissis quæ alii Galici historiographi de hac re tradunt, & Iacobus Meyerus Flandricarum rerum scriptor magnæ authoritatis, Ioannes Nestor homo Gallus, vir doctus & diligentissimus, qui hæc ex professo tractauit, atque perscrutatus est, & ad Christianissimam Reginam Catharinam de Medicis librum inscripsit de ipsius genealogia, qui Parisiis excusus est anno M.D.LXIII. per Carolum Perierium, affirmat Alfonsum nullam suscepisse prolem ex Mathilde: & Ioannam, quam vnicam peperit, ex Philippo priori marito fuisse suscepitam: eamq; ante matrem sine liberis deceperisse. Mathildi autem in Comitatu Bononiensi successisse Robertum eius nepotem ex sorore Alide, filium Comitis Claromontis & Aruerniæ. Cuius verba ne nos peruerisse, aut male vertisse dicant, prius Gallice efferemus. Sunt autem huiusmodi:

LA Comtesse Mahault ou Marie femme de Philippe de France fils du Roi Philippe Auguste, fu Dame fort vertueuse, elle fonda trois chapelles en la eglise nostre Dame de Bolongne, & une à l'hôpital de la dicté ville. Quelques uns tiennent, que elle deceda sans enfans, & que son neveu Robert Comte d' Auvergne lui succeda au Comté de Bolongne, qui est chose véritable. Mais ce n'est à dire qu'elle n'eust eu quelques enfans, avant que mourir. Car la chronique de Flandres atteste, que de Philippe & d'elle sortit une fille nommée Jeanne, qui mourut avant sa mere, comme aus son peult conoistre par quelques lettres del an M C C L. es quelles ces mots on esté escrits par la dicté Mahault. IOANNA FILIA MEA ET HÆRES. E par aultres lettres de l'an. MCCLVI. ou ces mots sont inseréz : IOANNÆ QVONDAM FILIÆ M E A. Aucuns ont voulu dire, que d' elle & de Philippe sortit un enfant male nommé Robert, qui fut Comte de Bolongne, apres sa mere, & qu'il espousa Ioland fille de Iean d' Avesne Comte de Henault, de la quelle toutes fois n' eut aucuns enfans, ains mourut sans hoirs. Ainsi escheut le Comté de Bolongne, à son cousin Robert Comte d' Auvergne. Mais la plus commune opinion est, que Philippe & Mahault n' eurent, que leur fille Jeanne, par la mort de laquelle, & puis apres de sa mere le Comte d' Auvergne, entra en possession du Comté de Bolongne. Le Comte Philippe deceda l'an. M C C XXXIII. & sa femme Mahault se remaria l'an. M C C XXXV. à Alfons ou Aufroy fils du Roi de Portugal, duquel elle n' eut aucun enfans.

Id est,

Comitissa Mathildis aut Maria, uxor Philippi Franci filii Regis Philippi Augusti, fuit heroina mulieris virtutib. prædita. Ipsa enim fundauit in ecclesia virginis matris Bononiae tria sacella, & unum in hospitali eiusdem ciuitatis. Nonnulli credunt, eam sine liberis deceperisse, & Robertum eius nepotem ex sorore illi successisse in Comitatu Bononiae. Quod quidem verum est. Non tamen est dicendum, illum nullum in vita habuisse filium. Annales enim Flandrie testantur, ex Philippo & Mathilde filiam vnicam natam fuisse nomine Ioannam, quæ ante matrem mortua est, ut etiam colligi potest ex nonnullis scripturis anni M C C L. in quibus Mathildis, hæc verba ponit. IOANNA FILIA MEA ET HÆRES. Et alia scriptura anni M C C L VI. in qua hæc verba sunt inserta. IOANNA QVONDAM FILIÆ M E A. Aliqui aiunt illam peperisse ex Philippo masculum nomine Robertum, qui fuit Comes Bononiae post matrem, & uxorem duxit Iolandam filiam Ioannis de Avesna Comitis Hannoniae, ex qua tamen dicunt non sustulisse liberos, sed sine heredibus obiisse. Et ita Comitatum Bononiae ad Robertum Comitem Aruernie consanguineum suum peruenisse. Receptior tamen opinio est, ex Philippo & Mathilde, nullum alium filium præter Ioannam fuisse prognatum. Morte autem ipsius Ioanna, & postea Mathildis, Comitem Aruernie in dominium Comitatus Bononiensis venisse. Comes Philippus decepit anno M C C XXXIII. Mathildis vero eius uxor anno M C C XXXV. secundo nupsit Alphonso, seu Aufredo, filio Regis Portugalie, ex quo nullum peperit filium.

Superuacuum igitur videbatur, de Petro aut Fernando Mathildis filio Olisipone sepulto in Sancti Dominici æde disceptare, cum manifeste demonstrauerim, eam ex Alfonso nullos concepisse filios. Sed ne quid sit, quod ad hanc rem attinet, in quo huius Teixeræ nugis non respondeamus, quis ille fuerit ostendemus. Qui igitur eo loco sepultus est, Alfon-sus fuit ipsius Regis Alfonsi & Reginæ Beaticis filius secundogenitus, Dionysi vero frater germanus, cum quo magnas exercuit inimicitias, Portalegri, Arrontii, Castelli Vitei, Maruani, & multorum castrorum Dominus: qui uxorem habuit Violantidem filiam Infantis Emmanuelis, Fernandi III. Castellæ Regis filii. Sepultura in quam à principio illatus est (vidimus enim sæpe illam, & illius titulum legimus) ex candido marmore erat, ea magnitudine, qua magnis viris dignitate & ætate ædificari solent. Cuius tumuli tanta erat area, ut in parte anteriori venatorem equo insidentem cum canibus & apri inter arbores haberet insculptos, quia fortasse Princeps ille venationi deditus esset, aut quod venatio nobilium sit insigne, & exercitium. In operculo sepulchri incisæ erant litteræ figura Gothica, quales fere sunt omnes illius temporis, quibus continebatur, sepultum esse ibi Alfonsum Infantem Portugalie, filium Alfonsi illius templi fundatoris, & Reginæ Beatri-

Beatrixis. Cuius epitaphii multi hodie sunt memores, & mentionem etiam facit in vita Regis Dionysii Fernandus Lupus Regius historiographus, & Regiorum scriniorum Praefectus, vir exactissimæ diligentia, & magnæ authoritatis, qui Ioannis I. Regis Portugalie, & Eduardi vixit temporibus.

Annos vero ab hinc x. x. cum eius cœnobii præsul aliqua in templo ædificaret, quæ sepulturæ illius mole impediabantur, ut expeditorem redderet aram, eam diruit, & cadaver in lapideam capsulam parieti templi affixam transferri iussit. Cum vero ab hinc quadriennium, cum Regis Alfonsi vitam literis mandarem, qua forma Princeps ille inuentus esset, inuestigarem, R. P. Magister F. Bartholomæus Ferreira Theologæ Professor, cui ob vitæ integritatem & summi litterarum omnium eruditionem Quæsitoris fidei officium, & librorum examen commissum est, ab ipso architecto, qui monumentum diruit, & cadaver transtulit, schedulam subsignatam mihi dedit, qua narrabat, proceri illud fuisse hominis & crassi, ætate, ut videbatur, prouecti, capite & pedibus fere consumptis, reliquum corpus integrum inuentum, & panno bombycino aurei coloris inuolutum. Quod vero in minorém loculum erat inferendum, tentantibus per ossium iuncturas cultro secare, irritus fuit labor, quasi marmor enim lapidescebat. Vnde curuatura & per vim necesse fuit inferre, non sine iniuria illius Regii corporis. Subiit autem mihi eius rei commiseratio, quod neglectum tanti Principis cadaver sine titulo, sine nomine iaceret, atq; etiam indignatio, quod literis illius epitaphii mendacissimas istorum nugas poteramus confutare. Non erat igitur puer, nec Petrus, aut Fernandus, nec Mathildis filius, ut falso iste ait: sed Infans Alfonsus, qui extrema senectute moriens, filios reliquit ætate grandes, Alfonsum scilicet Dominum Leiria, & alios, de quibus latius in Alfonsi vita.

Quæ quidem omnia licet non tam aperte constarent, quis tam stupidi ingenii est, qui credat mulierem nobilissimam, amplæ ditionis Dominam, filiolum tenerè (ut isti fingunt) ætatis, viuis Regni hæredem, in Portugalia, terra non aliena modo, sed iam infesta, relieturam apud patrem inclementem, apud nouercam necessario iniustam, quod iure eius filii ille erat præferendus, ut legitimus, ut ætate maior, nec insidias timuisse, cum matres tutæ etiam pro filiis timere soleant? Quis præterea tam à communis sensu alienus, qui eo vesania existimet deuenisse Regem Alfonsum, ut certos liberos pro incertis, nec dum natis, & nobilissimam & opulentissimam vxorem, sui præterea amantissimam, & cum quæ sine querela vixerat, ut ex ipsis constat testamento, suorum deniq; liberorum matrem repudiasset, & se amplissimo Comitatu abdicasse, cuius titulo semper gloriatus est? Ad mortem enim usq; quo tempore iam Mathildis apud superos erat, & Comitatus ad alienos transierat, Rex Portugalæ, & Bononiæ Comes appellari voluit. Ex quo apparet, non Mathildem reliquisse, quod illius pœniteret, aut tæderet, sed quod ei liberos per ætatem parere non poterat, nec Regni hæredem haberet. Et magis fecisse quod filios, quos non suscepserat optaret, quam quod iam susceptos odisset.

Quod si Mathildis pertæsus esset, & aliam voluisset superinducere, quid innocentes liberi commeruerant, ut à patre etiam repudiaretur? Amor enim vxoris poterat alio amo- 40 re vinciri, & in odium verti: at non filiorum, qui natura insitus est. Quis enim (ut Diui Pauli verbis utar) carnem suam odio habet? Ius namque naturale, cuius peritia bruta etiam censentur, liberos procreare, procreatios diligere, & tueri docet. Quare non præsumendum est, Alfonsum Regis filium, & in susceptam prolem indulgentissimum (ut de eo traditur) liberos cum uxore repudiasset, & naturalem affectum etiam cum brutis communem exuisset.

IN DIONYSII ELOGIO.

CIVIS ex partu Dionysio exoritur Sibylla, Ducis de Lancastro coniunx.

50

CENSURA XXVIII.

HVNc errorem, quem sub dubio reliquit Rosierius Gallus scriptor, hic noster constanter affirms, & impudenter suo more, ut qui alieni operis mauult esse corruptor, quam transcriptor. Dionysius enim Sibyllam non habuit filiam, nec aliam legitime natam, præter Constantiam Castellæ Reginam, ut ex annalibus Regni, & monumentis antiquis constat.

SUSCEPIT illegitimum Petrum, cui nupsit Blanca Petri Ioannis Domini de Portalegre filia.

CENSURA XXIX.

Errat & in hoc. Petrus enim Ioannes Dominus erat Portelli: non Portalegrii. Portellum namq; oppidum est Ducatus Brachantia, Eborensis dicēcēos: Portalegrium autem ciuitas nobilis & Episcopalis, caput Comitatus, cui nunc præfet Ioannes à Sylua Regis maximus Oeconomus.

INSTITVIT *Dionysius suo tempore religiones militum scilicet, Sancti Iacobi, & militum Cisterciensium de Auis.*

CENSURA XXX.

Infelicissima memoria est iste author præditus, seu maus perditus, qui toties sibi contradicit. Supra enim in elogio Sancti Senioris, ipsius tempore, hos ordines militarium institutos dicit, h̄ic autem tempore Dionysii, & vtrobiq; errat. Ordo enim Cisterciensis militia, quæ postea in Auisum translata est, ab Alfonso I. Rege cœpit. Sancti vero Iacobi militia instituta est à Sancto II. A Dionysio itaq; hi ordines non instituti, sed eius opera, ordo Diui Iacobi exemptus à iurisdictione Magistri Valensis: Cisterciensis vero, id est, Auisensis, à Magistro Calatravensi Regni Castellæ.

ELISABETH *Dionysii coniunx conuentum Sanctæ Clarae in ciuitate Conimbricensi extruxit, cuius ingressum sibi, cum Domina Isabella de Corduba eius consanguinea imponere grauata non est.*

CENSURA XXXI.

REGINA Diua Isabella Dionysii coniunx monasterio se non authorauit. Extra cœnobium enim sibi visa est, tam familiam alendo, in qua plurimæ erant virgines & viduae nobiles, moribus & vita selectissimæ, quam alia pietatis opera exercendo, maiorem apud Deum gratiam inire. Ea enim erat eius vitæ institutio, & mundani fastus contemptus, ut magis in cælo quam in terris conuersari videretur, & ibi esse monasterium arctissimæ religionis, vbi ipsa commoraretur. Ut vero cum virginibus sacris assidue esset, iuxta Diuę Clæræ celebre illud Conimbricense monasterium ædes sibi construxit, & ibi hospitale simul. Inde ad monachas frequenter ibat, & ex iis aliquot domi semper habebat, cum quibus preces recitabat. Deniq; extra monasterii claustra habitabat: & Estremotii obiit anno M. CCC. 30 XXV. dum in Castellam iret, pacis conciliandæ gratia, inter filium Alfonsum III. Portugalæ Regem, & nepotem Alfonsum XI. Castellæ non animis solum sed armis dissidentes. Isabella autem, quæ prima Abbatissa eius parthenonis fuit, non à Corduba, sed à Cardona dicta est. Erat enim neptis ex sorore illegitima ipsius Reginæ, quæ Raymundo à Cardona Aragonensi primæ nobilitatis viro nupserat. Quid autem Aragoniæ Domui commune cum Corduba.

IN ALPHONSI III. ELOGIO.

ALFONSUS III. cognomento Brauo Dionysii filius, matrimonii vinculo, Constantie Fernandi III. Regis & Constantiae, Dionysii patris sororis filia, copulatus est.

CENSURA XXXII.

Lippis & tonsoribus apud nos notum est, Alfonsum hunc III. Portugalæ Regem uxorem duxisse Beatricem, filiam Regis Sancti Castellæ, cognomento Ferocis, & Reginæ Mariae, sororem illius Fernandi, cuius hic dicit fuisse filiam, ut ex annalibus & ipsorum sepulturis, quæ in summo ciuitatis Olisiponensis templo sunt, legenti statim constabit. Noster autem hic historicus, ut est diligens veritatis indagator, omisis fontibus Portugalæ & Castellæ, vnde hoc haurire debuerat, Wolfgangum Lazio hominem exterum, de Lusitanorum rebus Lusitanus consuluit, de cuius lacunis hanc veritatem hausit.

Ex qua orti sunt Alfonsus & Ioannes, quos in ipso vite lumine cunis mors abripuit, Petrus successor, Maria Alfonsi XI. Castelle Regis coniunx, & Leonora Petri II. Aragoniæ Regis uxor.

CENSURA XXXIII.

Delirat etiam hic Petrus enim II. Aragonensem Rex præcessit hanc Leonoram Alfonsi III. Portugalæ Regis filiam centum annis, & eo amplius. Petrus autem III. eius Leonoræ proauus fuit. Petro igitur III. nupsit, qui Crudelis vocatus est.

ANNO M. CCC. XL. Rex Benamarin, Rex Granata, & Rex Marrochiorum, cum duobus aliis Regibus, ciuitatem Tarifam in Regno Castelle obſidione cinxerunt.

CENSU-

CENSURA XXXIV.

Soñiat hic noster stemmatographus, dum vnum hominem in duos partitum. Ait enim Salium esse Regem Abenamarin, alium vero Marrochiorum, cum vnuſ & idem fuerit Haliboacen Rex Marrochiorum, & Rex Abenmarin, vt ex annalibus constat, tam Castellæ, quam Portugaliæ. Sarracenorum enim, qui in Africa sunt dominati, dux fure factioſes, ſeu familiæ, altera Almohadum, altera Marinorum, quæ vſque ad ortum Seriphiorum nostri temporis viguit. Hinc ea pars Africæ, qua Marinii ſunt potiti, Regnum Abenamarin vocatur. Huius familiæ erat Sala ille Aben Sala, à quo Ioannes I. Portugalie Rex Septam vindicauit. Huius etiam erant Fessenses Reges, quos hac tempeſtate Seriphii expulerunt, & Mulei Buaffon Belidis Rex, quem nos Ioannis III. tempore Oliſpone vidimus, ab eo ſuppetias petentem, ad vindicandam à Seriphis Fefſense Regnum. Vtigitur Rex Castellæ, & Rex Portugalie vnuſ PHILIPPVS eſt, ita Rex Marrochiorum, & Rex Abenamarin, vnuſ erat Hali Boacen.

CIVIS obsidionis ſoluenda gratia, Alfonsus XI. tunc temporis in Eborenſem ciuitatem, ad auxilarem Alfoniſi ſoceri ſui ſinum confugit.

CENSURA XXXV.

HOC etiam falſum eſt. Alfonsus quippe Castellæ Rex, vt ſciebat infenſum ſibi eſſe ſocerum Alfonsum, non ipſe Eboram venit, ſed vxorem Mariam Eboram ad patrem misit, quæ illius animum placaret, & ab eo auxilium peteret. Alfonsus vero gener in Iuris mœnia Portugalie oppidum in Regnorum conſinio, ab Ebora longe diſtans, venit ad ſoceros, iisque ſalutatis, in Castellam reuertitur.

QVI primo quidem nullam implorationi locum reliquit, poſt modum vero Mariae filie precibus cedere compulſus, in oppido Geromenæ ſuppetiales copias praefitit.

CENSURA XXXVI.

HOC etiam eſt falſum, & contra historiæ fidem, Regiarumq; personarum decuſ. Marrochiorum enim Imperator Hali Boacen, communis omnium Hispaniæ Regum hoſtis, collectis ex tota Africa, & ab ipſis Egypti conſinibus, innumerabilibus copiis, quibus Hispaniarum imperium ſperabat recuperatum iri, per fretum Herculeum exercitū traiſens, Tarifam obſedit. Quare Alfonsus, audita filiæ & generi poſtulatione, procerum conſilium non admittens, qui illi iter diſſuadebant, nulla interpoſita mora, in Castellam magnis itineribus cum filia contendit, auxiliaresque copiae illum ſecutæ ſunt, quibus famigeratissimo prælio illi interfuit, quo Regem Granatæ vicit atq; fugauit. Aliter enim inciui le fuiffet, & contra Regiæ maiestatis decuſ, venienti ad ſua tecta Regi potentissimo, genero, & nepoti ex ſorore, vicino, adde & Christiano, pro defenſione Hispaniæ, à fidei hostibus opem poſcenti, diſſicilem ſe præbuſſe. Petenti itaq; auxilium pro re tam pia, non auxilium modo, ſed & caput ſuum vltro obtulit.

CONSCRIPTO itaq; in Portugalia numeroſo exercitu, ad Tarifam ſe contulit.

CENSURA XXXVII.

HIC etiam falſo narrat. Rex namq; cum familiaribus ſuis tantum, Castellam petiuit, nullo collecto milite: illud ſuis memorans: Lufitanorum peculiare eſſe, ſequi ſuum Regem, quo quo tendat: ideo non dubitare, quin officium ſolitum erga ſe præſtituri eſſent. Nec frustratus ſua ſpeciſt. Secuti enim ſunt eum plures ſua ſponte, quam quos præſens ipſe colligere ſtipendiis poſſet.

Et quing, Sarracenorum Reges prælio laceſſit, eosq; Stygias detruſit ad vndas.

CENSURA XXXVIII.

Nhoc etiam nugatur iſte noster historicus. Hali Boacen enim Marrochiorum Rex & Aben Hamet Iuseph Rex Granatæ duos formarunt exercitus: diuersiq; locis caſtramenti ſunt. Christiani autem Reges ita conuenere, vt Rex Castellæ cum Rege Marrochiorum, Portugalie vero cum Rege Granatæ conſigerent. Parta autem victoria à Christians, & ingenti ædita strage, Reges Sarracenorum incolumes mansere. Paucis enim interiectis mensibus, ad longiſſimam illam, & memorabilem Aliezirę obſidionem cum immorabili exercitu rediere, ex qua tandem vieti iterum diſceſſere, expugnata vrbe ab Alfоne Castellæ Rege. Non eos Reges igitur Portugalie Rex Alfonsus Stygias detruſit ad vndas, vt noster hic ſemipoeta canit.

TANTA hic hostium strages est edita, ut quadringentis quinquaginta Sarracenorum millibus gladio transfixis, vix tantæ cladis nuncius superfuerit.

CENSVRA XXXIX.

NObilissimum etiam hoc mendacium est. Ex annalibus Castellanorum unde Portu-galizæ historiographus accepit, non constat de numero. Aiant namq; secundum vul-gifamam ducenta Sarracenorum millia fuisse desiderata, Genuensem vero narrasse, numerum eorum, qui fretum traiecerunt, fuisse quadringenta millia, hoc est tam mortuo-rum, quam captiuorum vtriusq; sexus & ætatis: quod verisimile non est. Certum vero est, eo animo plerosq; ex Sarracenis venisse cum vxoribus, & liberis. & tota familia, ut Hispaniam incoarent. Credebant enim, eam recuperandam, & omnes extinctum iri Christianos. Vnde si fœminas, pueros, senes, captiuos, & eos, qui ad suos rediere incolumes, excipiassent, etiā si Genuensis vera narraret, non poterant transadigi gladiis, quadringenta millia Sarracenorum. Verum tamen est, in tanta multitudine promiscua hominum, sexus omnis, & ætatis, qui ex variis prouinciis, & diuersis itineribus ad mare descenderunt, non potuissent illos in numeros referri, nec eorum certum numerum sciri: vt ex lapide marmoreo con-stat, quem Eborenses eo tempore, parieti summi templi, in memoriam eius victoriæ patrio sermone affixerunt, quod centum equites, & mille pedites sui in ea pugna strenue dimi-cassent. Verba autem hic inserere libuit, tum quod omnis mihi de patria commemoratio iucundissima est, tum quod optimum eius victoriæ præbeat testimonium, quæ Latine ver-sa ita habent.

ERA M. CCC. LXXXVIII. Rex Abenamarin Dominus Transmarinus fidens sibi & sua magna potentia, mare traiecit cum Forra filia Regis Tunetis eius legitima uxore, ut Christianos persequeretur, & extingueret. Obsedit Tarifam, & tanta fuerunt eius copie, ut astimari non potuerint. Quarum certitudo cum Alfonso Regi Castellæ constare non posset, cœpit timere, & ad Regem Alfonsum Portugalæ sacerorum suum venit auxilium petiturus. Illi autem placuit, & corpore suo, & copiis cum inuare. Et nulla facta mora, contendit in Castellæ Regnum, suis inbens, ut eum sequerentur. Ex Ebora duxit centum equites, & mille pedites, quorum antesignanus fuit Consalus Stephanus Carbonarius. Certatum est cum Sarracenis, & Rex Portugalæ congressus est cum Granatæ Rege, Castellæ autem Rex cum Abenamarin. Beneficio Dei, nemo ex Sarracenis retrouersus est, & tot occubuere eo pre-lio, vt numerari non potuerint. Rex Abenamarin & Rex Granatæ fugam arripuerunt. In castris Abenamarin magna vis auri & argenti inuenta, qua Regi Castellæ cessit. Perierunt ibi Regis Hali Boacen uxoris, & alia nobilissime fœmina, & pueri innumeri. Capti sunt filius unus, & neptis una Abenamarin, & nepos unus ex fratre. Sit Dominus benedictus pro tanto beneficio, quantum in Christianos contulit.. Amen.

Ex hoc igitur lapide constat, nec Alfonsum Regem preces Regis Castellæ respuisse, nec numerum Sarracenorum sciri potuisse, & Regem Marrochiorum & Abenamarin esse eundem Hali Boacen.

CENSVRA XL

Falsum etiam est dicere, tantæ cladis non superfuisse nuncium. Ut enim ex annalibus Castellanorum & nostris constat, tot ex Sarracenis manserunt incolumes, vt cum ad suos redirent xii. triremes, xv. consumpsérint dies, in illis per fretum Herculeum trans-portandis.

IN PETRI ELOGIO.

PETRVS I. cognomento Iustitiarius, primo coniugii i thalamo, sibi iunxit Constantiam Emma-nuel, Alfonsi XI. Regis Castellæ ex filio Petro, neptem.

CENSVRA XLI.

His paucis verbis multa insunt deliria. Fuit quippe Constantia filia magni illius Ioannis Emmanuelis, filii Infantis Emmanuelis, qui Fernandum III. Castellæ Regem patrem habuit. Ille autem ex Constantia filia Iacobi Aragoniæ Regis, & Blancæ Caroli Regis Neapolitani fœlia, sustulit hanc Constantiam: quæ cum Alfonso XI. Castellæ Rege, cuius neptem hic dicit fuisse, sponsalia contraxit. Postea vero renunciatis ab Alfonso sponsalibus, Petro huic Lusitano nupsit, inuito Alfonso, qui eam amauerat, & persuasus à suis Mariam huius Petri sororem duxerat. cum qua non bene ei conueniebat, amoribus Leonoræ Noniæ concubinæ irretito. Indignabatur autem, quod nec posset repudiare Mariam, quam oderat, nec Constantiam ducere, quam amabat. Constantia vero neptis Alfonsi XI. ex filio Petro multos post annos, Ioanni Gando Duci Lancastrensi locata est: ex quibus nata est Catharina mater Ioannis II. Regis Castellæ.

C E N S V R A X L I I .

D Elirat, & labitur memoria. Haec enim Leonora Petri huius Portugaliæ Regis soror erat, non filia, ut superius dictum est in elegio Alfonsi III.

Ex Agnete à Castro habuit Beatricem, coniugem Sancti Cenitii de Albuquerque, Alfonsi XII. Castella & Legionis Regis filii.

C E N S V R A X L I I I .

¹⁰ H Ic etiam error est. Ultimus enim Castellæ Rex nomine Alfonsus XI. fuit. Quod si Stephani Garibaii computationem sequitur, admissa in numerum Regum Castellæ Alfonso Aragonio & Nauarro Rege, Vrrace marito, sibi contradicit in Errato censuræ XLI, qui undecimum eum nominat.

I N F E R N A N D I E L O G I O .

FERNANDVS ex Regina Leonora Tellez de Meneses, filiam extulit Beatricem, quam Ioanni I. Castelle Regi matrimonio copulauit.

C E N S V R A X L I I I I .

²⁰ FFerre filium est ad sepulturam mortuum ducere. Fernandus autem mortem obiuit, Beatrice filia incoluimus. In angustum igitur fratrem Iosephum adduximus. Aut enim malus est historicus, aut pessimus grammaticus.

RECENSETVR & illud de infantula Octimestri, quæ à cunis sese erigens, in vocem hanc erupit: Portugal Portugal por el Rei Dom. Ioano. Eiusdem generis exemplum ante electionem Antonii, in ciuitate Sanctarenensi ab infantulo, multis audientibus, & spectantibus, perhibitum est.

C E N S V R A X L V .

³⁰ Q Vanta veritate hoc nitatur miraculum, inde licet aestimare, quod nugator hic nugorum omnium nugacissimus, & qui se iis temporibus omnium testem oculatum fuisse prædicat, noluerit sua fide, sed aliena, tam impudens constare mendacium. Cum vero nulla res sit, ad multitudinem in quamcumque partem mouendam, magis efficax, quam Deimetus & religio, quæ descendere ad animos (vt est apud Liuium) sine commento miraculi non potest, visitatissimum semper fuit iis, qui nouas res moliuntur, huiusmodi imposturis popularium animos venari. Simili fallacia, Numa, in Regni auspiciis, cum Nympha Ageria congressus nocturnos simulabat, vt Romanorum animos militia effrenatos legibus ac moribus componeret. Simili Sertorius commento, ceruam, quam secum habebat mansuetam, vt vocantem exaudiret, ambulantem sequeretur, Diana donum esse dicebat, multaque ex occultis per eam edoceri, vt Lusitani crederent, se non Sertorii hominis externi, sed Dei consiliis duci. Eadem yafricie Maumethes colloquium cum Angelo Gabriele fingebat, vt morbum caducum, quo laborabat, cœlaret, & ad pessimæ legis semetfaciendam, sibi multitudinem conciliaret. Affirmabat enim, se ideo in terram cadere, quod tantum Angeli splendorem ferre non posset.

Sic & Antonii asseclæ, qui eum in omnibus actionibus Ioannis I. Portugaliæ Regis vestigiis insistere volebant, ne in re aliqua ei similis non videretur, miraculo etiam eum Regem designari diuulgarunt. Audierant enim fabulam de infantula Octimestri quam Ebore, quo tempore Ioannes ille Regnum assecabat, in cunis dicebat bis acclamasce, Portugaliæ pro Rege Joanne. Quare & infantulum (sexum enim mutarunt, ne imitatio videretur) eadem de Antonio prædicto iactabant. Quod longa manu author noster in suo libro notavit, vt scilicet scirent omnes, eum hominem esse egregie stolidum, qui non sensit, id magis Antonii sui causam lœdere, quam iuuare. Colligitur enim hoc Sycophantiam fuisse, vel (si negent) Diabolum, qui pater mendacii est, ore eius infantis fuisse locutum, cuius vaticinio euentus non respondisset. Regnum enim ei delatum est, cui iure diuino, & humano, & nostratum legibus debebatur, & cui (si Lusitanorum suffragiis deferendum esset) propter eximum orthodoxæ fidei zelum, maximam potentiam, incomparabilem gubernandi peritiam, iustitiam, & liberalitatem, potiori iure deferri debuit.

N E porro eorum omnium, quæ Henrici Cardinalis & Portugaliæ Regis, Gubernatorum, & Antonii tempore contigerunt, fides abrogetur, lectorem monitum velim, ne eorum non auritum, sed occultum testem extitisse.

CENSURA XLVI.

Avidisti (vt opinor) fratet Iosephe, eum qui semel verecundiax limites transierit, opere esse gnauiter impudentem. Gloriaris enim, contra Diui Pauli sententiam, de eo quo maxime erubescere debueras, te scilicet, nec legitime certasse in agone, nec vt bonum militem militasse: sed secularibus, & omnibus omnium te implicuisse negociis. Tantum igitur tibi erat ocii ab re tua, vt ea curares, quæ ad te nihil attinerent? Dic ergo nobis sacerdos, quando preces horarias recitabas? Quando inter psallentes fratres Domino canebas? Quando rem sacram faciebas? Dic concionator Regiæ, & Theologiæ Professor, quando quod dicturus eras meditabar? Dic obsecro monache, qui à singularitate nomen sortitus es, cui carcer oppidum (vt Diuus Hieronymus ait) & solitudo paradisus videri debuit, quid agebas in foro? Quid per plateas, vias, portus, & angportus circumforaneus quærebas? Quid agebas in Gallia? Quid in Insula S. Michaelis, quam aduersus PHILIPPVM Regem tuum concitasti: eum inquam Regem, qui cum summo supplicio dignus es (qua est clementia & religione) te inter alios in bello contra patriam captum, & læsæ maiestati obnoxium, tuo sodalitio reddi iussit illæsum? Quid inquam agebas inter tubas & classica? Quid inter armatos in patriam? Quid inter bombardas & bellii tonitrua, qui vitæ tranquilliori te dicaueras? Satius profecto tibi fuisset, si cum tot res ageres, animam egisses, ne his eam flagitiis inquinares. Quid est esse Ardelionem, quid Prothea, si hoc non est? Nec acthenæ quidem & cōpedes, quibus te in carcere à tuo Præfule vincitum vidimus, quietum potuerunt reddere. Sed iis ruptis aufugisti, ne quid deesset quod ageres: & vere Prothea referres: vt de te illud Flacci videatur dictum:

Effugiet tamen bac sceleratus vincula Protheus.

Sed omissis his (Censorem enim non accusatorem agimus) testimonium tuum ad iuris libellam expendamus: vt appareat, quanta tibi fides adhibenda sit à Gallis hominibus, quibus imponere voluisti. Primum, si numero fides testimoniū constat, tu solus es, qui has nugas asseris: & vnius hominis testimonium quantumvis magni nullum est. Si testimonio fides etiam iure iurando quæritur, tu hæc non iurasti, sed finxisti. Si in teste (secundum Modestini sententiam) integritas vitæ, & mores ponderantur, tu vitæ perditissimæ homo, proditor patriæ, & publicus hostis, tui ordinis transfuga, & apostata. Qui cum in eorum religiōrum conuictu & contubernio degeres, quorum exemplo, posses innocentem atque beatam vitam transfigere, militarem istam elegisti inter remiges & carnifices Philippi Strozzi factus miles, atque gladiator. Si testis affectus suspicione carere debet, tu suspectissimus eras, qui eius viri causam defendis, & amplificas, cuius comitem & asseclam te omnes sciimus: in cuius comitatu captus es: in cuius obsequio nunc degis; quod ad eumrupto carcere rediisti: cuius gratia patrios lares, religionis institutum, & ipsum Dei numen reliquisti. Denique si in testimonio verisimilitudo rerum spectanda est (vt Iureconsulti docent) præterquam quod falsa, impossibilia, & à nemine audita nobis narras, tu homo obscurus & ignotus, nulla literatura, aut gratia commendabilis, quomodo poteras interesse procurum consiliis, Regum areanis, Principum legationibus, ordinum postulationibus, epistolis, nunciis, actibus, omnibus deniq; rebus, quæ tam diuersis locis agitantur, nisi forte Gygis annulum, aut Plutonis galeam habebas, quibus conspicuus non essem?

IN IOANNIS. I. ELOGIO.

EXCLVIS Ioanne Principe, & Dionysio, fratribus legitimis, quos mancipiū neku Ioannes Rex Castella coarctatos afferuabat.

CENSURA XLVII.

Mancipiū neku coarctantur serui, qui ideo dicuntur mancipia secundum Vartonenem, quod manu capiantur. Mancipiū vero nexus alienatio est dominii, & possessionis, & dominii traditio, secundum Boethium in Cicer. Topica. Ioannes autem Rex Castellæ Ioannem afferuari, tantisper iussit, dum de Regno Portugalæ disceptabatur, ne si ille in Portugaliam veniret, vt erat omnibus gratus & charus, ob multas animi & corporis doles, & quod pro Petri filio legitimo erat habitus, spreta Beatrice Regina, Regnum inuaderet. Falsum est autem, eum dictum fuisse Principem. Falsum etiam Dionysium in custodia fuisse: vt à quo Castellæ Rex non metuebat: quod minor ætate esset, quam Ioannes, nec populo tam chartus.

CVM

C E N S V R A X L V I I I .

F Alsum hoc est. Nullius enim sacri ordinis charactere fuit insignitus. Et Summi Pontificis diplomate solum constat, eum militia vinculo, & perpetua castitatis voto, quod Milites Auisensis ordinis eo tempore concipiebant, exolutum fuisse. Magistros autem militiarum, viros scilicet militares, nunquam ante Ioannem, nec post, sacris initiatos legimus. Mirum autem est, quanta cura impostores ii per omnia voluerint ex quare suum Antonium Ioanni Auisensi Magistro: quasi si similes in multis forent, eadem omnino de Antonio speranda, eadem pro eo agenda essent, nulla temporis, loci, aut personarum circumstantia perspecta. Ne vero illa in re dispares viderentur, quod Antonius Diaconatu fuerit iniciatus, Ioannem etiam Diaconum comminiscuntur. Ex quo fides huius boni historici constare potest, qui Diaconatum in Ioanne fingit, in Antonio cœlat, causæ suæ fauens.

IOANNI coniugaliter iuncta est Philippa Ioannis de Gaudau Ducis de Lancastro filia, qua plureius opera liberos extulit, nempe Blancam, & Alfonsum, quibus immatura mors infantiae surgentis usum ademit.

C E N S V R A X L I X .

H Ic etiam cum suis elegantias errat. Alfonsum enim primogenitus non infans, sed iam fere adolescentiæ initio, ætate scilicet x. annorum mensium 111. dierum XXIII. mortem obiit. Natus quippe Sanctarenæ anno M. CCC. XC. XXX. die Iulii, moritur anno M. CCCC. XXII. die Nouembri. Sepelitur Brachæ in summo templo, in pulcherrimo tumulo q̄neo, quem Isabella Dux Burgundiaæ eius soror, è Flandria optimè fabricatum ad fratrem honestius sepeliendum misit.

E T Petrum Ducem Conimbricæ, &c. cui desponsata est Isabella de Aragano, Ioannis Comitis de Vrgel filia:

C E N S V R A L.

E Rrat h̄c. Iacobus quippe Comes Vrgellensis ille dicebatur, non Ioannes. Notum est enim Iam pro Iacobo, non pro Ioanne dici ab Aragonensibus. Nec meminit de Iacobi Regis historia, quam ipse narrat in Commentariis, quos scripsit de vita sua, secundum Petrum Beutherum Theologum in eiusdem Iacobi vita. Est autem huiusmodi: Maria Aragoniæ Regina vxor Regis Petri cognomento Catholici, cum filium peperisset unicum, & dubia esset, quod nomen illi inderet, promisit, se illius Divi nomen imposituram, cuius cæreus inter alios eiusdem ponderis accensus minus decresceret. Oblatis igitur tot cæreis, quot sunt Apostoli, vnius cuiusque nomine singulis cæreis inscripto, cum is qui Diu Iacobo erat dicatus, minus quam cæteri absumptrus fuisset, Iaimii nomen Infantii impositum est: quod apud Aragonenses idem est, quod Iacobus. Comes autem Vrgellensis Iainius dicebatur.

E T Ioannem, qui filium Fernando nepoti suo despondit, alteramq; Isabellam Ioanni II. Castella Regi, qua Alfonsi Castellæ, qui infans vita cessit, mater fuit.

C E N S V R A L I .

I Nhoc etiam errat. Ioannes quippe obiit anno M. CCCC. XLII. Post mortem vero eius anno scilicet M. CCCC. XLVII. Petrus eius frater, qui regni clavum tenebat, Isabellam Ioanni II. Castellæ Regi, Beatricem Fernando nepoti ex fratre Eduardo Rege despondit.

Alfoncus autem, qui ex Ioanne Castellæ Rege & Isabella natus est, non infans decepit, vt iste ait: sed ætate XI. annorum iam Rex Castellæ electus, non sine scelere & magna perfidia procerum quorundam, viuente fratre Henrico Rege, & vidente.

FERNANDVM etiam ordinis militum de Auis Magistrum, inculpat a probitatis virum, cui ob vi- ta sanctimoniam, in beatorum classe sedes instituta est.

C E N S V R A L I I .

F ernandus hic Infans Portugaliæ, vitæ puritate clarus, & veræ religionis exemplar habitus est: & quem pie credendum est, frui beatorum felicitate. Inter Sanctos autem, vt hic ait, non est relatus.

H ENR I C V M D u c e m de V i s a o .

T omus II.

Mmmmm 3

Praepostero nascendi ordine ponit Henricum, qui ætate maior erat, quam Ioannes, & Fernandus fratres. Natus est enim Henricus anno M C C C X C I I I . Ioannes anno M C C C C . Fernandus vero anno M C C C C I I . Vnde cum Rex Ioannes pater in Africam traiiceret eum filiis Eduardo, Petro, & Henrico, Ioannes & Fernandus pueri, & armis non dum vtiles, domi manserunt, & inde calamitas Fernandi ortum habuit. Cum enim vir factus fratum gloriae inuidisset, qui in Septemsi expugnatione magnum fortitudinis specimen exhibuisserent, & equestrem ordinem adepti essent, ne ipse degenerare videretur, Regi Eduardo fratri funestam illam in Tingim Mauritaniæ Metropolim expeditionem persuasit, ut ex eius obsidione posset aliquod decus reportare. In quo, fortunæ ini-¹⁰quitate, res tam male cessit, ut fusi nostri se se dederint ea cōditione, ut Septā, quā paulo ante bello ceperant, cum omnibus captiuis Sarracenis restituerent. Fernādus autē ipse obses datus est, donec restitutio fieret. Quæ conditio cum Regni proceribus non placuisset, propter maximum periculū, quod non Hispaniæ modo, sed vniuersæ Christianæ Reipub. ex ea restitutione imminebat, insons Princeps crudelissimè à Sarracenis tractabatur, quo celerius Septam traderent: donec septem annis transactis, labore & mœrore consumptus in captiuitate perit, magno patientiæ Christianæ exemplo.

PHILIPPAM Erici Daniae Regis uxorem.

PERTÆSVS hic scriptorū nostratium, de rebus nostris consuluit Yuolfgangum Laziū, vt peritiorem: & ita cæcus cæcum duxit in istas fouēas. Et vt est perficitæ frontis, & audax, quod ille non affirmat, pro comperto asserit. Ait enim Lazio, esse nonnullos, qui dicunt, filiam fuisse huic Regi Ioanni nomine Philippam Erico Danorum Regi nuptam. In quo illos falli, non est dubium. Vnde autem hic error habuerit originem, diuinaci coniectura mihi videor asseditus. Audierant isti, Regem Daciæ, fortasse Ericum nomine, duxisse vxorem filiam Regis Portugaliæ. Scimus enim Leonoram filiam Regis Alfonsi II. nupsisse Regi Daciæ, & Leonoram filiam Infantis Fernandi Domini Serpæ, & ipsius Alfonsi neptem primogenito Daciæ. Legerunt etiam apud Æneam Sylvium in historia Boemica, cap. xluij Ericum Regem Daciæ, & simul Petrum Infantem Portu-³⁰galia iuuuisse Sigismundum Imperatorem, aduersus fidei hostes. Cum igitur audirent, Petrum & Regem Daciæ cognatos esse, quod verbum apud barbaros tam comprehen-dit affines, quam sanguine coniunctos, crediderunt, Petrum alicuius Reginæ Daciæ visenda causa, quod soror esset, tam remota loca adiisse: nescientes illum totum fere circumiisse orbem, vt multorum mores & vrbes videret: & in omnium fere eius temporis Principum magnorum aulis fuisse.

IOANNEM Henrici III. Regis Castellæ coniugem tertiam.

ET hic de stercore Lazii hanc collegit margaritam: & multis modis nugatur. Nam præterquam quod Ioannes I. Portugaliæ Rex filiam ex Philippa coniuge nullam habuit, præter Blancam, quæ Infans mortua est, & Isabellam Ducem Burgundiæ, Henricus III. Castellæ Rex tertiam vxorem non duxit: vt qui vnicam habuit Catharinam filiam Ioannis Ducis Lancastrensis, & Constantiæ filiæ Petri Crudelis Castellæ Regis, Philippæ Portugaliæ Reginæ sororem consanguineam: quæ superstes fuit marito. Ioanna vero, quæ Henrico III. Castellæ Reginu[m]psit, filia fuit Regis Eduardi, atque huius Ioannis neptis.

LEONORAM, quæ nupsit Petro III. Aragonia Regi.

ECCE aliud delirium mutuo sumptum ab Wolfgangio Lazio. Ioannes enim filiam Leonoram non habuit, vt superius diximus. Nec si habuisset, eam Petro Aragonia Regi III. locare poterat. Anno enim M C C L X X X V I I . quo Rex Ioannes vxorem duxit Philippam, quam vnicam habuit, Petrus ille III. Aragonia, cum iam esset annorum LXXII, fato concessit. Duxit vero ille Petrus quatuor vxores, quarū prima fuit Maria filia Philippi Nauarra: altera Leonora Regis Alfonsi III. Portugaliæ filia, huius Regis Ioannis amita: tertia Leonora Federici Regis Siciliæ: quarta Sibylla humili loco na-
ta, quam ultima iam ætate habuit.

HABVIT *Alfonsus Brachantie Dux ex Beatrice coniuge filios duos, primum scilicet Iacocum Comitem de Ourem, &c.*

C E N S V R A . L V I I .

ERAT & in hoc. Alfonsus quippe non Iacobus fuit: qui viuo patre decepit. Hic ex Comite Aurenenſi factus Valentia Marchio, quo tempore deduxit Leonoram Regis Alfonsi sororem nouam nuptam, in Italiam ad Federicum III. Imperatorem. Qui vero primus Iacobus, seu Iaimius vocatus est, pater fuit Theodosii Senioris, proauus autem Theodosii Junioris, qui nunc Ducatui praest.

HVIVS *Alfonsi pronepos, & ex affeheres est Franciscus Portugalie Comestabilis, & Comes de Vimioso.*

C E N S V R A . L V I I I .

HIC tot sunt mendacia quot verba. Primum quo ad gradum consanguinitatis. Quod, 20 etsi parum referebat, quanto gradu distaret Franciscus ab Alfonso, ut tamē inde etiam astimetur, quali verecundia & peritia hic egregius author sit, referre libuit. Franciscus ergo Comes Vimiosensis, de quo iste agit, nō pronepos, sed atnepos fuit Alfonsi I. Brachantie Ducis, hoc est nepos pronepotis. Huius enim Francisci pater fuit Alfonsus Comes, qui cum Sebastiano Rege moritur in clade illa Africana, auus Comes Franciscus Senior, proauus Alfonsus Episcopus Eborenſis, abauus Alfonsus Marchio Valentia, atauus Dux Alfonsus. Descendendo igitur, huius Alfonsi Ducis Brachantie filius fuit Alfonsus Marchio Valentia, nepos Alfonsus Episcopus Eborenſis, pronepos Franciscus Senior, abne- pos Alfonsus Comes, atnepos hic Franciscus Junior, de quo agimus.

C E N S V R A . L I X .

QUOD vero ait, eum fuisse ex affeheredem Alfonsi atavui, falsum est. Alfonsus quippe Valentia Marchio sine liberis legitimis cælebs decepit, viuo patre, ad quem illius Dynastia, & haereditas delata est. A patre autem ad Fernandum secundogenitum Ducem Brachantie, & ab eo continua successione ad hunc Theodosium, qui nunc Ducatu potitur. Alfonsus autem, qui Eborenſis fuit Episcopus, Alfonsi Marchionis fuit filius natura- lis, ex muliere alioqui primæ nobilitatis, e Sousarum scilicet clarissima familia, quæ Alfonsum Marchionem sibi maritum futurum credidit: ex quo Franciscus primus Comes Vimiosensis vir prudentissimus natus est, huius Francisci auus, qui in insula Sancti Michaelis nauali prælio occubuit.

C E N S V R A . L X .

QUOD ait, Fraciscum Comitem Vimiosensem Comestabilem fuisse Portugalie, impo- stura mera est. Comestabilis enim est Theodosius Brachantie Dux. Ad eum autem à Nonio Aluaro Pereira primo Comestibili ea dignitas hoc ordine peruenit. A Nonio 40 Aluaro ad Infantem Ioannem Ioannis I. Regis filium. A Ioanne ad filium Iacobum. A Iacobo ad Petrum patruellem filium Petri Infantis, qui per ea tempora à Cathalanis Rex Aragonie electus est. Ab eo ad Fernandum patruellem filium Eduardi Regis. A Fernando ad Ioannem Maioris Marchionem Fernandi I. Ducis Brachantie filium. A Ioanne ad Emanuelem Fernandi filium. Ab Emmanuele, cum in Regno successit, ad Al- fonsum nothum nepotem ex fratre Iacobo Duce Viseensi. Ab Alfonso ad Ludouicū In- fantem Emmanuelis Regis filium. A Ludouico ad Eduardum nepotem ex fratre Eduar- do. Ab Eduardo ad Ioanem Brachantie Ducem. Ab eo ad filium Theodosium, qui nunc Ducem agit.

EO in prælio quamplurimi Principes, Castellani, proceres occubuerunt: Portugalenses vero pauci. 50 Primum ex Castellani hi perhibentur, &c. Thomas Ramires de Areualo. &c.

C E N S V R A . L X I .

QVI in memorabili eo prælio ad Aliubarotam, ex Castellanorum nobilitate desiderati sunt, digni profecto glorioſa fuere recordatione, quod ante regis sui oculos, & pro defensione Regni, quod ad se pertinere arbitrabantur, pugnando occubuere. Inter eos fuit Ioannes Ramirus ab Arellano Dominus Camerorum, vir sanguinis nobilitate, & reb. gestis per totam Hispaniam celebris, in Nauarra præsertim, vbi præclara de eo memorantur. Hunc corruptor iste Thomam Ramirem ab Areualo vocat, clarissimi scilicet viri memo- riam delens, & honestissimam mortem cælans.

Ex Portugalia Regno, mortuorum albo recensentur Petrus Alfonsum Pereira Magister ordinis de Calatrava.

CENSURA LXII.

ALuarus Consaluuus Pereira, Hospitalis Hierosolymitani Prior, pater Nonii Aluari Pereiræ Comestabilis xxxii filios dicitur habuisse ex diuersis concubinis, quod vxorem ex ordinis instituto ducere non poterat: qui ferè omnes patronymicum nomen Aluari habuerunt. Inter eos fuit Petrus Aluarus, qui ætate præcedebat omnes ex Irene Gonçalua natos, & ex Priore Hospitalis in Portugalia, Calatravensis ordinis Magister à Ioanne Castellæ Rege institutus est, cuius partes fuerat secutus, & in eo prælio ad Aliubarotam casus. Huius nomen etiam hic corruptit, & Petrum Alfonsum vocat contra Portugalia, Castellæ, & militiæ Calatravensis annales.

SEPTAM ciuitatem Africa antiquissimam in ditionem Lusitanorum die XIV. Augusti rededit.

CENSURA LXIII.

Errat in hoc. xxii. enim die Augusti Septa capta est, non xiii. Ita constat ex annalibus & antiquis monumentis. Memoriaz enim proditionis est, quid Rex Ioannes singulis egredit diebus, a xxv. die Iulii quo ex Olisipone soluit, ad eum Augusti xxii. diem, quo ea vrbs expugnata est.

IN EDVARDI ELOGIO.

EDWARDVS regnauit annos V. & illi nupsit Leonora Fernandi I. Aragonie Regis & Sicliae, Ioannusq; Nauarra soror, & Alfonsi cognomento Magni.

CENSURA LXIV.

Ignorat quo patre fuerint Leonora Portugalie Regina, & Reges eius fratres: & dupl. citer errat. Fernandi enim sororem eam Leonoram esse dicit, cum tamen illa filia fuerit Fernandi cognomento Honesti, seu Antequerensis, ob debellatam ab eo ciuitatem Antequeram, eius scilicet, qui Castellæ fuit Infans, Ioannis I. Castellæ Regis filius secundogenitus, frater vero Henrici III. Deinde errat, quod inter Aragonie Infantes numerat Fernandum, cum ii fuerint Alfonsus Rex Aragonensis & Neapolitanus, quem vocant Magnanimum & Sapientem, Ioannes qui Nauarræ fuit Rex, postea Aragonie, Fernandi Catholici pater, Henricus Magister militiae S. Iacobi, Sanctius Magister militiae Alcantarenis, Petrus, qui in Italia bombardæ iictu perii, Maria Ioannis II. Castellæ Regis vxor, Leonorahuius Eduardi Portugalie Regis coniunx.

IN IOANNIS II. ELOGIO.

In matrimonium sumpfit Ioannes II. Leonoram Infantis Fernandi patrui filiam, que peperit 40 Alfonsum Principem, cui Isabella Fernandi V. Regis Aragonie filia obtigit.

CENSURA LXV.

Non bene numerat Reges Aragonie. Fernandus enim ille, qui Catholicus primus omnium, Summi Pontificis, & Patrum decreto ob Granatam debellatam appellatus est, secundus fuit Aragonie Regum eius nominis, nepos scilicet eius Fernandi, qui ex Castellæ Infante, & Duce Penafielensi Rex electus est, & eius nominis fuit primus. Respectu vero Castellæ Fernandus ille Catholicus Quintus fuit, quemadmodum hodie Augustissimus Rex noster PHILIPPVS respectu Aragonie & Portugalie Primus est, ratione vero Castellæ Secundus, & Quartus Nauarræ. Et in tota Hispania cuius dominium nunc adeptus est, Primus dicetur. Sic & Carolus Cæsar eius pater, qui Quintus erat in Germania, Quartus erat in Nauarra, Primus in Aragonia & Castella. Ita autem simpliciter vocat Fernandum Aragonie Regem quasi non fuerit idem Castellæ, Legionis, Siciliæ, & multarum prouinciarum Rex.

Is in hymeneo filii sui Alfonsi, cui Isabella Fernandi III. Regis Aragonie filia prima, &c.

CENSURA LXVI.

STans pede in vno, quod modo dixit, modo negat. Supra enim dixerat, Alfonsum Principem duxisse Isabellam filiam Fernandi V. Aragonie Regis, nuc filiam Fernandi Tertiu: & utrobiq; errat, vt diximus. Nam nec Tertius, nec Quintus fuit in Aragonia.

IN EM-

IN EMMANVELIS ELOGIO.

HABVIT & Ludouicum prime strenuitatis Principem, cuius splendor alios sue etatis heroes post terga longe reliquit, &c. In quo summum virtutis & religionis specimen, tantis laudibus excelluit, ut orbis Imperio dignissimus videretur, &c. Cui matrimonio non accessit, quod (ut multi nobilissimi ac religiosi auctoritate summa digni affirmarunt, & per publicam sententiam ab Emmanuele de Almada Angrensi Episcopo, & ordinis Sancti Ioannis de Maltha indice Apostolico determinatum fuit) vxorem haberet occulte & priuatam, ex qua filiam unicum suscepit Antonium, &c.

CENSURA LXVII.

10 Vit profecto Ludoticus, non diffitemur, his virtutibus, & multo maioribus cumulatissimus. Quomodo igitur nobis persuadere conaris, Principem ingentis spiritus, & cuicunque tempore Regnum videbatur parari, quod Ioannis fratris liberi omnes in cunctis fato cedebant, matrimonium contraxisse cum puella tam dispari loco nata, in summa orbita: & egestate constituta, ut Regina etiam si fata sinerent, futura esset? Quis tam hebes, ut credit, adolescentem Principem florentissimum, non potuisse unius puerorum pudicitiam expugnare vi, aut machinamentis aliis, quando auro, cui omnia obediunt, non posset? Concedamus eam fuisse castissimam: nec enim aliquis negat. At sub imperio matris erat, è cuius voluntate res pendebat. Quae etiam ut propositi honestissimi foret, qui poterat tot pollicitationibus, nunciis, & internunciis, & Principis cupiditati resistere? Fuit profecto Ludouicus vir magnanimus, & fortis, & qui tam impari coniugio Regium sanguinem non erat dedecoratus. Scio tamen non defuturos, qui nobis illud occinant poetarum, amorem omnia vincere. Vincit, fatemur, iuuenes, ut ament, ut cupiditate flagrant. Quotusquisque enim iuuenum sine amore est? Sed non omnes cogit, ut se in dedecus præcipit. Alios verecundia, & imparitas fortunæ cohibet, alios parentum reverentia, alios amplitudo dignitatis, alios dotum tenuitas, & paupertatis metus. Plenæ sunt Comœdiæ Pamphilorum & Cliniarum, qui cum vehementer amarent, non amatas ducunt uxores, nisi postquam ciues Atticas esse comperierint. Et Ludouicus Princeps tam elati spiritus, & verecundus, eam duxisset uxorem, cuius amore impune posset potiri, si vellet? Nec verecundus fratrem Regem, sororem Augustam, sororium Imperatorem, cognatos & affines Reges omnes Christiani orbis? Non denique totum paternum Regnum: non domesticos viros nobilissimos, qui tam dispari dominæ erant seruituri?

Nec profecto tam insolitum foret Principi adolescenti, unam ad stuprum puellam rapuisse, quam toto orbe cantari: Ludouicum Regis Emmanuelis secundogenitum, cuius ad Regni fastigium nihil deerat, nisi unius hominis fatum, tam indeces iniisse coniugium. Amabat Infans Petrus Portugalæ Rex futurus Agnetem à Castro virginem pulcherriam, & sibi Regii sanguinis necessitudine coniunctam: cumque iam Fernandum hæredem Regni haberet ex Constantia uxore morte functa, ne amor in coniugium desineret, eam Lusitani crudeliter necarunt. Duxerat ante illum Sanctius II. Rex Mæti Cantabriæ Dynastæ filiam sibi sanguine propinquam. Eam tamen disparitatem, quod filia Regis non esset, tam indigne tulerunt nobiles nonnulli, ut eam è marii amplexibus extractam, in Castellam exterminauerint. Et auderet his exemplis Antonii mater, in florentissimo illo Lusitanæ Regni statu, Regis Emmanuelis secundogeniti tanta animi magnitudine, ut tu fateris, prædicti, & in quo omnium spes sit: erant, sperare nuptias? Quis tam duri oris, qui hec affirmet? Quis tam hebetis ingenii qui credat?

Quod si illa tanti animi fuit ut Ludouico in ditionem non venerit, nisi prius eam uxorem duxisset, cur ducta, quando iam radiis mariti fulgebat, & diuinæ & humanæ domus particeps erat, matrimonii non implorauit fidem, quæ coniugium tam obnoxie procurauit? Cur in monasterium sine querela villa se detрудi consensit? Cur se religionis voto authorauit? Si ea per matrimonium ad Infantis dignitatem euecta est, cur eius matrem, scrum iam scilicet, sorores, & propinquos, quos iam Ludouicus habebat affines, in pristina humilitate & tenuitate degere Princeps alioquin magnanimus, & liberalis passus est? Eo profecto pudore fuit Ludouicus, ut (si quis de rebus humanis vita functis sensus adest) nulla maiori potuerit affici iniuria, quam qua Antonius, & eius assecræ eum affecere. Eo etiam pietatis studio & religionis, ut si eam mulierem sibi matrimonio copulasset, nunc quam ab ea esset discessurus.

Quod si hic, quem tu tam piuum fateris, ut quamuis in corpore maneret, animo tamen in celo plerumq; versaretur, tam ab hac pietate, honoris & existimationis causa, deuiauit, cur saltē moriens rem gestam non declarauit? Solenne est morientibus, ex illegitimis

filiis legitimos facere, & ex concubinis uxores. Quis igitur credat, eum è conuerso, toties in testamento nuncupasse Antonium filium naturalem, qui legitimus esset: & eam velle pro concubina haberi, quæ iustis nuptiis sibi esset copulata? Scimus enim omnes, eum Antonium maxime dilexisse, cui moriens non credendus erat, contra commune parentum votum, damni causam dedisse, vt falsa naturalis filii appellatione, eius castra & regalia bona ad fiscum deuoluerentur, quando sine liberis legitimis decedebat. Furtum profecto erat, & falsi crimen, celare iustas nuptias, & filium hereditatem priuare, contra iuris naturalis rationem, quæ veluti lex quædam tacita, parentum hereditatem liberis addicit. At nemo est qui nesciat religionem, & pietatem Ludouici, & conscientiam exactum examen, vt iam ad superstitionem nonnullis tendere videretur. Non igitur credendum est, eum uxorem habuisse, nec si haberet id celaturum etiam post mortem, in suæ animæ perniciem, & in Antonii dignitatis & utilitatis detrimentum.

Nullum autem huius rei certius & magis evidens testimonium est, quam quod Antonius, vir animi vehementis, & plus nimio audacis, viuentibus Ioanne & Sebastiano Regibus, ad legitimam statum nunquam proclamauit, vt patris hereditatem & feuda adipisceretur. Tentauit autem id, cum Henricum Regem orbum, morbo & senio imbecillum, & pene confectum, nec ob rigorem ingenii & vitam seueriorem, laxioris vitae hominibus satis charum, & plebem Regis iuuenis desiderio solicitam atque modestam vidit, & multos ex plebis fece ad res nouas moliendas commotes: vt fieri solet quando Res publica vacua aut deserta esse videtur. Cui profecto gloriosus erat, eius Principis naturalem esse filium, qui cum magna laude, & decore segescit, vt filium tanti Regis decebat, quam legitimum eius, qui tam abiecti fuisse animi, vt pro una explenda libidine, tam humili coniugio se & suos dedecorasset.

Quam verum igitur fuerit illud matrimonium, sententia toti orbi nota, ostensum est. Cum enim pendenti iam causa successionis huius Regni inter competitores Principes, Antonius clanculum nemine ex iis citato, quos ea res rangebat, per equitem sui ordinis, hoc est Hospitalensis, domesticum suum, nulla eiad id mandata iurisdictione, se legitimam pronuntiari fecisset, & iustas fuisse Ludouici Infantis cum eius matre nuptias, certus de ea re Summus Pontifex, motu proprio, Henrico Regi causam discutiendā, & decidendam commisit. Fidebat enim Regi, Cardinali, & ipsius Antonii patruo. Hic (ne longum faciam) assumptis assessoribus viris non solum nobilitate, sed etiam eruditione, & morum integritate clarissimis, Archiepiscopo Olisponensi, Episcopis Leiriensi, Mirandensi, & olim Viseensi nunc aulicorum Sacerdotum Antistite, & quinque Regis consiliariis iurisprudentissimis, Antonio citato, & auditio, & sua iura alleganti, & iis omnibus, ad quos res ea pertinebat, matrimonium inter Antonii parentes non fuisse, & ipsum illegitime natum protulere. Hæc igitur sententia rite & recte à tot competentibus iudicibus, tantæque authoritatis publice lata, quomodo te frater Iosephe potuit latere, quite te omnium rerum, quæ Hærici & Antonii tempore gesta sunt, non auritū modo, sed oculatum testem paulo ante affirmaueras? Eo igitur te perduximus, vt aut mendax sis iudicandus, qui ea tam publica de patrone tuo oculatissimus omnium testis non noueris, aut falsi & stellionatus criminis damnandus, qui hæc celasti, & falsa pro veris nobis obtrusisti.

LUDOVICI subdio, Carolus V. ciuitatem Tunetum, quod est Regni caput, & secundum historicos antiqua Carthago, à Mauris suscepit.

CENSURA LXVIII.

TVnetum & Carthago diuersæ sunt urbes, nec ullus historicus est tam imperitus, qui vnam & eamdem ciuitatem esse affirmet. Tunetū autem à Carthaginem duodecim milia passuum distabat, & fuit post deletam Carthaginem conditum. Hodie est caput Lybici Regni. Carthaginis solum apparent ruine, quæ tanta magnitudine, opulentia, ædificiorum pulchritudine, & magnorum virorum vertute fuit, vt Romæ magna fuerit æmula. De qua satius duxit Sallustius tacere, quam pauca dicere.

HABVIT Emanuel Catharinam, & Antonium, qui in cunabulis obierunt.

CENSURA LXIX.

MAria dicta est puella hæc, non Catharina.

EDVARDO Emanuelis filio matrimonio iuncta est Isabella, Ioannis Brachassie Ducis filia.

CENSURA LXX.

IOannem vocat, qui Iamius seu Iemetius est, cum idem sit, q. Jacobus, vt supra diximus. Cum enim Diuī Iacobi fanum à multis diuersarum nationum hominibus visitetur, varie vocant,

vocant, ut cuiusq; natio est. Alii enim Iacobum, alii Iaquem, alii Iacodem: nonnulli Di-dacum, nunc Diam, Diecum, Diodocum, Iodocum, Iamium, seu Iemem. Inde Hispani di-versimode efferunt, cum hæc omnia in vnum Iacob nomen tendant.

TERTIAM uxorem Emmanuel duxit Leonoram, ex qua filium unicum habuit Mariam.

CENSURA LXXI.

NON fuit vñica Maria. Peperit enim Leonora ante illam puerum, quem in gratiam Nauunculi Imperatoris, Carolum nominarunt: qui natus Eboræ XVIII. die Februarii anno M. D. XX. decessit Olisipone xv. die Aprilis, anno M. D. XXI.

IN IOANNIS. III. ELOGIO.

IOANNES III. uxorem sumpit Catharinam Caroli V. Imperatoris sororem, ex qua hos liberos habuit, Alfonsum, Catharinam, Beatricem, Emmanuelem, Philippum, Antonium, & alterum Alfonsum, Ioannem Principem.

CENSURA LXXII.

NON sat habuit historias huius Regni corrupisse, nomina etiam Principum corrum-pit & mutat: alios addit, qui in rerum natura non fuere, alios celat, ut sic veritas con-fundatur, & obscuretur. Ioannes enim duos Alfonsos non habuit, sed vnum: nec filiam vil-lam Catharinam. Hos autem sustulit mares: Alfonsum, Emmanuelem, Philippum, Diony-
sium, Ioannem, Antonium. Fœminas habuit Mariam, quam iste de industria omisit, Principem multis nominibus laudatissimam, nuptam PHILIPPO Hispaniarum Principi Caroli Imperatoris filio hæredi, & matrem vnius Infantis, quam ignorare non poterat. De ea autem siluisse, non flagitium, sed piaculum erat. Habuit etiam Ioannes ex Catharina Isabellam, & Beatricem, quæ puellæ obiere.

IN SEBASTIANI ELOGIO.

IN Africacum Rege Marrochiorum Mulei Mahamet, cui subsidio futurum conscripserat ex-30 ercitum, simulcum Mulei Maluco, qui ab eodem Mulei Mahamet Regni clauum acceperat, &c.

CENSURA LXXIII.

MVL Malucus, qui priuatam vitam agebat, nobilium defectione, Mulei Mahamet nepotem ex fratre, Regem potentissimum Regno spoliauit: nec ab eo Regni clauum accepit, ut iste ait, sed extorsit: & eum in exilium ire coegit. Acciperet autem, si Malucus il-li Regnum sponte obtulisset.

SEBASTIANVS vita sua summa totam percurrit V. die Augusti, anni M. D. LXXVIII.

CENSURA LXXIII.

TAM funesta fuit quarta illa Augusti dies Africanæ clavis, ut non hoc tempore, quo re-cens adhuc eius calamitatis memoria est, sed futuris seculis, semper dira, nefastaq; re-curret: & à Lusitanis nigro notanda lapillo. Hic autem veridicus scriptor, tam breui eam quintam fuisse diem, nobis narrat.

IN HENRICI ELOGIO.

NATVS est Henricus anno M. D. XII. die prima Februarii, qua etiam mortuus est, luna ec-lipsim patiente anno M. D. LXXX.

CENSURA LXXV.

ERror hic in horoscopo Regis Henrici, genethliacis & astronomis non parui momen-ti esset. Natum enim dicit prima die Februarii, qui ultima Ianuarii in lucem prodiit. Et mirum certe est, qui se superius iactauerat, omnium quæ Henrici tempore acciderunt, fuisse testem oculatum, fugisse eum rem tam notabilem, quanta est vnius Regis sine libe-ritis excessus, de cuius successione tam ingens disceptatio sperabatur futura: & è qua pen-debat, esset ne futurus frater ipse Iosephus Regis concionator, an Prioris Cratensis. Men-dacium igitur hoc inexcusabile est, tam circa Henrici natalem, quam circa lunæ defec-tionem, quæ secundum astrologorum ephemeridas, per rerum naturam, ultima die Ianuarii necessario futura erat.

Quod vero eorum seopus, qui hanc de genealogia Regum Portugaliæ plantarunt arborem, fuit per machinationem quamdam exteris hominibus obrepere, & persuadere, Portugaliæ Regnum populorum suffragiis, & electione dari solere, credentes scilicet, hoc pacto, Antonii causam non excusabilem modo, sed etiam (si Diis placet) iustum fuisse, seorsum respondendum ad ea duximus. Electos autem à populo aiunt fuisse Alfonsum Regem I. Alfonsum III. Ioannem I. Alfonsum V. Emmanuelem, Henricum & ipsum Antonium. Quod quam falsum sit, & apud nos ridiculum, ex persona cuiusque demonstrabimus.

CENS V R A LXXVI.

In primis quoad Alfonsum I. attinet, quid absurdius dici poterat, quam cum, qui Portugaliæ Princeps erat, à militibus suis, in quos vita necisq; ius habebat, nomen & dignitatem Regis accipere potuisse? Vulgatum iuris axioma est, neminem suam rem utiliter stipulari posse. Quid autem milites illi in Alfonsum noui contulere, quod tunc penes illum non esset? Transtulerat Portugaliæ populus in Alfonsum Imperatorem, & ante in eius maiores, ius omne suum, imperium, & potestatem: ille in Tarasiam filiam, & Henricum Comitem: ii in Alfonsum suum iure legitimo successorem. Quid ergo apud populum reliquum erat, quod in Alfonsum possent amplius transferre, ciuitates ne, oppida, aut castra? Ea Alfonsi non populus habebat. Regis dignitatem non poterant: superioris enim illud munus erat, non inferioris, non subditi, non vasalli. Utendum enim est in re noua, nouo vocabulo. A rege igitur Legionensi, qui Comitem crearat, Regem dici permittendus erat, qui Rex fieri veller: vel à Summo Pontifice, si se clientela exemptum assereret. Notissimi etiam iuris est, inter innumerā, quæ in personarum electionibus ad dignitates aut magistratus requiruntur, duo esse capitalia, rem scilicet, quæ vacet, & electorum arbitrium liberum conferendi, in quem velint. Quæ igitur electio ea erat, vbi nec res erat, quæ daretur, nec qui conferre posset? Quid ergo milites illi egere: ad augustius & honorificentius nomen sumendum, consilio & precibus Principem suum impulerunt, non imperium maius, aut efficacius concesserunt, apud quos nihil potestatis erat reliquum. Cum enim Alfonso nihil ad Regnum, nisi solum nomine deesset, quod ditione Reges & quaret, & Henricus pater adeo se à Legionensis Regis iugo exemisset, ut urbem Asturicam, & nonnulla oppida vi cepisset, duces exercitus eum adhortati sunt, quando cum Regibus pugnam commissurus erat, ut Regem se appellari pateretur, magnumq; hoc ad pugnandum incitamentum futurum. Resput Alfonsi consilium, sed tandem precibus victus, Regem se dici, & acclamari paflus est: non quod electus ab illis fuisse qui nec ditione, nec dignitate dominum augere poterant. Quod vero Regia ea dignitas nulla auctoritate suffulta erat: quod id nec à suo, nec à suorum arbitrio poterat pendere, ab Alexandro III. Summo Pontifice Regiam sibi, posterisq; impetravit dignitatē. Quod quidem creatio & augmentum fuit dignitatis, non ad dignitatem electionis, aut electionis alicuius confirmatio. Adeo autem verū erat, non potuisse Portugalenses eo tempore Regem sibi eligere, ut si Alfonso eo prælio occubuisse, & res ad eum statum redacta videtur, quo populus iure omnium gentium, sibi Regem creare posset, illis tamen non liceret, quod Legionensis Regis beneficium Portugalia erat, in cuius potestate recidebat.

CENS V R A LXXVII.

Quod vero Alfonsum III. tam in arbore de genealogia, quam in libello electum fuisse ait à populo in gubernatorem, & postea in Regem, falsissimum etiam est, & contra annalium & litterarum Summi Pontificis fidem. Notum siquidem est, non Lusitanis modo, sed & toti orbi ob cap. Grandi, de suppl. negl. Prælat. lib 6. quod ex iis litteris sumptum est, quia Sanctius remisso esset animo, & socordi, & omnia ad libitum Mitiæ vxoris, & sceleratorum quorundam nobilium in Regno fierent, ex quibus populus miris afflictabatur modis, nec monitiones Honorii III. & Gregorii IX. Summorum Pontificum, nec etiam sanctorum interdictiones quicquam proficerent, Innocentium III. in Concilio Lugdunensi, querelis Ioannis Archiepiscopi Bracharensis, Tiburtii Episcopi Conimbricensis, Roderici Gometii Briterii, & Gometii Villegæ nobilium virorum commotum, Alfonsum Comitem Bononiensem fratrem germanum Regis Sanctii, virum prudentem, & magnanimum, additæ & fratris heredem legitimum, quod Sanctius liberis careret, illi vicarium dedisse, ut Portugaliæ Regnum gubernandum, & tuendum susciperet. Erat tunc in Gallia notissimus Alfonsi, tum propter Regii sanguinis splendorem, tum quod ei paulo ante Summus ipse Pontifex, ad expeditionem belli Syriaci, quam parabat,

parabat, diplomata ducibus crucigerorum dari solita concesserat. Cum vero Lusitani ea sint natura, ut Regem semel suscepsum nunquam deferant, sciebat Alfonsus, etiam in tantis calamitatibus, populum, qui in Sanctii verba iurauerat, sibi non obtemperaturum. Literas igitur longissimas illas quidem ad populos Portugaliæ, ab Innocentio impetravit, quas nos in ipsis Regiis scriniis vidimus, quibus Sanctum Regni administratione interdicebat, & interminationibus, & penitentia populum Portugaliæ, ad Alfonsi obsequium cogebat, & arcium custodes ut Alfonso castella traderent, & fidelitatem ei iurarent, Archiepiscopo Bracharense, & Conimbricensi Episcopo iniungens, ut penitentia, & ecclesiasticis censuris, eos ad ipsius Alfonsi obedientiam compellerent. Præterhas, alias in Regio archiuo vidimus literas de eadem re, ad populum Portugaliæ, quibus idem Pontifex Innocentius, illius causæ executionem, vniuersis fratribus Fraciscani ordinis eius Regni, mandabat. Frater etiam Desiderius vir magna religione & doctrina, legatus missus est in Portugaliam, qui Summi Pontificis nomine, totius Regni arces Alfonso tradendas curaret, & earum custodes in eius verba iurare cogeret. Tantæ molis videbatur, viuo Sanctio, Lusitanos alium eius loco velle Rectorem. Nec aliquis fere ex Portugaliæ proceribus, aut arcium Præfectis inuentus, qui non expectata obsidione, aut Pontificis interminationibus, Alfonso obediret, aut castello eum vellere recipere. Tanta constantia, sui Regis, qualis qualis erat, ius inuiolatum volebant. Vnde cum Martinus quidam Fernandus Taidius, Leiriensis arcis Præfector, acceptis ab Alfonso munib[us], eum sua sponte, & non expectata via aliqua, castello exceperisset, apud nobiles illius temporis magnam subiuit infamiam. Multi autem fuere, qui nec obsidione, nec factorum interdictione, nec vllis adducti minis, castella tradidere, Sanctio incolumi. E quorum numero fuit magna animi constantia, & fidelitate vir, Martinus Flectus Conimbricensis arcis Præfector, de quo non longa videri debet narratio. Obsessus is ab Alfonso longo tempore, vsque ad famis & siti extrema perstiterit: nec vllis promissis, precibus, aut minis adduci potuit, vt à proposito desisteret. Alfonsus perspecta hominis constantia & fidelitate, propter quam eum saluum volebat, vbi primum de morte Sancti fratris nuntius allatus est, ab exercitu mittit obsessis ad victum necessaria, quibus diuturnam famem, atque sitim depellerent, & literas ad Martinum de morte Regis. Ille initis induciis tantum temporis, quanto Toletum ire, & inde redire valebat, vt propriis oculis veritatem indagare posset, Toletum iuit, & audita morte Sancti, non credidit officio satisfecisse, nisi claves ei, à quo illas acceperat, tradidisset. Sepulchrum aperuit, & agnito Regi claves brachio suspendit dextro, & à præsenti notario, instrumentum rei gestæ accepit. Reuersus Conimbricam, arcem Regi Alfonso tradidit. Ille tam constanti fidelitate laudata, claves Martino offert, eumque Conimbricensis arcis custodem, posterisque suos in perpetuum constituit, ea prærogatiua, vt nunquam iuriandum ab eis fidelitatis exigeretur, in tantæ fidei memoriam. Martinus gratiis Regi actis, beneficium non accepit, liberis & posteris suis dira imprecatus, si vñquam arcem tuendam à Principe aliquo suscepissent. Quo igitur ore isti audent affirmare, Alfonsum populi suffragiis, in gubernatorem fuisse electum, qui tot obsidionibus oppidorum, tot interdictis sacrorum, & execrationibus Pontificum, tam difficulter admissus est?

Tempore vero quo Sanctius è vita sine liberis excessit, cum Alfonsus in possessione Regni esset, quod patris olim fuerat, modo fratris, quid opus erat populi suffragiis in Regem eligi, qui fratris proximus erat agnarus, & legitimus successor, vt in eodem capit. Grandi, Summus ipse Pontifex declarauit, *Mandamus (inquit) quatenus nobilem virum Comitem Boloniensem prefati Regis Portugalia fratrem, de devotione, probitate, ac circumspetione multipliciter commendatum, qui eidem Regi, si absque legitimo decederet filio, iure regni succederet, quig exanimatus, &c.* Quæ igitur electio futura erat de illo, qui iure gentium, ciuili, & Lusitanorum, erat ad successionem fratris vocatus, & summi Pontificis decreto declaratus? Aut quo iure, qua potestate, Lusitani, nisi Alfonso, in eo rerum statu, poterant Regnum deferre? Cum indubitati iuris sit, & omnium Doctorum sententiis comprobatum, in regno ad millesimum cognitionis gradum debere produci successionem?

CENSURA LXXVIII.

Quod vero ad Ioannis I. electionem attinet, nemo est qui non intelligat, si modo nostrarum rerum omnino expers non sit, & rem ad amissim expendat, non per iustam electionem aliquam, cum ad Regnum peruenisse, sed per merā vim & armorum iudicium. Qui enim ex nobilibus eum in Regem elegerunt, excepto Nonio Aluato Pereiraeus A-

chate, pauciores numero, & conditione minores erant, qui aut libertatis amore, aut studio rerum nouarum tenebantur. Plures vero, & dignitate præstantiores, militiarum scilicet Magistri, Comites, & arcium Præfecti, & qui Regalia, quæ vocant iura, aut vetigalia possidebant, cum omnibus fere ciuitatibus, Olisipone dempta, Ioannem Regem Castellæ Dominum, & Principem suum legitimum agnoscebant, & in eius verba iurarunt. Verebantur enim, si à potentiori deficerent, vt ea omnia amitterent, quæ à Lusitano Ioanne se consecuturos non certo sperabant. Illusoriam etiam eam electionem iudicabant, in qua omnia deerant requisita, tam circa personas, quam numerum electorum, & causas eligendi.

Vbi vero prælio ad Aliubarotam commisso, Ioannes Lusitanus victoriam adeptus est, & Ioannes Castellanus Rex aciem deserens, in Castellam contendit, adeo suorum animos consternauit, vt multi, seu metu victoriae, seu more hominum, qui se eò quod fortuna, inclinant, plerique Lusitano se dedidere: nonnulli in Castellam immigrarunt: alii arcibus suis, & castellis se tutati sunt, à Castellæ Rege præsidium expectantes. Quod eo bello fractus, cum non attulisset, paulatim in Lusitani ditionem, & potestatem venerunt: atque ita rerum potitus est. Absurdum est igitur & ineptum, dicere, iure electionis eum fuisse Regem, cum ius in armis positum fuerit: & idem obtinuerit, ab ijs paucis electus, quod sine electione obtenturus erat. Hoc vero Dei iudicio, & Ioannis Regis & procerum Castellæ periurio Lusitani imputabant, qui iusurandū contemnentes, quod, manibus tacta sacratissima corporis Christi hostia, conceperunt, pacta cum Fernando & nobilibus Portugaliæ inita fregissent, & aduersus conuentionem arma sumpliissent: atq; ab Urbano VI. vero Christi vicario descendentes, Clementem Pseudopapam secuti, piorum cœtu essent moti. Quare victoriam illam diuinitus contigisse, creditum est: & nouis ob id votis, se ciues Olisiponenses obligarunt: quæ adhuc quotānis publice soluuntur. Ea enim Castellani exercitus amplitudo erat, ea Lusitanorum semiermium paucitas, qui sub Rego suo pugnabant, vt sine miraculo vicisse, non credibile fuerit visum.

Quod si legitimate eum quis electum fuisse contendat, nullo exemplo magis aperte conuincitur, Portugaliæ Regnum non solere populi suffragiis deferri, in defectum descendenter ab ultimo possessore, si aliquis ex cognatis à latere extare contigerit; nisi eo solo casu, quo nec descendentes, nec cognati reperiantur. Illis enim Comitiis Conimbriæ habitis, in quibus Ioannes electus fuit (vt ex annalibus constat, & ex ipso electorum decreto, quod in Regio vidimus archiuo) electores testati sunt, ideo se Ioannem in Regem elegisse, quod Ferdinandus Rex sine sobole legitima, & sine cognatione obiisset. Vnde iure gentium potuisse populum sibi Regem, aut Rectorem eligere, quem vellet, asserebant. Dicebant enim & merito, Beatricem filiam Fernandi adulterio & incestu fuisse conceptram. Notum quippe erat, Leonoram iustum fuisse vxorem Ioannis Laurentii Cugnæ, à quo reclamante Rex eam iam duorum filiorum matrem abduxit. Ipsum etiam Ioannem Laurentium, Fernando intra quartum consanguinitatis gradum fuisse coniunctum. Ioannem vero & Dionysium Regis Petri filios, & Fernandi fratres, qui ad Regem Castellæ transferant, nothos fuisse, vt quos ex Agnete à Castro concubina, & sanguine propinquæ Petrus sustulisset: præterea hostes nominis Lusitani & perduelles, vt qui hostili manu cum Ioanne Castellæ Rege, & ante cum patre Henrico, in Portugalie fines populabundi excurrissent, grauiaque damna & cædes suis ciuibus intulissent. Quocirca etiam si legitimis quæ siti nuptiis fuisse, quod se hostes & alienos à Portugalia declarassent, non potuisse eius Regni successionem adipisci. Multa præterea adducebant, quibus eos Regni successio- nis incapaces ostenderunt. Credentes igitur, se ad eum rediisse statum, quo iure omnium gentium possent sibi Regem creare, Regno scilicet vacuo, Ioannem virum fortissimum, & de Repub. optime meritum, è Regum Portugalie stirpe prognatum, Regis videlicet Petri filium, Fernandi recens defuncti fratrem, Regem sibi eligere posse, dicebant,

Non est igitur cur isti dicant, Ioannem electione populi fuisse Regem, ea ratione quod Ferdinandus sine descendenti hærede decepsit: quasi si cognatos haberet, populo ius etiam electionis competisset. Quod quidem contra ius omnium gentium esset, & contra Doctorum omnium sententias, qui (vt superius diximus) ad Regnorum successiones, iura sanguinis, vsq; ad omnes remotissimos gradus, valere dicunt.

CENSURA LXXIX.

QUOD etiam addunt, Eduardi Regis postulatione, à popolorum conuentu impetratum, vt Alfonsum primogenitum in Principem eligerent, ob fratrum dissidia eius morte

morte vitanda, id mera calumnia est, qua impostores isti fortissimos, & sanctissimos viros infamant, de quorum fide nunquam frater Eduardus dubitauit. Nec enim ullum fidelitatis & obedientiae exemplum tam nobile, quam illorum Principum in Regem puerum fuit. Nec Petrum excipio, quod inimicorum calumniis persidiae falso sit insimulatus. Omnia vero perperam fabulator hic, causae suae fauens, narravit. Sine conuentu enim populorum, & nullis habitis Comitiis, instituit Eduardus ut Alfonsus eius primogenitus, Princeps deinde diceretur. Prima quippe Comitia ab Eduardo indicta fuisse, post Ioannis patris exequias, ad quas populorum legati, antistites Regni, & proceres conuenere, certum est: quo tempore Alfonsus Princeps iam dicebatur. Sintrare enim, cum Infantes post patris mortem, & ante comitia, Alfonso pueri fidelitatem iurarunt, Princeps à patre vocatus est, vt ex annalibus nostris constat. Cum vero Alfonsus primogenitus Eduardi esset, & legitimus Regni successor, qui poterat populus eum eligere, ni posset etiam Regnum aliis deferre? Ea enim electorum potestas est, vt è multis cui velint, dignitatem conferre possint, qualis est illorum, qui Romanum eligunt Imperatorem. Ius iurandum vero fidelitatis, quod à populorum conuentu exigitur, obligatio est seruandi, non potestas eligendi. Quid enim Principatus nomen dignitatis auxit in Alfonso, quod antea non habuisset? Aut in quo Infans primogenitus à Principe nisi nomine nudo differt? Occasio autem mutandi dignitatis nomen, à consuetudine, quæ in aliis Hispaniæ Regnis inoleuit, nata est. Ad imitationem enim primogenitorum Regum Angliae, qui Principes Gaulis, & Gallorum, qui Delphini Viennæ appellabantur, Ioannes I. Castellæ Rex, Henricum eius primogenitum Principem Asturiarum dici instituit. Hoc securus filius illius Fernandus, eius nominis Primus Aragoniæ Rex, Alfonsum primogenitum, Principem Gerundæ voluit appellari. Carolus etiam III. Nauarræ Rex nepotem suum Carolum Regni successorem futurum, Viennæ Principem nuncupauit. Quare Eduardus Rex Portugaliæ, qui solus ex Regibus restabat Hispaniæ, ne filius Alfonsus diuerso appellaretur vocabulo, omisso antiquo Infantis nomine, vocari eum iussit Principem Portugalie, sine villa populorum opera, aut consensu. Quid enim hoc ad populum? Si quid etenim ea appellatione dignitatis Alfonso accreuiisset (quod dicendum non est) nullo iure id à populis conferri poterat, nisi à Rege, cui à principio se, suaque omnia tradidere, & in quem ius suum, & omnē imperium, & potestatem transtulerunt. Quis enim tam imperitus rerum est, qui non intellegat, cum Reges dare leges, non accipere cōueniat, ab ijs tanquam à fontibus, nobilitatis & dignitatis iura ad populum, & non è conuerso à populo ad Principes promanare? Vnde cum ea dignitas ab auctoritate, aut consensu populi non penderet, ubi primum primogenitus in lucem edebatur, in quolibet Hispaniæ Regno, etiam si ei fidelitatem populus nondum iurasset, Princeps vocabatur, siue masculus, siue femina esset, & morte illius secundogenitus: quod hodie in consuetudine positum est. Proterui igitur hominis est, asserere Alfonsum, cui nascenti ius, & spes Regni statim deberi cœperunt, à populo fuisse electum, cuius successio à subditis suis non potuit pendere, cum iuramentum fidelitatis, quod ab eis exigitur, seruitii signum, non potestatis sit.

C E N S V R A L X X X.

DE Emmanuele Rege quod aiunt, populi suffragiis fuisse electum, similis impudenteria & impostura est, vt exteris, qui nostra ignorant, persuadeant, in Portugalia tot fuisse Regum electiones, quot ex Regibus sine liberis decesserunt: credentes scilicet, perfidiam suam posse huiusmodi celare mendaciis. Qui enim Regis Eduardi nepos erat ex filio Fernando, & Ioanni sine legitima sobole decedenti proximus agnatus, vt qui patruelis erat frater, nullis indigebat populi suffragiis. Præcedebat enim Emmanuel sorores Leonoram Reginam, & Isabellam Brachantiæ Ducis vxorem sexu: Maximilianum autem Cæsarem, qui in eodem erat gradu, iure sanguinis: quod hic per feminam, Leonoram scilicet Augustam Ioannis amitam cognatus erat, ille per Fernandum patrem, Ioannis patruum, agnatus. Quare otiosa erat, magis quam officiosa illa Ioannis institutio, qua Emmanuel Regni hæredem testamento declarauit. Nihil enim accipiebat, qui iure sanguinis necessario succedebat. Quid enim, secundum Papiniani sententiam, de suo videtur reliquisse, qui omnino reddere debuit? Facultas enim necessariae electionis, propriæ liberalitatis beneficium non est. In gratiam autem Georgij filij nothi, quo propitior rem haberet Emmanuel, eum in Regno instituit, cui maxime ademptum voluit. Notum enim est ijs, qui nostrarum rerum peritiam aliquam habent, quantum dederit Ioannes operam vixque ad ultimum vitæ diem, ne ad Emmanuel, sed ad Georgium filium.

Regnum perueniret, nisi Leonora Regina eius vxor domi, & Fernandus & Isabella Reges Catholici, qui Emmanueli propinquos fauebant, & Georgius Cardinalis Olisiponensis apud Pontificem Alexandrum VI. restitissent, ne Georgitus legibus solueretur. Sed ut mendacium istud magis splendescat, manus cominus conferamus. Si ergo Emmanuel post Ioannis mortem electus est, necessum erat Comitia fierent & conuentus, cleri scilicet, procerum, & populum, & Interreges interim crearentur, qui Comitiis presentes, & Regni clauum tenerent. Mora etiam illius interregni, & electionis futura erat aliqua. Scimus tamen ex annalibus, & publicis monumentis, atque auctoritate multorum, qui regestae interfuerent, à quibus audiuimus, Ioannem decessisse Aluorii die Dominico sub Solis occasum, qui fuit XXV. Octobris, anni M. CCCC. XCV. Die vero lunæ id XXVI. scilicet eiusdem mensis Salaciā, vbi Emmanuel cum Regina Leonora sorore erat, nuntium allatum de morte Regis. Die Martis, qui XXVII. fuit, Emmanuel à Regina, & magnatibus, qui cum iis erant, Regem salutatum more patrio, & in Regni possessionem missum fuisse. Is enim mos est, ut sedens Rex futurus in Regio solio, aurea chlamide induitus, & sceptrum manu gestans, priuilegia subditorum iuret se seruaturum, praesentes ad manus oscula admittat, in seruitii & obedientiæ significationem: à vexillifero & armorum magistris, postea à circumstantibus Rex acclamatur, & salutatur. Hac breui & simplici cæremonia Reges apud nos declarantur, & in Regni possessionem mittuntur. Primum autem omnium conuentum, Rex Emmanuel Montemaiori ciuitate trans Tagum sita, egit, quo proceres, antistites, & populum legatos euocauit, & eō, Salacia decedens, intra paucos dies accessit. Quo igitur ore impudentes isti, Emmanuel populum suffragiis electum asserunt, cui intra triduum à morte Ioannis, ius Regni delatum, & possessio acquisita est?

CENSURA LXXXI.

MPUDENTISSIMVM profecto illud de Emmanuel fuit, quod verò de Henrico hic tradit, longe impudentius nobis visum est, quod eius Regni auspiciis interfuius, qui busque interfuit omnis Olisiponensis populus, & multitudo hominum omnium fere nationum: qui in hoc totius orbis emporio diuersantur. Funestissimæ enim illius Africanæ cladis, qua Sebastianus Rex cum multis è Lusitanica nobilitate occubuit, vbi senatus Olisiponensi nuntius allatus est, statim Henticum ab Alcobacia accersitum, è Regia ad valitudinari templum per urbem ductum, inopinati casus acerbitate consternatum, & evultu, qui magis videbatur ad exequias filii cohonestandas, quam ad Regni solium & gratulationes duci, more & instituto maiorum, proceres & nobiles, qui aderant Regem salutarunt, sine vlla dilatione, aut populum conuentu. Cum enim Henricus filius Emmanuelis Regis esset, ad cuius personam successio referenda erat, & ceteris gradu, sexu, & aetate præstaret, quæ mora futura erat, in Regni possessione acquirenda? Deniq; non ab Olisiponensi Senatu electus est, vt isti falso dicunt. Quando enim una ciuitas ad totum Regnum elegit? Ab ipso tamen Senatu, & vniuerso populo, patrio instituto, vt ceteris Regni ciuitatibus, Rex agnitus, & adoratus est.

CENSURA LXXXII.

HAs populi electiones falso asseruere, vt eam quam de Antonio comminiscuntur, iustum fuisse rei ignaris persuaderent. Qualis autem ea fuerit ex gestorum narratione facile constabit. Mortuo igitur Henrico Rege, qui suum de Regis Philippi iusta successione iudicium aperuerat, & (si diutius vixisset) ei Regnum adjudicare destinauerat, cuius iure esse sciebat, Philippus à Regni Gubernatoribus, qui omnium ordinū suffragiis, viuente adhuc Henrico, fuerunt electi, instanter obedientiam requisivit. Hi per Episcopum Conimbricensem, & Emmanuelē Melium Regiarum venationum Præfectum, ab eo petunt, quando de successione Regni disceptatio in iudicium deducta erat, ab XI. viris, quos populi elegerant ad Regni causam decidendam, sententiam ferri sineret. Eos namque esse iudices, qui suo iure illum nō erant fraudaturi. PHILIPPVS, qui defuncto Regi proximus erat cognatus, legitimus, natu maximus, & vir: & qui in terris nullum habebat iudicem, cui se in profanis subiiceret, inique eos agere respondit, qui suo Regi, & ab Henrico prædecessore iam declarato, debitum iure omnium gentium different obsequium. Nec se sententiæ staturum, quem leges dare subditis, non ab ijs accipere æquum erat.

Dum hæc aguntur, Antonii asseclæ, qui nouandis inhiabant rebus, veteres castis inter Lu-

ter Lusitanos & Castellanos male præsenti rerum statui conferentes, Scalabi, quæ nunc Sanctarena dicitur, cum de euehendo Antonio agerent, & alii Regni defensorem, alii Regem eum dici vellent, tandem Regem salutare omnes decreuere. Antonius de industria vrbis muros egreditur, simulans propugnaculum in æditiori suburbii loco velle ædificare ad vrbis tutelam, & situm inspectum ire: vt scilicet populus eo conueniret, & propositi exequendi occasionem haberet. Magna igitur turba popularium coacta, cum vnuis è plebe, qui ad id fortasse subornatus erat, Antonium Regem acclamasset, & qui ex composito aderant, succinissent, plebs, yt malarum semper rerum facilis imitatrix est, & nouarum studiosa, Regem eum salutauit. Antonius, et si à principio Regis nomen respuere, & exhorrire videretur, & defensoris titulum velle diceret, vinci tamen se passus est. Hi igitur omnes, reclamantibus arcis Sanctarenensis Præfecto, & Decurionibus, magna turba urbem ingressi & tumultu, ad curiam Antonium deferunt. Quæ cum clausa esset, securibus foræ effringunt, & ad obedientiam minis & terrore ciues compellunt. Recta inde Olisiponem venientes, eam facile occupant, quod nobilitas omnis, pestilentia causa aberat, & vrbis Rectores ipsius A N T O N I I metu aufugerant. Gubernatores, qui Cetobricæ erant, & ob Antonii vicinitatem, & Regis nomen usurpatum in discrimine positi, quod multi Antonio affecti in eos plebem, & ipsos suorum corporum stipatores, & custodes concitauerant, de nocte sequentibus nonnullis è prima nobilitate, nauicula inscensa, in proximum Castellæ oppidum, ad Anæ ostium sunt deuecti. Inde ad Castrum Marinum primum Portugaliæ municipium: eoque in loco Regem PHILIPPVM verum & legitimum Regni successorem declararunt. Quorum iudicio omnes ciuitates & oppida steterunt, quo Antonij metus non penetrauerat. Ea vero vt in obsequium suum traheret PHILIPPVS, Fernandum Toletanum Albanum Duxem fortissimum Imperatorem, & rerum gestarum gloria clarissimum, cum exercitu viginti millium electissimorum peditum, duorum millium equitum in Portugaliam misit. Is, nemine resistente, Cetobricam venit. Inde triremibus in Cascais, oppidum nobile ad Tagi ostium ab Olisipone X VI. millibus passuum distans, exercitum traicit, & tam arce illa, quam aliis Olisiponē versus expugnatis, non longe ab Antonii statu castrametatus quarto ab vrbelapide. Ante vero quam cum Antonio manum consereret, cum ei à PHILIPPO Rege iniunctum esset, quoad posset, Portugaliæ res illeas conseruaret, & omnia ante tentaret, quibus tam Antonius ipse, quam vniuersi eius Regni ciues incolumes essent, Toletanus Antonium ad foedus icendum provocat. Illum vero iam persuasum, & qui cum Toletano conuenerat, vt in cymba ad colloquium venirent, non defuit, qui dehortaretur, & ad resistendum incitaret: magis affectibus suis, quam Republicæ, aut Antonij commodis indulgens. Albanus igitur XXV. die Augusti nō magna difficultate Antonianos, quorum maxima pars coacta, & inuita ad pugnam venerat, fudit fugavitque: & Antonius ipse, accepto in capite vulnere, fuga evasit. Quem si insecuri essent Albani milites, nec præde intenti essent, facile cepissent. Incolmis tamen Auerium peruenit, cui magna vis tumultuariorum militum, facinorosorumq; spe prædæ sese aggregauit, inter quos egregius hic noster historicus frater Iosephus, multa per maximū scelus dicitur edidisse facinora. Oppido igitur expugnato, Antonius in Portuensem ciuitatem contendit, quam sine vlla cepit difficultate. Dux Albanus, Sanctum Aulam virum strenuum, & militaris disciplinæ scientissimum, cum tribus militum millibus mittit, qui eum consequatur. Antonii milites, cum nulla necessitate coacti, nec stipendiis conducti ad eum venissent, sed spe prædæ tantum illecti, & prouinciam Interamnem expilassent, non periclitari amplius pro Antonio decreuere. Languide igitur remisseq; pugnantes, primo fere cōcursu fusi sunt, & in fugam versi. Antonius, rebus desperatis, nauem quam in Viennensi portu paratam habebat, cum ascenderet, nec ob aduersæ tempestatis vim, soluere posset, in terram egressus, solito ornato detracto, mutata veste, detonsaq; barba, ne agnosceretur, fugam occupat. Eo habitu aliquot delituit mensibus, amicorum hospitiis variis locis exceptus: & tandem in Galliam contendit.

Hæc Antonii fuit electio, ea Regni fuere auspicia, hic finis. Quæcum gesta fuerint in media hominū luce, in foro, in exercitu, inter multos mortales, quid impudentius quam à populis fuisse electum, & per totum Regnum aslerere fuisse receptum, qui nullibi potuerit consistere, & à nemine fuerit admissus, nisi ab ijs, quibus vis adhibita fuit. Notum enim est, nullum ex proceribus Antonio accessisse. Ioannes namq; Brachantiæ Dux, non modo amplissimæ ditionis Dominus, sed vnuis è Regni candidatis, Catharinæ vxoris ratione, vt quæ Emmanuelis Regis ex filio Eduardo neptis est, qua fidelitate & animi propensione, in Regis PHILIPPI obsequium & obedientiam venerit, qua Duces Aueriensis mater & filia ditionis heres, qua Dux Villarealensis, Marchio Ferreiraensis, Comites Portalegrensis,

Odemirensis, & ceteri Regni Dynastæ, qua Gubernatores, & maxima nobilium pars, nemo ignorat. Quorum nonnulli non ferentes PHILIPPI moram, vltro se ad cum salutandum, in Castellam contulere. Primus autem omnium, summæ nobilitatis vir Antonius à Castro Comes Monsantensis, Cascaii Dominus. Archiepiscopi autem Brachensis, Olisiponensis, Eborensis, & cæteri Episcopi, & Regni antistites, quam in officio persistiter int erga PHILIPPVM, & qua animi alacritate illius successionem fuerint amplexi, omnes sciunt. Quos igitur Antonius pro se habuit præter domesticos, qui eum desere-re noluerunt, in condita fuit popularium turba, & populi colluuius, rapinæ & libertatis auida, & paucinobiles, iique fere omnes adolescentes: quorum nonnullos Antonij benevolentia, alios rei familiaris angustia, cupiditas, & ambitio eò adduxere, vt experirentur, an periculo ipsius, possent Regem habere amicum: quippe quibus maior spes erat lucri, quam metus damni: quod sublato de medio, aut vieto Antonio, nullius rei iacturam face-re poterant, quibus nullæ facultates erant. Multi etiam Antonianorum metu percussi, ei accessere: ne tanquam perduelles, ab ijs ad pœnas & supplicia traherentur: quod Antonio vel nomen non dedissent, vel neutri adhærentes parti, Antonii causam iustio-rem non censere viderentur: & inter eos nonnulli aulici magistra-tus, quos necessitas, & temporis conditio, parere cui minime vellent, cogebat.



DVARDI NONII LEO-NIS IVRIS CONSULTI LVSITANI, DE VERA REGVM PORTVGALIZÆ Ge-nealogia Liber.

AD ALBERTVM ARCHIDU-CEM AVSTRIÆ CARDINALEM AC
Principem Serenissimum.

DE HENRICO PORTVGALIZ
Comite



ENRICVS Portugaliæ Comes natus est Vesontii: quæ ciuitas metropolitana est Burgundiæ Comitatus, vulgo hodie Besançon. De eius origine variae sunt opiniones. Alii Pannonicum, Hungariæ scil. Regis filiū: alii Græcum ex Imperatorum Constantino-politanorum sanguine ortum: plures Lotharingum dicunt. Nos vero (vt latius in eius vita) Burgundum asserimus, certiori conjectura & autoritate. Patrem autem habuisse Guidoneum Comitem Vernoliensem & Brionensem, Reginaldi & Alisæ Comitum Burgundiæ filium, Guillemi Comitis Burgundiæ fratrem. Vnde patrueles habuit Henricus Stephanum Comitem Burgundiæ, Raymundum Gallæciæ Comitem socium itineris in Hispaniam, Calistum II. Pontificem Maximum, & Clementiam Roberti Comitis Flandriæ vxorem, patrui Guillemi filios. Vxorem autem fuisse Guidoni Ioannam Ducis Burgundiæ filiam, Northmanniæ traditur annalibus.

Is ad bellum sacrum tendens, in Hispaniam appulit, & Alfonsum VI. Castellæ Regem,

gem, qui Imperator etiam dicebatur, cum Raymundo Burgundo, & Raymundo Tolosano Comite aduersus Sarracenos iuuuit. Illi vero propter sanguinis claritatem, & res preclarę gestas, Alfonsus Tarasiam filiam notham locauit, Portugaliamque nomine datis, & iure clientelę dedit: hoc est illud, quod int̄ta limites Interamnis prouincia, Lameca, Conimbricæ, & Visei continebat: & tractum etiam illum Gallicæ, qui Ultramontanus dicitur, cum iure recuperandi eam Lusitanæ partem, quæ à Sarracenis occupabatur, usq; ad Bæticæ confinia: qua scilicet Anas prouincias diuidit.

Sustulit HENRICVS EX Tarasia ALFONSVM HENRICVM, qui primus Portugaliæ fuit Rex.

Duas etiam suscepit filias, Vrracam, quæ Veremundo Comiti Trastamaræ: & Tarasiæ, quæ Fernando Menendo in Gallicia nupsere.

Ex concubina Petrum habuit virum bellò strenuum, quem in expugnatione urbis Sanctarenensis, Alfonsum fratrem iuuisse legimus.

Ecclesias Cathedrales Bracharensem, Portuensem, Lamecensem, & Viscensem à Sarracenis dirutas Henricus suis sumptibus erexit, erectas Pontificibus restituit: & eas amplissimi censibus ditauit.

Moritur Asturicæ anno à Christo nato M. C XII. Sepelitur Bracharæ cum vxore Tarasia in summo templo, iuxta maximam aram, quo illos Iacobus Sousa Archiepiscopus, vir pietate iuxta ac nobilitate conspicuus, ex humili sacello eiusdem templi transtulit, anno M. D. XIII.

DE ALFONSO PRIMO REGE

PRIMO.



LFONS VS I. Hentici Burgundi & Reginæ Tarasianæ filius, nascitur anno M. XC IIII. Hic quamdiu fuit in patris potestate, & sub administratione matris, Infans Portugaliz more filiorum Regū vocabatur. A morte vero matris ad prælium Orichiense, Princeps Portugaliæ dictus est. A prælii autē tempore, Rex. Tarasia vero mater Regiha dicebatur, more illius temporis, quo Regū filiæ omnes Reginæ vocabantur: etiam si Regnum non haberent. Quem morem ad Afonsum II. duresse comperimis. Deinceps Infantes dici cœptæ sunt, ut etiam mares.

Vxorem duxit Mahaldam filiam Amedei II. Comitis Maurianæ, & Guigonis Comitis Albonensis filiæ. Ille autem est Amedeus, qui rediens è Syria, quo bis belli sacri causa iuerat, moritur in Cypro, & sepultus est in cœnobio S. Crucis, iuxta urbem Nicosiam. De quo multa præclare gesta memorantur: & inter alia, magna illa victoria, quam de Turcis adeptus est, pro Rhodiensium equitum defensione. Is ab Imperatore Henrico V. primus Sabaudie Comes, & sacrí Imperii per Italiam Vicarius creatur. Ex hac Mahalda suscepit Sanctum Regni successorem.

Vrracam, quæ Regi Fernando II. Legionis, & Gallicæ nupsit, à quo postea Summi Pontificis sententia, quod sanguinis ratione essent coniuncti, separatur: nato tamen iam Alfonso, qui patri successit in Regno, & pater fuit Fernandi III. qui Sanctus habitus est: cuius opera, Hispalis & Corduba à Sarracenorum tyrannide, CHRISTIANI sunt restituta.

Tarasiam, quæ Philippo Comiti Flandriæ locata est. Hæc nomen Tarasianæ in Mathildem vertit apud Flandros: à quibus Reginæ Mathildis appellatur, & in magno pretio habita est, tam propter Regium stemmā, quam propter magnam prudentiam, & fortitudinem animi, qua Flandros gubernauit, dum maritus Philippus abesset, belli Syriaci causa ut à magno patre Alfonso non videatur degenerasse. Obiit quippe Philippus in Ptolemaidis obsidione, pestilentie contagiō. Mathildis vero infelici exitu mortua est prope Furnas, anno M. CC. XVII. quo tempore Fernandus eius nepos ex fratre Sanctio, Comes erat Flandriæ. Dum n. per viā palustrem iret, lapsus quo vehebatur effuso, suffocatur. Illumq; locū hodie foramen Reginæ vocari, aiunt. Sepelitur primū in monasterio Dunensi: inde ad Claramvallem Burgundia nobilissimum cœnobium transfertur. Habuit Alfonsus illegitimos Petrum Alfonsum, cuius successio & dignitas ignoratur: & Vrracam Alfonsam, quam nonnulli nuptam fuisse dicunt Sanctio Nonio, ex quibus ortam dicunt Vrracam

Sanctiam, quæ Gundissaluo Sousæ locata est. Horum dicunt fuisse filium, celebrem peream tempora Comitem Mendum Sousanum. Petrus autem Comes Barcellensis in commentariis de nobilium Portugaliæ genealogia, eam Vrtracam Regis Alfonsi filiam locatam tradidit fuisse Petro Valladaro: eosque parentes fuisse Sanctæ Pelagiæ vxoris Petri Ruizii Gironis, qui pugnæ illi decantatissimæ ad Nauas Tolosæ interfuisse dicitur. Vtrumq; fortasse verum, si illa bis nupsit.

ANNO M. C. XXXIX. cum Ismario, seu Ismaele, & quatuor aliis Regibus Saracenorum collatis signis conflixit in Orichensi agro, magna eorum facta strage. Qua victoria parta, in memoriam quinq; Regum, quos vicit, crucem cœlestis coloris, quæ Portugaliæ insigne erat, in quinque diuisit scutula: eaq; argenteis respersit denariis, pro recordatione etiam eorum, quibus assertor noster venditus fuit.

Olisiponē Leiriam, Sanctarenam, Turres Nouas, Sintram, Maforam, Cezimbram, Eboram, Pacem Iuliam, & totam fere Portugaliam, quanta nunc est, è Saracenorum liberatam tyrannide, Christianis restituit.

Animi eius fortitudinem comitabantur tantæ corporis vires, ut in pugna, qua semper primus erat, ad eum tanquam ad furibundum leonem hostes non auderent accedere. Tantoque dexteræ robore fuit, ut nullum leue vulnus influisse dicatur. Strenuus tamen hic bellator, cum domi erat (domicilium enim Conimbricæ fere habebat) inter Sanctæ Crucis monachos, superpelliceo indutus (ita suprema eorum vestis linea vocatur) in choro simul sacra carmina canebat.

Fuit in Deum pientissimus. Magnam enim partem eorum, quæ bello acquirebat, monasteriis & religiosis viris donabat: tanquam Deo non sibi militaret. Et ita hostes debellavit, ut Deus pro ipso pugnare videretur.

Tanta præterea sui fiducia præstitit, ut quod in Scipione maxime laudatur, ei fuerit peculiare. Sæpe enim nondum inchoata, pro perfectis prædicebat, quasi in se situm esset. Cum Scalabim, quæ nunc Sanctarena, furto capere vellet, è Conimbrica egressus paucis comitatus, pridie quam ciuitati appropinquaret, suis prædictis, sequenti die se intra mœnia futurum. Et ita nulla Saracenorum proditione, ciuitatem cepit ex improviso populosissimam, munitissimam, & naturali situ fere inexpugnabilem. Nihil hac fiducia generosius, nec prædictione certius fuit, nec celeritate admirabilius, si ciuitatis situs, & ciuium armatarum frequentia considerentur.

Plurimas ecclesias erexit & reparauit, & duo illa celeberrima monasteria Alcobaciense, & Sanctæ Crucis Conimbricæ extruxit, atque amplissimis redditibus locupletauit. In quorum censu sunt multa oppida, & possessiones magni valoris. Fundauit etiam nobile S. Vincentii cœnobium ordinis Sancti Augustini, in obsidione Olisiponensi, eo ipso, quo castra posuit, loco.

Rebus tandem tam bello strenue, quam pace pie gestis, obiit Conimbricæ, anno salutis humanæ M. C. LXXXV. Vixit annos XCI. Sepelitur in cœnobio S. Crucis, quod ipse fundauit.

DE SANCTIO I. REGE II.

SANTIVS I. fortissimum parentem in omnibus secutus est. Quo superstite, multa fortiter gesta eius tradita sunt. Inter ea vero celebris illa pugna, quam cum Hispanensi Rege commisit, prope Hispalis muros, tanta Saracenorum clade, ut memorie proditum sit, Bætis fluminis vndas fluxisse sanguinolentas. Multa etiam Bæticæ oppida deprædati, cum opimis spoliis in Lusitaniam reuersus est.

Quâdiennio ante patris obitum vxorem duxit Dulciam, seu Aldonzam, Raymundi Berengarii & Petronillæ Reginæ Aragoniæ filiam, Ranimiri autem monachi neptem: ex qua suscepit Alfonsum Regni hæredem.

Fernandum, qui intuitu amitæ Reginæ Tarasizæ, seu Mathildis, Flandriæ Comitissæ, duxit vxorem Ioannam Flandriæ Comitissam, filiam Balduini Imperatoris Constantino-politani. Hic in pugna illa memorabili apud Bouinas, quam signis collatis, cum Imperatore Othono III. Ioanne Rege Angliæ, Regaldo Comite Dampmartini, & aliis, aduersus Philippum Augustum Galliarum Regem commisit, captus est, & multos annos asseruatus in arce Lupara Lutetiæ Parisiorum. Inde vero tandem liberatus à Ludouico IX. Nouiom moritur, anno M. CC. XXXIII.

Petrum, qui seu dissidio cum Rege Alfonso fratre, qui in fratres & sorores non fuit benignus, seu peregrinandi studio, in aula Matroclitorum Regis aliquandiu egit. Postea in Arago-

Aragoniam profectus, Comes fuit Virgellensis, ratione vxoris Aurembiagis. Hic in compensationem hereditatis, quae ad matrem Dulciam pertinebat in Aragoniae Regno, a la-
cobo Rege Regnum Maioricæ accepit in vitam. Sed quod ad illud tuendum a Sarraceno-
rum iniuriis, vires ei non sufficerent, Regnum Iacobus restituuit, & ab eo urbem Segorbiæ,
& Morellam obtinuit. Huius Petri auxilio, Guillelmus Mongrius electus Archiepiscopus
Tarragonensis, insulam Ebusum debellauit, anno M. C. C. X. X. V. Sine libertis autem
decessit.

Henricum, qui adolescens obiit.

Tarasiam, quæ cum Alfonso Legionis & Gallici Regi nupsisset, & filios procreasset,
ob magnam tempestatum vim, terrmotus, & pestem vndiq; grassantem, atq; alias calam-
itates, quas incestuoso Tarasie & Alfonsi coniugio Portugalenses imputabant, quod fra-
trum essent filii, a Celestino III. separationem obnoxie contendebant. Pontificis autem ius-
su, Episcoporum Portugaliæ, & Legionis Concilium Salmanticae est indictum, sub præsi-
dio Guillelmi Cardinalis S. Angelii: in quo diuortiu eorum Principum decretum est. Ta-
rasia autem rediens ad patrios lares, monasterium Loruanense ordinis D. Benedicti, quod
antea monachorum erat, instaurauit, & virginibus dedicatum, magnis donariis, & Esque-
ræ oppidi ditione auxit, in eoq; sepulta est.

Mahaldam, quæ cum formosissima esset, & multis animi dotibus ornata, Henrico I.
Castellæ Regi nupsit, a quo etiam propter sanguinis necessitudinem, separatur sententia
Munionis Episcopi Burgensis, & Telli Palentini, quibus Innocentius III. causam com-
miserat. Illa autem ad suos reuersa, monasterium Aroucense condidit, quo se abdidit, & in
eo sepulta est.

Sanctiam, quæ cælebs vixit, & monasterium Loruanense moderata est. Hæc in pro-
priis ædibus Gerabricæ, quæ nunc Alanquera vocatur, viuente adhuc D. Francisco, eius
ordinis recenter instituti primum cœnobium fundauit. Cuius aulæ vestigia adhuc appa-
rent, & integra cubicula. Sepelitur Conimbricæ in cœnobio S. Crucis cum patre Sanctio.

Blancam Guadalaiaræ dominam. Hæc calibem vitam egit, & in Castella mortem
oblit. Ossa autem eius in cœnobium S. Crucis delata sunt.

Berengariam, quam a pueritia Regina Tarasia soror in monasterio Loruanensi edu-
cauit. Cælebs hæc vixit, & in cœnobio S. Crucis sepulta iacet.

Mortua Dulcia Regina, sustulit Sanctius ex Maria Ioannide a Fornellis concubina,
Vracam Sanctiam, & Martinum Sanctum, qui Trastamaræ fuit Comes, & vxorem du-
xit Ello filiam Petri Fernandi a Castro cognométo Castellani. Decessit autem sine liberis.

Ex Maria Pelagia Riparia alia concubina habuit Tarasiam Sanctiam, quæ nupsit Al-
fonso Tello Seniori, qui Albuquerquiū oppidum condidit, ex quo natus est Alfonsus
Tellus.

Ægidium Sanctum, qui cælebs moritur.

Constantiam Sanctiam, quam cœnobio S. Francisci apud Conimbricenses, quod in
vita ipsius Patriarchæ cœptum fuerat, ultimam manum imposuisse dicunt. Sepelitur in
cœnobio S. Crucis cum patre Sanctio.

Rodericum Sanctum, qui in pugna ad Portuensem ciuitatem occubuit. Sepelitur
in monasterio Ecclesiensi.

Huius Sanctii tempore, appulit vi tempestatis in Olisponensem portum LIII. nau-
ium classis Danorum, Phrisiorum, & Hollandorum, qui sacri belli causa in Syriam nau-
igabant. Quorum auxilio Sanctius Sylensem ciuitatem a Sarracenorū iugo liberavit,
& Regno suo adiecit. Ita enim cum classis Præfectis conuenit, ut ipsis præda, sibi autem
cederet vrbs. Ibi ecclesiam cathedralē innouauit, quæ olim Ossonobensis erat: cuius in
antiquis Conciliis mentio habetur. Erat autem Ossonoba ciuitas magna Episcopalis, ubi
nunc oppidulum Stombar.

Huius etiam tempore, morbi nunquam antevisi inguebant, feruentissimis intra-
viscera ardoribus, quibus homines quasi quadam rabie exagitabantur. Exorta etiam fa-
mes, frugibus tam vi tempestatis, quam vermis corruptis, & lues non minus nocens pec-
cori, quam hominibus. Agri vastati sunt: & multorum relicta vacua possessiones. Nulla
deniq; domus non lugubris fuit. A bellis autem pauca, aut nulla quietis. Nullo enim tem-
pore, Sarraceni Principes cum maioribus copiis Portugaliam invasere. Initis autem cum
Sarracenis induciis in quinquennium, non defuit Sanctio bellum quasi domesticum cum
Alfonso Legionis Rege, nepote ex sorore, & genero. Vnde ad Sanctum ciuitas Tudensis,
Pons Vetus, & S. Pelagius peruenere oppida. Quæ postea, pactis vltro citroq; conuentis,
Reges Portugalæ Legionensis restituerunt.